AEMILIUS PROBUS

DE

EXCELLENTIBUS DUCIBUS

EXTERARUM GENTIUM

ET

CORNELII NEPOTIS

QUAE SUPERSUNT.

Summa cum fide edidit, varietatem lectionis antehac enotatam omnem collegit, e compluribus libris nunc primum collatis auxit, de librorum numero et auctoritate disseruit

CAROLUS LUDOVICUS ROTH, Ph. Dr.

BRISIGAVUS.

PRAEMISSA SUNT

GUILIELMI FRIDERICI RINCKII

PROLEGOMENA AD AEMILIUM PROBUM.

BASILIAE

Sumptibus ac typis bibliopolii Schweighauseriani.

MDCCCXLI.

LECTURIS S.

In tanta exemplarium copia Aemilii Probi Corneliique Nepotis cum non interpretationi modo, sed etiam criticae rationi satis factum videri posset a superioribus, verebar primum, ne plurimi supervacaneam atque inutilem me operam in edendis his scriptoribus posuisse existimarent. Verum cum reputarem, quot doctos viros tenuis hic libellus unus advertisset et quam acres excitasset contentiones, a quo scriptus iudicaretur et quonam tempore, nonnullos sperabam futuros, quibus gratum viderer fecisse editione eo maxime modo instituta, quo modo instituendam existimavi. Videbatur enim, si qua iudicii plus quam temerarii copia esse deberet, editione opus esse ea, quae veteres codices religiose sequeretur neque ullas admitteret correctorum expolitiones; non quo improbarem illas quidem

aut propositas aut omnino in ordinem verborum receptas, sed ut exstaret exemplum aliquod, quo tamquam solo quodam ac fundamento disputantium niteretur ratiocinatio.

Id institutum erunt qui, licet per se excusent, alia ratione, atque a me factum est, velint perfectum; quippe aegre ferent locis non paucis lectiones spretas, quae non interna modo probabilitate vehementer commendentur, sed ne ab auctoritate quidem praelatis infirmiores videantur. Eorum rationem ut ego nolim damnari, ita meam confido non prorsus improbaturos, cum ea, quae de codicum auctoritate in extremo libro exposui, consideraverint.

Non incorrupta me censere scriptorum verba, sicuti a me edita sunt, ipse declaravi commendandis in eo margine, qui medius est inter verborum ordinem et varias lectiones, correctionibus quibusdam et coniecturis, quas vel alii probaverant vel ipse iudicabam a scriptore posse relictas videri. Sed in ea re cum vix cuiquam satis vel non nimium factum videri soleat, suum cuique per me iudicium liberum esto aut patrocinandi scriptis aut nova probabiliter coniectandi.

Quosnam libros scriptos vel ipse tractaverim vel per alios inspici curaverim, in dissertatione, quae est de librorum numero et auctoritate, disserui. Speraram initio,

fieri posse, ut codicis omnium integerrimi, Danielis dico membranas, nanciscerer collationem vel vestigium alicubi deprehenderem. Verum ea spes quamvis diligentissime inquirentem fefellit. Quam ob rem satis habere coactus fui, codicis Guelferbytani, id est eorum, qui supersunt, longe praestantissimi, auctoritatem plurimi facere. *) Eum librum et Haenelianum ipse contuli, Venetorum excerpta Rinckio, Sangallensis Berneto, Monacensis Vollmero, Italicorum maxime Dresselio, alia aliis humanissimis viris accepta refero, quorum nomina suo quodque loco posui cum gratiarum actione ac benevolentissimae erga me voluntatis memoria.

In impressis libris conferendis, etsi omnium in adversariis rationem habueram, modum constitui eum servare, ut lectionem proponerem integram earum tantum editionum, quas e libris scriptis vel expressas (principes dicunt) vel quadam cum aequabilitate emendatas cognossem, reliquarum rarius ac singularibus quibusdam locis mentionem facere satis haberem, cum praesertim in Fischeri

*) Guelferbytanum codicem in levioribus rebus orthographicis, quas quidem operae pretium non videbatur commemorare, unum secutus sum. Itaque si quis inveniet *nuntius* et *nuncius*, *nunquam* et *numquam*, *exspectare* et *expectare*, *conicere* et *coniicere*, alia eius generis bifariam scripta, id cogitet factum Guelf. codicis auctoritate.

editione, quae Lipsiae 1806. prodiit, et in Bardiliana impressorum exemplarium ratio satis provisa sit. In hac parte laboris nullius magis mihi praedicanda est quam amicissimi Bardilii eximia ac plane singularis humanitas; qui cum, postquam per litteras ultro interpellavi, saepenumero litteraria supellectile, plurimis de rebus doctrina, numquam non consilio me adiuvisset, eam mihi imposuit legem, haud scio an dicam mihi iniquiorem quam suo pudore digniorem, ut ne quo loco sui mentionem facerem. Ei viro doctissimo curam meam non plane improbari vehementer cupio.

Singulis libri partibus titulos, id quod instituti mei ratio ferebat, praefixi eos, quos in optimis libris inveneram. Hi tituli rectene se habeant necne, meum non fuit decernere. Eas partes cum abhinc annos viginti tres primus nostra memoria defendendas suscepisset G. F. Rinckius, vulgari opinione magnopere illo quidem tempore abhorrente, percommodum libro meo evenisse lectores iudicabunt, quod Clarissimus Vir Prolegomena sua de Aemilio Probo secundis curis elaborata non modo separatim prodire voluit, sed tamquam propugnacula quaedam veterum librorum auctoritatis, quam equidem amplexus eram, una edi passus est.

Superest, ut hunc nostrum librum, multis in rebus a reliquis editionibus discrepantem, lectorum commendemus aequitati ac benevolentiae, speremusque fore, ut sicuti nobismet ipsi videmur, ab aequis iudicibus non alio existimemur ac veritatis studio ducti fuisse.

Scripsi Basiliae Kal. Dec. 1840,

CAR. LUD. ROTH.

INDEX RERUM, QUAE HOC LIBRO CONTINENTUR.

Pars II. Sententiæ eruditorum de auctore libri dijudicatæ, meaque interposita.

§. 5. Epigramma injecit dubitationem de ætate Aem. Probi. Hier. Magius primus, assentiente Robortello, ad Theodosii ætatem eum retulit, Atticum, cui dedicatus sit libellus prior de ducibus exter. gentium, modo ejusdem ætatis faciens, modo auctoritate codicis Arleniani e medio tollens: quamquam plures difficultates cognovit, quas non removere potuit: p. XXIII—XXV.

§. 6. Primus Car. Langius de Corn. Nepote cogitavit. Secuti sunt Petr. Pithœus, Hub. Giphanius, Dion. Lambinus. Sed si Nepos esset auctor, non ante Augustum imperatorem scripsisset. Ille in vita Attici aliter de Cæsare et Augusto sentit atque Probus. Lactantius quoque libere locutus est: p. XXV—XXVIII.

§. 7. Aem. Probus exscriptor Nepotis habitus est, quam sententiam Kohenius paullum aliter protulit. Sed claris titulis libri insigniri solent: singularis plagiarius foret Probus. Obstat dedicatio. Nepotis nomen tenebris non fuit oppressum. Vesani fuissent vel Probus vel lectores, qui hominem Theodosio æqualem librum scripsisse statuerent eum, cujus auctor familiaritatem cum Pomp. Attico profiteretur. Lambini asseclæ. Savaro præponit in titulo edit. Nepotis nomen Probo: p. XXV—XXXII.

§. 8. Barthii conjectura de Probo epitomatore Nepotis impugnatur: p. XXXII—XXXIV.

§. 9. Keuchenius et editor Oxoniensis eodem anno nomen Aem. Probi in titulo libri prætermittere cœperunt: p. XXX—XXXV.

§. 10. Ego Aem. Probum sine dolo malo nomine Corn. Nepotis scripsisse censeo: qua ratione omnes difficultates amoventur. Nepotem imitatur, eidemque temere adversatur. Dictio modo priscas formas affectat, modo stilum sequiorem refert. Duæ dedicationes partes Probi binas declarant: modo se eundem facit Nepotemque, modo se alium prodit. Arripit occasiones ad tempora superiora, nonnunquam etiam priora ipso Nepote, alludendi; quam rem præsertim in præfatione infelici successu tractat. — Sed *Datamis* vitam, multo præstantiorem ceteris et dictione aliquantum diversam, reliquias operis Corneliani, quas Probus in suum usum converterit, esse duco: p. XXXV—XLVI.

§. 11. Kohenius. Beierus. Heinzius. Wolfius. Rankius. Hoffmannus. Orellius. Bœtticherus. Heldius. Dæhnius. Lieberkühnius: p. XLVI—XLVIII.

Pars III. De argumentis internis.

GUILIELMI FRIDERICI RINCKII

PROLEGOMENA AD ÆMILIUM PROBUM

DE VERO AUCTORE VITARUM EXCELLENTIUM DUCUM EXTERARUM GENTIUM.

Gaudeo tanquam læto fructu libelli mei italo sermone Venetiis anno 1818 editi *), Rothii editione non tantum vitas ipsas excellentium ducum, sed etiam earum verum auctorem ad fidem codicum antiquorum restitutum esse; quam occasionem nactus, meum puto esse, jam promissum persolvere et quæstionem de auctore propositam fusius repetere.

Pars prima de testimoniis externis.

§. 1.

Quotquot diligentius inspecti sunt libri scripti, numero certe XLV, unanimi consensu Vitas a Miltiade usque ad Hannibalem Aemilio Probo adscribunt, ut jam Harlesius in Notitia scriptor. latin. P. I. p. 364 animadvertit, et Rothius noster, undique codicibus ad exornandam novissimam editionem accersitis et excussis, confirmat.

Liberkuehnius quidem in docta Commentatione „de auctore vitarum, quæ sub nomine Corn. Nepotis feruntur" (Lipsiæ 1837) p. 69 incautius Catalogum libr. mss. Hænelii in auxilium vocat, qui ex proprio ingenio scriptum insignire maluit quam auctoris nomen denotare, cum ait p. 969: Madritenses duo, Corn. Nepotis vitæ excell. virorum, et p. 993: Toletani duo, Corn. Nepotis vitæ. Similis titulus adscribitur codici Harleiano 2601, codici Vindobonensi, codici Parmensi, codici Mantuano, codici Cantabrigiensi in Collegio S. Trinitatis exstanti in Catalogo libror. mss. Angliæ et Hiberniæ (Oxon. 1697) T. I. P. III. p. 96, ubi cod. 291 ita recensetur: „Aemilius Probus sive Cornelius Nepos Lib. Pulcherrimus." Sed ignoti sunt hi libri, qui pro Nepote militare videntur: dubia fide catalogorum nituntur Liberkuehnii argumenta externa, nostra autem fide muniuntur omnium codicum, qui manibus tractati et collati sunt. Merito itaque

*) Saggio di un Esame critico, per restituire ad Emilio Probo il libro de vita excellentium Imperatorum creduto comunemente di Cornelio Nepote, di Gugl. Fed. Rinck Badese. Vertit in Germanicam linguam Dieteric. Hermann. Lipsiæ 1819.

negamus ullum librum antiquum Cornelio favere, dum unus certe contra nos in publicum proferatur. Quam parum credere possimus titulis Catalogorum, videre licet e. g. e Catalogo codd. Mss. latinor. Bibliothecæ Paris. reg. T. IV. p. 165, ubi cod. 5837 continere dicitur „Aemilii Probi sive Corn. Nepotis librum de illustr. duc. ext. gentium," ibid. p. 207 codex 6143 „Corn. Nepotis librum de exc. Græciæ ducibus et exterarum gentium," ibid. p. 162 simile quid de cod. 5826 enuntiatur. De iis vero satis constat, nonnisi in Attico et Catone Nepotem, in ceteris unum Probum agnosci, aliosque titulos exhiberi: vide Rothii elenchum codd.

Aemilium agnoscunt, non Cornelium, editio princeps Jensonii a. 1471, Mediolani sine anno (inter annos 1480—1490 secundum Saxium), Veneta sine anno, Brixiana a. 1498, Argentoratensis a. 1506, seu potius a. 1511, ut viris doctis placet, Parisiensis a. 1520, Aldina 1522, Juntina a. 1525, Ultrajectina a. 1542, Longolii a. 1543, Magii a. 1563.

Igitur si quis Aemilio adversatur, nondum Cornelio patrocinatur, iique parum proficiunt, qui fieri posse contendunt, ut Nepos sit auctor. Non optare, sed probare debebunt, et facilius etiam est, Aemilium excludere quam Cornelium probabiliter intrudere. Meum vero est, non tam contra Nepotem causam agere, de quo nemo testificatur, quam Probum defendere.

§. 2.

Ipse vero Probus ad calcem libelli post Hannibalis vitam epigramma in optimis libris obvium apposuit, in quo se auctorem *aperte* prædicat. Apponam hic:

Vade, liber noster *), fato meliore memento;
Cum leget hæc Dominus, te sciat esse meum.
Nec metuas fulvo strictos diademate crines,
Ridentes blandum vel pietate oculos.
Communis cunctis hominem sed regna tenere
Se meminit: vincit hinc magis ille homines.
Ornentur steriles fragili tectura libelli:
Theodosio et doctis carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, paulatim detege nostrum
Tunc Domino nomen; me sciat esse Probum.

---

*) *nostri* a nonnullis editum est, invitis cum ceteris codd. tum Guelferbytano, quem ita legere perperam opinabantur.

Corpore in hoc manus est genitoris avique meaque*):
Felices, Dominum quæ meruere, manus!

Librum suum esse, verbis iteratis ultro profitetur, eumque hortatur, ut intrepide Theodosium accedat. Ne vero quis de scriba, vel restitutore, vel interpolatore operis Corneliani somnietur, *auctorem* se diserte domino cunctisque detegit Probus.

Distichon quidem postremum scribam significat; nihil repugno, neque me fugit, quatuor exscriptores Isidori Etymologiarum librum scripsisse **). Ea vero res auctoris mentionem in versibus antecedentibus indubitate factam tollere nequit. Ut sibi ipse constaret epigrammatarius, in Specimine meo italo p. 43 ultimum distichon a librario quopiam assutum esse suspicatus eram. Et video quoque Heusingerum in dissertatione de Nep. Cornelio bene merendi aliquot subsidia Bibliothecæ Guelpherbytanæ exhibente, Malli Theodori de Metris libro adjecta, p. 115 sq. non dubitasse, quin duos postremos versus proœmii in Troilum a magistro Alberto quodam versibus hexametris conscripti uncis includeret et pro spuriis haberet. Neque tamen est, quod ad obelum confugiam. Namque nemo sibi persuadebit, modicum volumen de excellentibus ducibus tanquam corpus denotari posse, in quo avi, patris et filii manus mercedem librarii quæsiverit; sed corpus est complexus complurium scriptorum, quo Probus opera residua Nepotis, deperditis proprio ingenio expletis, et fortasse similia retulisse videtur. Sic erit Aemilius, quem se esse ait, et auctor et librarius in uno eodemque corpore. Item alias varia scripta a librariis in corpus collecta deprehenduntur. In codice Patavino, quem primus notum feci et contuli, insunt vitæ imperatorum romanorum a pluribus latinis scriptoribus desumtæ et in compendium redactæ, a Spartiano, Julio Capitolino, Volcatio Gallicano, Aelio Lampridio, Vopisco, Ammiano Marcellino. Tum sequitur integra vita Attici et Catonis e Cornelio Nepote, subjicitur epistola Corneliæ Gracchorum matris ad filium; eam excipiunt vitæ nostræ Aemilii Probi, eæque epitomatæ. Posthac leguntur e Plutarcho nonnullæ vitæ latinitate donatæ, sed pariter contractæ, aliquot orationes e Tacito desumtæ, oratio (supposititia) Senecæ ad Neronem et responsum Neronis, aliæ quædam orationes e Tacito, deinde

*) *Meaque* est in optimis libris, *meæque* ex correctione natum videtur. Melius etiam ‹manus felices› ad genitorem, avum et ipsum Aemilium una pertinent

**) Cf. Mannert. Palaeograph. tractat. p. 63 sqq.

oratio Eumenis capti et proditi a suis ad suos e Trogo Pompejo, oratio Mithridatis ad suos ex eodem. Agmen claudit oratio Caractici regis ad Claudium Cæsarem ex Corn. Tacito. Similiter Probus noster domino obtulisse videtur corpus vitarum illustrium virorum, quarum partem ipse composuisse fatetur, partem a Nepote maxime profectam descripsisse putandus est. Nam eo tempore plures certe libri Nepotis de illustribus viris superstites fuerunt, quorum Sosipater Charisius secundum, decimum quintum et decimum sextum excitavit.

Dedicatio ista ut quæstioni de Aemilio propositæ commode subvenit, ita cum vitis ipsis comparata, inopportuna vim argumenti debilitare videtur. Quanquam hoc tempore de testimoniis externis agimus, tamen non possum non dubitationi objectæ statim occurrere, ne quæ deinceps sequuntur, frustra loqui videar. Jam enim Venetiis viginti abhinc annis Morellium, qui fuit custos bibliothecæ *Marcianæ*, per sermones familiares negantem audivi, ab epigrammatis mediocris auctore eodem elegantiores vitas excellentium ducum proficisci potuisse. Clarissimus Bœckhius Berolinensis per literas mihi quidem ingenue fassus est, fieri posse, ut imitator antiquitatis et præcipue Nepotis sæculo quarto post Chr. nat., quemadmodum noster, scripserit, cujus rei Claudianum exempli causa ultro proposuit; attamen male eundem habet epigramma, in quo ultima syllaba verbi *vincit* producitur, unde veritus est, ne stylus vitarum discreparet. Quod equidem in versu penultimo ex Uffenbachiano codice *meæque* pro *meaque* dederam, supersedit Bœckhius et hunc errorem metricum notare. Fidentius etiam Bardili in sua editione Corn. Nep. T. I p. CIV not.: «neque unquam, inquit, persuadere mihi potero, eundem hominem, qui versus istos, quorum quot verba, totidem fere vitia et ineptiæ sunt, composuit, elegantissimas, si loca nonnulla excipias, imperatorum vitas conscripsisse.“ Pariter Lieberkuehnius de auctore vitarum p. 46 miratur, „hanc tantam orationis virtutem potuisse imitatione proficisci ab homine seriori male in epigrammate scribente.“ Facile est epigramma ineptum deridere, et qui nil certi dicunt, plus dixisse sibi videntur. Sed dic, quæso, ubinam peccet, et audiam. Metro laborat: *vincīt*, *meāque* mendose producit, *tectură* in ablativo corripit. Poëticam autem virtutem auctor vitarum nusquam monstravit; deinde observandum est, cum in vitis, licet reprehensione non exemptis, Cornelii personam, ut mea fert opinio, sustinere, in dedicatione suo nomine procedentem, sermone potius ævi sui uti. Illo vero tempore regulæ metricæ plerumque neglectæ sunt, ut inprimis in Prudentio, æquali nostri Probi, (natus est a. 348) videre licet, qui in Peristephano III. 80 utrāque casu recto in pen-

ultima producit. Ephemerides, quæ Romæ prodeunt titulo Giornale Arcadico, et anno 1819 p. 338—351 libellum meum in censuram vocarunt, epigrammati vitio dant, quod in versu primo Ovidii Tristia I imitatur; quæ vero est licita sane imitatio. Idem censor p. 346 verba *strictos diademate crines* rudius depingere opinatur; quæ morositas docet, quam levis sit nota, qua stylus dedicationis adspergi potest.

Equidem fatebor, quæ minus mihi placeant. *Ridentes blandum pietate oculos* Theodosii appellat, sed hi minus diademate aureo metum incutere possunt: jam a re metuenda ad affabilem transit, de qua proprie versus quintus agit. Ibi opponendi causa particula *sed* occurrit, insolentius in media periodo posita: sed transpositiones amat noster etiam in oratione soluta: VII, 7, 2 *aut eum*, quod tanquam falso loco positum a Lambino mutabatur: *eum aut;* VII, 9, 1: *non satis tuta eadem loca sibi arbitratus*, ubi Marcianus A *tuta sibi* transposuit; IX, 3, 4: *quæ huic volebat, scripta tradidit*, Lambinus correxit: *quæ volebat, huic s. t.;* VI, 4, 3: *hunc Lysander, domum cum redisset, librum*, ita quoque XVII, 8, 1. XX, 4, 2. — Extremo versu epigrammatis *dominum merere* non quidem mendose, sed inusitate dictum est, cum optimi scriptores verbum *merere* sensu lucrandi cum accusativo rei usurpent.

Sed etiam quæ recte et concinnne dicta sunt, ingenue agnoscamus. Si meam rationem probas, Aemilium Cornelii persona sine consilio decipiendi scripsisse, dedicationi fictæ ad Atticum datæ bene apposuit alteram ad Theodosium in fine personam consulto sibi detrahens verbis, quæ docent, titulum libri nomen Probi tacuisse, clausulam aperuisse hujusmodi:

Cum leget hæc Dominus, te sciat esse meum. —
Si rogat auctorem, *paulatim* detege nostrum
Tunc Domino nomen; me sciat esse Probum.

Eleganter nomen Probi detecti distichon penultimum claudit. Consolatur libellum: *fato meliore memento*, scilicet quam deperditus liber Nepotis. Censor quidem Jo. Chr. Dæhnii disputationis de vitis exc. imp. C. Nepoti, non Aemilio Probo attribuendis (1827) in Ephemeridibus literariis additis τῷ Schulzeitung a. 1827 fasciculo mensis Julii, in primo versu librum non cum Nepotis opere, sed cum sorte librarii comparari arbitratur; sed nescio an hic lucrum ingenio et manu quærens libro suo fortunam coram imperatore comparendi invidere possit. — In voce *communis* de popularitate usurpata, ut alibi, imitatorem se præbet Cornelii, qui in vita Attici c. 3, 1 eodem sensu *communis infimis* ait, æque ac Cic. ad Fam. IV, 9 (ubi vide Intt.)

et Eutrop. VIII, 11. Est Græcismus, vide Demosth. de Coron. p. 337: κοινὸς καὶ φιλάνθρωπος, Plutarch. in Poplicola c. 4, oppositum δύςκοινος in Themistii Orat. I. p. 23. — Verba: *vincit hinc magis ille homines*, in memoriam mihi revocant dictum Solonis in Plutarcho c. 14, ubi se pœnitere negat, quod tyrannidem oblatam recusaverit, πλέον γὰρ ὧδε νικήσειν δοκέω πάντας ἀνθρώπυς. Eundem vero auctorem vitarum nostrarum vestigia Plutarchi premere infra docebo. — Scite quoque opposuit vocabula *tectura* et *nuda*, ut auctor vitarum in verbis ludere solet. E. g. V, 1, 2 *amore — more*, V, 2, 4 *animatas — alienatas*, V, 2, 5 *fretos — fregit*, VII, 3, 3 *magna multorum — magnus multitudini*, VII, 1, 3 *splendidus non minus in vita quam victu*, VII, 3, 5 *obesse — prodesse*, IX, 2, 1 *multum — multo*, X, 3, 2 *amicum non magis tyranno quam tyrannis*. Quare non indignum esse epigramma auctore vitarum judico, imo vestigia quædam ad eundem perducere videntur; quatenus a paucis versibus ad orationem solutam conclusio valet.

Lieberkuehnius l. c. p. 42 sq. ita præcipue meam rationem oppugnat: *a me dici Aemilium Nepotis nomine scripsisse, eosque, qui librum legerent, de Nepote cogitare oportuisse, attamen in eo nullum apertum indicium de hoc nomine esse, ne in epigrammate quidem Nepotem nominari, unum vero Attici nomen in præfatione aliaque incerta signa non satis eum ostendere, cujus personam suscipere voluerit Probus.* Facillime solo titulo lectores de Nepote, cujus fictum nomen librarii posteriores cum vero Aemilii transmutabant, admonere potuit. Non dubito, quin corpus scriptorum a Probo oblatum inscriptione generali Nepotis insignitum fuerit, ita ut Theodosius ceterique de dedicatione ad Atticum data et toto libello recte sentire possent. Id fieri non posse, probare Lieberkuehnium oportebit, priusquam ejus argumentatio aliquid valeat. Ego vero meam opinionem quasi confirmatam video codice, quem ipse Mediolani inspexi in Ambrosiana a Baldo Martorello anno 1456 scriptum, ubi primo folio titulus exstat: *Vitæ Virorum Illustrium*, post præfationem legitur: *Incipit Aemilius probus*, subsequuntur Atticus, Cato et fragmentum epistolarum Corneliæ ad Cajum filium. Tum Scholiasta Bobiensis Sæc. V in orat. Cicer. pro Sestio c. 67 cum nostri Themistoclem et Aristidem, auctoris nomine prætermisso, exscriberet, *de viris inlustribus* ejusmodi mentionem injecit, ut suspiceris, corpus vitarum sub hoc titulo ei ad manus fuisse. Nepotem vitam illustrium virorum scripsisse constat (Gell. N. A. 11, 8. Serv. ad Aen. I. 372): sub hoc generali titulo Probus et suas et Nepotis vitas superstites posuisse videtur, quemadmodum Ambrosianus exhibet, unde

facile intelligitur, cur in plerisque antiquis libris coniunctæ sint. Paullo aliter codex Claromontanus titulum communem et Probi et Nepotis ad priorem restringit hujusmodi: *Aem. Pr. de viris illustribus.* Satis jam fuisset, si præfationi Probus titulum ad Nepotem pertinentem præfixisset, quem quidem librarii, ne incautos illuderent, prætermisisse videntur. Sed voluminis Nepotiani illustrium virorum librum II. XV et XVI citat Charisius Sosipater. Unum ex his libris voluit esse Probus suum scriptum de excell. ducibus, ut ipse indicare videtur in præfatione n. 8: *hic plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum. Quare ad propositum veniemus et in hoc exponemus libro de vita excell. imperatorum.* Unum librum exterarum gentium et alterum deinceps Romanorum scriptum esse colligitur e Probi vita Hannibalis extrema: *Sed nos tempus est hujus libri facere finem et Romanorum explicare imperatores.* Eum posteriorem librum Plutarchus vidit; certe Bardilio p. CI assentior, eum ea, quæ in Fragment. c. 9, 1. 3. 4 de Lucullo et de Marcello e Nepote excerpsit, inde desumsisse. Neque Jul. Cæsaris vita in hoc libro de ducibus Romanorum deesse potuisse videtur. Quod tradit Guilielmus de Pastrengo *), qui floruit ineunte sæculo XIV, amicus Petrarcæ, in sua Bibliotheca alphabetica scriptorum sacrorum et profanorum, cui titulum dedit: *de Viris illustribus*, a Michaele Angelo Blondo Venetiis 1547. 8. in lucem edita sub titulo incongruo ab appendice de conditoribus civitatum, inventionibus etc. petito: *De Originibus rerum libellus authore Gulielmo Pastregico Veronense.* Ejus libri rarioris inspiciendi potestas mihi facta est Venetiis, eademque verba, quæ Bardilius jam p. CI protulit, fol. 17 (a) legi: *Cornelius Nepos lib. edidit: De Viris Illustribus. Scripsit et Julii Cæs. vitam et tempora, cujus fulsit temporibus.* Sed cum nusquam alibi hujus scripti mentio fiat, neque veri simile sit, licet Bardilio id videretur, Pastregici ætate Cæsaris vitam a Nepote conscriptam exstitisse, equidem suspicor, compilatorem istum, ut alias sæpissime erravit, confudisse Cornelios, cum idem fol. 18 (a) scripserit: *Cornelius Balbus Julii Cæsaris familiarissimus illius vitam et gesta scriptioni dedit. Exegeticon etiam lib. dereliquit.* Suetonius illud fragmentum (c. 11, 2), quod de Augusto e Nepote excerpsit, eodem ex libro posteriore de ducibus Romanorum sumsisse mihi quidem, ut jam antea Bardilio, videtur.

---

*) De quo vide Maffei Verona illustrata P. II. p. 113 sqq. Tiraboschi Storia della letteratura Ital. T. V. P. II. p. 409 sqq.

Nepotis volumen de illustr. viris præterea duos libros de illustribus poëtis comprehendisse videtur, e quorum posteriore de poëtis Romanorum Suetonium seu Aelium Donatum in vita Terentii c. 1. 3. ea sumsisse puto, quæ a Nepote de Terentio dicta profert. (V. Fragm. c. 6, 1. 2. Fabricii Bibl. Lat. T. I. p. 109.) Librum de illustribus ducibus præcesserunt libri de Regibus et de Historicis. Regum enim res gestas Probus in clausula Timoleontis separatim relatas esse ait. Nepotis librum significari post Vossium Moschius in programmate recte censet, neque vox *separatim* impedit, quo minus hæc quoque pars voluminis illius de illustribus viris, quales reges re vera sunt, fuisse videatur; nam separat secundum meam sententiam librum de Regibus a libro de Imperatoribus, in quo reges tantum attingit, qui bellica laude præstiterunt. Quæ vero Plinius Nepotem de Demarato, Tarquinii Prisci patre, tradere ait (Fragm. c. 10, 6), ad posteriorem librum de Regibus romanis commode referri possunt, ut Bardilius p. CII observavit. Deinde Probus in Dione c. 3, 2 se (scilicet Nepotem) de Philisto Siculo in eo libro plura exposuisse testatur, qui de Historicis græcis conscriptus sit. Eum librum alter de latinis Historicis secutus esse videtur, quatenus librum de ducibus exterarum gentium excepit liber de imperatoribus Romanorum. Prius fragmentum Guelpherbytanum e libro de lat. Historicis decerptum est, et quidem e præfatione, ut feliciter conjecit Jac. Frid. Heusingerus (p. 382 ed. Nep. Bardilii T. II.) Ita enim inchoat: „*Non ignorare debes, unum hoc genus latinarum literarum adhuc non modo non respondere Græciæ, sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum.*“ Etiam vita Catonis et Attici et epistola Corneliæ, matris Gracchorum, ad librum Nepotis de latinis Historicis pertinent, ut mox videbimus; eodemque referenda esse censeo fragmenta Nepotis cum (c. 6, 3) de L. Otacilio Pilito historico, magistro Cn. Pompeii, tum (c. 3, 2) de A. Albino, qui res Romanas oratione græca scriptitavit. Nihil enim obstat, quod Gellius 11, 8 in hoc fragmento librum de illustribus viris citavit, cui liber de historicis latinis tanquam pars subiectus erat. Cum Gellii codices et numerum libri XIII, a Bardilio repositum, addiderint, suspicari licet, de historicis latinis in libro XIII illustrium virorum, ideoque de historicis græcis in libro XII, atque de excellentibus ducibus in ulteriore libro expositum fuisse. Ita sane de corpore scriptorum in epigrammate et de magnitudine voluminis in præfatione Probi recte dicitur; neque lectores fugere potuit, in uno libro voluminis Nepotiani a Nepote Probum personam mutuatum esse, ut expleret, quod iniuria temporum perierit, a nullo ætatis aureæ scriptore citatum.

Facile itaque patior, fieri potuisse, ut Aemilius Probus iuxta nomen Cornelii Nepotis antiquitus collocatus fuerit, fortasse eiusmodi: Aemilius Probus nomine Cornelii Nepotis ad T. Pomp. Atticum liber de excell. ducibus exterarum gentium. Quæ mea suspicio quodammodo firmatur exemplari calamo exarato, ab Arnoldo Arlenio Ferrariæ emto, quod quidem teste Magio (Miscellan. L. IV c. 15), cui eius copia facta est, titulum huiusmodi præbet: *Aemylii Probi de imperatoribus exterarum gentium liber*, sed in clausula subiecta verba hæc habet: *Completum est opus Aemylii Probi Cornelii Nepotis.* Quæ verba nescio sententiamne librarii de auctore aperiant, an vestigium potius tituli antiqui servent. Cum sine particula Probus et Nepos connexi sint, sequitur, intimam rationem inter utrumque intercedere. Quare displicet explicatio et Lambini in præfatione editionis suæ opinantis, illa verba esse scripta a librario hæsitante et incerto de libri auctore, et Bardilii statuentis, librario tum Attici et Catonis tum ducum excellentium scriptorem in mente versatum, ideoque utrumque nominatum esse. Ita vero Probus et Nepos vereor, ut tam arcte coniuncti fuissent, imo priore ratione particulam *seu*, altera coniunctionem *et* inter utrumque nomen desidero. Præterea dubium est, in Arleniano codice vitas Catonis et Attici inesse. Hactenus recte Lieberkuehnius l. c. p. 69 sq.; ipse autem ita explicat: *Aemilium habere partem operis Corneliani, sive quod instauraverit, sive quod ordinaverit, sive quod descriptum divulgaverit, quasi esset Probo-Cornelianum opus.* Quam sententiam librarius obscurissime sane aperuisset; ut si quis Justinum ita finisset: *completum est opus Justini Trogi*, inscite fecisset. Mea ratione Probus et Nepos vere æquantur, uterque est unus, nimirum Probus est Nepos simulatus. Quare particula coniunctionis (e. g. *quasi*) librarius supersedere potuit, et cum epigramma teste Magio non transcriberet, sensum tamen epigrammatis expressit.

Theodosii mentio in epigrammate facta primum Hieronymum Magium de ætate libri ad sæculum IV referenda admonuit; *atque his temporibus, non autem Pomponii Attici et Ciceronis, Proborum mentionem se invenire* ait. *Sub Alexandro Severo imperatore Probum cum Modesto anno a Christi ortu CCXXX consulem fuisse; anno vero CCLXXIX Aurelium Probum imperii diadema accepisse; Probi Grammatici, qui commentarium scripserit de occulta literarum significatione epistolarum C. Julii Cæsaris, meminisse Gellium Lib. XVII c.* 9, *eumque Valerium Probum esse* opinatur, *cuius etiam hodie de notis antiquorum libellus circumferatur. Eundem Probum sæpius citari a Prisciano, Suetonium in libro de Grammaticis facere*

Probi Berythii Grammatici mentionem, *exstare Probi commentaria nonnulla in Virgilium*, *adhæc C. Titii Probi Epit. libri X Valerii Maximi. Proborum autem familiam Hieronymi ætate* (quæ est ætas Theodosiorum, natus enim est a. 339, mortuus a. 420) *clarissimam fuisse; sic enim hunc scribere in epistola ad Demetriadem: Scilicet nunc mihi Proborum et Olybriorum clara repetenda sunt nomina, et illustris Anicii sanguinis genus, in quo aut nullus aut rarus erit, qui non meruerit consulatum. Eiusdem ætate Probam, fœminam doctissimam et poëtriam, floruisse, cuius centones etiam exstare. In codicis Theodosiani L. IX titulo 2 memorari Probum Præfectum Prætorio, ad quem Ausonius epistolam XVI scripserit.*

Eundem Probum Præfectum Prætorio *) equidem in Specimine p. 20 mihi sumseram tanquam auctorem vitarum, ad quem Ausonius apologos Titiani et Nepotis chronica misit, *gaudens atque etiam glorians*, *fore aliquid*, *quod ad institutionem tuorum*, inquit, *sedulitatis meæ studio conferatur*. Sed clarus vir magis rebus gerendis, quam scribendis, nedum describendis, operam dedit, eumque postremum distichon epigrammatis nostri, si modo germanum sit, dedecet. Me docuerunt Ephemerides Arcadicæ 1819 p. 350 e Fastis consularibus L. III, istum Præfectum Prætorio integre appellatum esse *Sext. Anicium Sexti filium Petronium Probum*; deinde Kohenius, qui primus libellum **) contra me composuit, idem probavit p. 9 sq. inscriptione lapidaria, quæ ab Onuphrio in Fast. s. a. 1127, ab Elia Vineto in Epodos ad Epistol. Ausonii ad Probum Præf. Præt. (Burdigalæ 1580. 4) et a Grutero p. 450 in medium prolata ita se habet:

SEXTO. PETRONIO. PROBO
ANICIANAE. DOMVS
CVLMINI. PROCONSVLI
AFRICAE. PRAEFECTO
PRAETORIO. QVATER
ITALIAE. ILLYRICI. AFRI
CAE. GALLIARVM. CON
SVLI. ORDINARIO. CON
SVLVM. PATRI. ANICIVS
HERMOGENIANVS
OLYBRIUS. V. C. CONSVL
ORDINARIVS. ET. ANI
CIA. IVLIANA. C. F. EIVS
DEVOTISSIMI. FILII
DEDICAVERVNT.

*) Ammian. Marcellin. L. XXVII, 11, 1 Probum anno 368 ad regendam præfecturam prætorianam ab urbe accitum esse dicit.

**) Considerazioni del Dr. Joel Kohen Tergestino sul Saggio di un Esame critico del Sign. Gugl. F. Rinck etc. Milano 1819.

Ad eundem haud dubie literas dedit Ausonius et Nepotis chronica misit *ad institutionem tuorum*, inquit, scilicet filiorum, ut rectius Kohenius p. 12 observavit, non scriptorum, ut ego credideram. Quod marmor eundem præfectum Illyrici perhibet, non diversus esse videtur a Probo, præfecto Illyrici, quem codex Theodosian. L. II. tit. 5. memorat. Deinde quod in marmore *consul ordinarius* vocatur, veri simile est, eundem esse Sext. Anicium Probum, qui in Fastis consular. L. III. anno 374 consul, imperantibus Valente et Valentiniano, et anno 382 præfectus prætorio fuisse traditur. Quare Ausonius ad eum scribens: *Perge*, inquit, *o libelle, Sirmium . . . Collegam Augusti Consulis . . . Mixto refulgens sanguine . . . Probino atque Anicio.* Sirmii Probum cum exercitu constitisse discimus ex Ammiano Marcellino L. XXIX, 6, 9. Consulum patrem eum perhibet marmor. Idem dicit Claudianus de Olybrii et Probini consulatu, quorum pater iste Probus. Versus ejus, qui mire illustrant marmor, hi sunt:

> Acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
> Rexerit, ad summi quoties fastigia juris
> Venerit, Italiæ late cum frena teneret,
> Illyricosque sinus, et quos arat Africa campos.
> Sed nati vicere patrem.

Olybrius, de quo Claudianus, idem est, qui marmor patri dedicavit. Alium filium consulem nominant Fasti L. III. Sext. Anicium Sext. fil. Sext. nepotem Petronium Probum anno 409, imperatoribus Theodosio juniore et Honorio Pio. — Alium denique reperit Lambinus *Mæcium Probum*, præsidem provinciæ Hispaniæ, quem commemorat Ulpianus L. 48 digestorum titulo de interdictis et relegatis.

Cum de Proborum nomine dispexerimus, Theodosii quidem ætate frequentatum hoc cognomen cernimus, sed nusquam cuiquam occurrimus, ad quem epigramma et vitas referre probabiliter possimus. Nec librarii habuerunt, unde nomen *Aemilii* Probi depromerent, ne ex epigrammate ipso quidem sibi id sumere potuerunt. Unde, quæso, hauserunt? Non aliunde, nisi e traditione quadam historica non spernenda, quæ in titulo libri servata est.

Ad definiendam ætatem nostri Probi necesse est inquiramus, utri *Theodosio* dedicatus sit liber de excell. ducibus, Magno, qui ab anno 379 usque ad a. 395 regnavit, Theodosione secundo, qui annos septem natus a. 408 regno potitus, usque ad a. 450 hanc dignitatem obtinuit. Ad priorem, cujus clementia et affabilitas ab historicis celebratur, pertinere videtur epigramma, quod ejus *ridentes blandum*

pietate oculos et *commune* ingenium describit. Eidemque a libidine regnandi alieno, qui sceptrum primum recusavit, postea e manibus Gratiani accepit, ut territum imperium servaret, Aemilius intrepide et tutius offerre potuit librum, in quo Nepotis nomine libertatis studium affectabat. Sub hoc Theodosio Aemilius in Dione 9, 5 singularem potentiam cum minore periculo simulate perstringere potuit, quam Nepos Cornelius Augusto imperatore. Monarchia jam unanimi consensu firmata et ad conservandum imperium contra barbaros tam necessaria fuit, ut auctor noster libertatis amorem impune præ se ferre posset. Ad Theodosium juniorem ne adulator quidem scribere facile potuit: *vincit homines*; quippe qui imperium barbaris prædandum reliquit, et ignominiosam pacem pretio mercatus est.

§. 3.

Quid vero antiquitas ipsa extra testimonia codicum de libro nostro ejusque auctore judicavit? Nihil fere, sed silentio prætermisit, nemo certe Nepotis esse sibi aliisve persuasit. Nemo eorum, qui clarum Nepotem legerint, laudarint et exscripserint, locum quendam e vita excellentium ducum tanquam Nepotis in medium protulit. Quodsi is auctor fuisset, cujus scriptis et æquales et posteriores multum usi sunt, ut e fragmentorum collectione cognoscimus, nostrum librum non ita negligi et sileri oportuit. Daehnius quidem in procemio ad editionem suam Nepotis p. 46 oblivione propterea oppressum esse suspicatur, quod aliquot sententiæ amorem libertatis præ se ferentes displicuerint. Sed hæ sunt paucæ admodum, eæque permultis gratæ; neque veritas Tacito nocuit, quin complura ejus scripta servarentur.

Contra Kohenius l. c. p. 16 negat, Probum, si tanti fuisset, ut haud infeliciter Nepotem imitaretur, tanquam hominem ignotum delitescere potuisse. Sed cum scriptum qualecunque de excellentibus ducibus non celebratum fuerit, qui scriptorem fuisse celebrem vult? Una obscuritas naturali quodam nexu premit et librum et auctorem. Cum fructus parum gustaretur, non mirum est, arborem in opinione hominum absconditam mansisse. Nec rerum fortuna insignis fuit, ut qui cum avo et patre librarii mercedem quæsierit. Scribæ autem apud Romanos mercenarii existimati sunt, ut ipse, nescio an sua sorte contentus, in Eumene c. 1, 5 fatetur. Igitur si ad elegantem librum clarum nomen auctoris accessisset, ut Kohenius arbitratur, magis etiam mirari oporteret, libellum nostrum memoria antiquitatis pæne excidisse.

Attamen duo scriptores non satis certa ætate, sive æquales seu paullo posteriores, L. Ampelius et Scholiasta Ciceronis, de nostro libro in suos etiam breviores transcripsisse videntur, auctore ut obscuri nominis non memorato.

Ampelius in libro Memoriali c. 15 *de præfectis* Darii, *Date et Tisapherne*, scribit, in quo aut corrupta ejus verba sunt, aut ipse corruptum codicem Probi nactus est. Namque hic I, 4, 1 *Datim et Artaphernem* eos nominat, ut Herodotus VI, 94. VII, 74 Pausan. in Atticis et Suidas v. Ἱππίας. Aliam varietatem præbet Suidas v. διεξιφίσω, ubi dicuntur Δάτις καὶ Ἀρτάβαζος e Schol. Aristoph. Eqq. 778. Idem Ampelius l. c. LXXX millia militum Persarum superata esse a Miltiade in saltu Marathonio scribit: noster I, 5, 4 *peditum centum, equitum decem milia.* Neque in numero copiarum Darii universarum consentiunt, cum Ampelius c. 13 dicat: *Darius rex — cum CCLXX milibus Europam transivit*, noster I, 4, 1 *ducenta peditum decem milia equitum* numeret.

Nostro I, 6, 4 respondet Ampelius c. 15 de trecentis statuis Demetrio decretis. Noster III, 1, 2: *adeo*, inquit, *excellebat Aristides abstinentia, ut . . cognomine Justus sit appellatus, tamen . . exilio decem annorum multatus est.* Ampelius c. 15: *Aristides Dicæos, qui hoc agnomen moribus est consecutus, ob id ipsum exilio multatus est.* Quæ noster de Pausaniæ prœlio ad Platæas ejusque morte IV, 1, 2. 5, 2 largius dat, brevi absolvit Ampelius c. 14. De Lysandri victoria navali ad Aegos flumen referunt noster VI, 1, 4 et Ampel. c. 14. De Alcibiade confer nostrum VII, 1, 2. 3, 2. 5, 5 cum Ampelio c. 15; de Thrasybulo nostrum VIII, 1, 2 cum eodem ibidem; de Conone nostrum IX, 4, 4 cum eodem ibid.; de Dione nostrum X, 5, 3 cum eodem, qui ibidem Dioni *octo naves* attribuit; de Iphicrate nostrum XI, 1, 1 cum eod. ibid.; de Chabria nostr. XII, 1, 3. 2, 2. 4, 1 cum eod. ibid.; de duabus familiis regiis Spartæ nostr. XVII, 1, 2 cum eod. c. 14. Quæ noster XVII, 2, 1. 4, 1. 5. 5, 2. 3 narravit, Ampelius c. 14 sic complexus est: „Agesilaus, cujus inventum est, in hostili, quam in sua terra, pugnare; ideoque in Asiam missus, vastata ea, cum jam regi immineret, revocatus Athenienses apud Coroneam vicit. Postea apud Corinthios flevit, quod decem millia Græcorum occisa cognovisset, nec voluit Corinthum delere, cum posset.“ De Eumene noster XVIII, 1, 1 comparari potest cum Ampel. c. 33; de Timoleonte noster XX, 1, 4 cum eodem c. 32; de Hamilcare noster XXI, 1, 1 cum eodem c. 36; de Hannibale denique noster XXII, 3, 2 cum eodem c. 28. — Tzschuckius quoque in dissertatione de Ampelio S. 7. et Beckius

in sua editione Ampelii p. 75 eum exscripsisse nostras vitas censuerunt.

Scholiasta Ciceronis ad orationem pro Sextio, e codice palimpsesto Sæc. V. ab Angelo Maio et denuo ab Orellio (p. 311) editus, plura e Themistocle, Miltiade, Aristide et Hannibale Probi, licet auctore non nominato, excerpsit. (V. Roth. not. p. 183.)

Ejusmodi sunt rivuli, qui a libro de excell. ducibus irrigati sunt. Plane ignoratus est a Pastregico in lexico de scriptoribus sacris et profanis, de quo supra monui *), ab Johanne Sarisberiense in Polycratico, a Vincentio Bellovacense in Speculo historico, qui eadem fere ætate vixerunt, omnesque scriptores, quos ipsi noverant, seu ab aliis citatos sciverant, non vero Aemilium Probum aliumve auctorem vitarum de excell. ducibus protulerunt. Antiquissimus liber, in quo noster memoratur, est seculo XIII compositus titulo Mensæ philosophicæ, Michaeli Scoto tributus (qui a. 1214—1291 vixit). Ibi L. II c. 17 *Aemilius Probus libr. de Ducibus exterarum gentium* in Cimone et c. 18 *Aemilius* in Phocione excitatur. Post eum novit Aemilium Donatus Acciaiolius, senator et Philosophus Florentinus, quinquaginta annorum mortuus a. 1478 **). Composuit vitam Hannibalis insertam appendicis loco Plutarcho latino, quam titulus e græco versam esse male præ se fert ***), ibique †) factum in Hannibale nostri c. 10 sq. narratum ita commemorat: *Dicunt scriptores quidam — Annibalem novo commento Eumenem aggressum, ex navali prœlio victoriam reportasse. Nam priusquam pugnam inirent, Annibalem tradunt magnam serpentum copiam in vasa fictilia conjecisse, deinde inito prœlio, dum omnium animos oculosque occuparet certamen, vasa in hostium naves immisisse, atque eo pacto implicatos hostes et re nova perterritos, in fugam vertisse. Ejus autem sic gestæ rei non vetustiores annales, sed Aemilius et Trogus meminerunt. Itaque fides penes autores sit.* Trogus quidem, qui cum Aemilio conjungitur, Augusti æqualis fuit, cujus vero historiæ jam diu ante Donatum perierant. Igitur Justinum intelligit Donatus, istius epitome L. XXXII

---

*) Pastregicus de originibus rerum v. Dion fol. 23 (a) exhibet: *Dion Fœniceas scripsit historias.* Item in nostro IX, 5, 4 inter scripturam *Dion* et *Dinon* variant libri antiqui.

**) Jac. Gaddius de Scriptoribus non ecclesiast. T. I. p. 1 sq. et Tiraboschi St. d. Letter. Ital. T. VI. P. II. p. 827.

***) Fabric. Bibl. Gr. Vol. V. p. 176. ed. Harles.

†) Ed. Henr. Stephani 1572 T. XIII. p. 47 ed. Lutet. Paris. a. 1558. fol. 127 (a) sect. 99.

idem strategema Hannibalis refert, atque solemne fuit aliis, cum de Justino loquerentur, speciosum Trogi nomen præfigere *). Inter alios video etiam Pastregicum in lexico fol. 70 (b) nomine Trogi Pompeji citare Justinum. Ejusdem strategematis meminit Galenus de Theriaca ad Pisonem, quem e Probo hausisse Magius (in præfat. adnotat. suarum in Aem. Prob.) existimavit, ego vero non dubito, quin e Trogo sumserit. Ejus verba hæc sunt: *Ego autem ex quodam historiæ libro accepi, quomodo aliquis bellum contra Romanos gerere voluerit, nulla militaris ordinis potentia munitus. Homo vero hic Carthaginensis complures ollas, feris quæ repente possunt occidere refertas, adversus hostes projecit: illi autem non intelligentes* et quæ sequuntur. Fieri potuit, ut e Sileno vel Sosilo tanquam communi fonte et Trogus et Galenus et Frontinus 4, 7, 10 et Probus illa sumserint: vide infra §. 14.

Philippus Beroaldus senior, professor Bononiensis (natus a. 1453, mortuus a. 1505) **), æqualis Politiani, in Annotationibus in varios auctores ***) meminit Aemilii Probi in Aristide ita: *Aemilius Probus, qui vitas Græcorum imperatorum luculento sermone conscripsit, Aristidem tradit a Themistocle collabefactum esse testula.*

Marcantonius Muretus, cui recte tribuit Carrio in Antiq. Lection. II, 20 †): *acre in illustrandis veterum scriptis judicium,* in variis Lectionibus, quarum primi octo libri Venetiis 1559 editi sunt ††), L. VII, 1. XV, 5. 7 varia loca Aemilii Probi commentatus est.

Hieron. Magius in sua editione a. 1563 de nostro auctore multa disputavit, neque vero, utrum Aemilius auctor esset, nec ne, id quod nemini dubium fuit, quæsivit.

Caspar Varrerius denique in Censura de Beroso Romæ 1565 evulgata p. 20 consensui totius antiquitatis de Aemilio Probo suffragatur.

§. 4.

Eodem consensu *Cornelius Nepos* auctor *vitæ Catonis et Attici* in antiquis libris fuisse perhibetur, in omnibus certe, quicunque titulos singulis vitis dare solent. Inprimis egregius liber Guelpherby-

*) Fabricii Bibl. Latin. L. III. p. 60 ed. Ernest.

**) Tiraboschi Stor. d. Letterat. Ital. T. VI. P. III. p. 1112 sq.

***) Gruter. Lampas Crit. T. I. p. 241.

†) Gruteri Lamp. Crit. T. III. P. II. p. 55.

††) Gruter. Lamp. Cr. T. II. p. 989. 1138. 1140.

tanus significat, cui libro Nepotis eæ vitæ attribuendæ sint, nam exhibet titulum: *Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis incipit vita Attici* (eandem inscriptionem habet cod. Gifanii, omissis verbis: *incipit vita Attici*); ante Catonem scribit: *Excerptum e libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis*. Subsequuntur in eodem: *Verba ex epistola Corneliæ Gracchorum matris, ex eodem libro Cornelii Nepotis excerpta*; suffragatur codex Gifanii, qui habet: *Verba ex epistola Corneliæ Gracchorum matris, ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis excerpta*. Hoc ab ingenio amanuensium proficisci potuisse nego, et sane diligenter de historiis Catonis (c. 3) et de annalibus Attici ejusque libris de familiis compluribus romanis et de consulatu Ciceronis (c. 18) disseritur. Jam Gerh. Vossius de historicis lat. L. I, c. 14 ex clausula Catonis, licet notitia illorum codicum careret, recte conjecit, vitam Catonis, quam paucis perstrictam habemus, majoris partem esse voluminis. Attici vitam nostram quidem separatim a Cornelio publicatam fuisse censet Titzius in animadv. p. 274, annuente Bardilio p. CVI, sed ratione infirma, quod scilicet a cap. 18 reliqua post mortem Attici adjecta essent. Additamenta etiam in aliqua parte voluminis facile accedere potuerunt, et si qua, ut in Attico, occurrunt, nihil inde contra fidem codicum sequitur. Corneliam quidem, Gracchorum matrem, nusquam historicis adnumerari dicit Bardilius p. CVI. Ejus tamen eloquentiam in scriptis haud dubie declaratam laudavit Cicero. Atque observandum est, in illo codice Ambrosiano, cujus supra memineram, epistolam istam non ad Nepotis librum aliquem referri, sed ita introduci: *Ex fragmentis epistolarum Corneliæ Scipionis Africani superioris filiæ Ti. et C. Gracorum matris ad Cajum filium*. Nec non in cod. Mediceo LXIII. 30. post Catonem legitur: *Epistola de morte Tiberii Gracchi, auctore Anonymo*.

Haud dissimilis est titulus Catoni præfixus: *Vita Marci Catonis ex Cornelio Nepote de Viris illustribus*. Sub hoc titulo inseruit Catonem Stephanus Vinandus Pighius annalibus suis Romanorum, quorum primum tomum ipse, duos posteriores post mortem ejus (a. 1604) Andreas Schottus Antverpiæ 1615 edidit. Editiones Aemilii Probi, quibus usus est Pighius, Catone caruisse videntur, namque ejus copiam sibi factam esse ait ab amico Carolo Langio Bruxellensi; neque dubito, quin librum scriptum acceperit, cum in nulla alia editione iste titulus exstet, et ipse L. IX T. II. p. 220 in Catone plures scripturas a ceteris editionibus discrepantes exhibeat. Concinne vero Cato ad librum de viris illustribus refertur, cujus pars fuit liber de historicis latinis; quemadmodum Gellium diximus fragmentum de

Albino historico in libro de illustribus viris posuisse. Ceterum Pighius Catonem recens acceptum a Probi vitis satis distinguere videtur, cum scripserit: *Ex illustrissimi scriptoris illius operibus exiguæ virorum illustrium reliquiæ non minus quam nobiles uniones conservandæ.*

Inscriptio de historicis latinis in aliquot libris in aliam mutata est. Mediceus prior post Vitas variorum habet: *Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis Liber. Vita Attici. Vita Catonis.* Mediceus alter: *Vita Attici ex Historiarum Latinarum Corn. Nepotis Libro.* Codex Francisci Mendozii, Cardinalis Burgensis, teste Schotto, ita: *Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis vita Attici.* Eandem inscriptionem ego deprehendi in cod. Ambrosiano, qui solas vitas Attici et Catonis continet. In cod. Collegii Romani præcedit Cato Atticum, atque ille titulo insignitur: *Ex libro historiarum Latinarum Corn. Nepotis Catonis majoris vitæ brevis descriptio.* Leonardus Brunus Aretinus, qui inter primos resuscitatores literarum in Italia fuit, (natus 1369, ab Innocentio VII scriba apostolicus factus a. 1405, mortuus 1444)*) composuit librum, cui titulus: „*In Orationes Demosthenis, et historiarum latinarum Cornelii Nepotis Vitam Actici,*" quod volumen, plures quoque vitas Plutarchi ab Aretino in latinum versas complexum in bibliotheca Jac. Gaddii**) exstitit. Sed cum minus ponderis habent hi testes Guelpherbytano, tum dubito, an *historia latina* pro historia romana latine dictum sit, cum illa vox ad sermonem magis quam ad populum romanum pertineat. Quin de Albino, qui Romanus græca lingua usus, res romanas memoriæ prodidit, dubitari potest, utrum in latinorum historicorum an græcorum numerum a Cornelio relatus sit, ut Bardilius p. CVII contra Moschium observavit.

Plerique libri vetusti, qui Catonem et Atticum habent, Corn. Nepotis esse generaliter animadvertunt. Eo accuratius distinxisse videntur, quo facilius tentabantur librum de ducibus exterarum gentium eidem auctori tribuere atque Catonem, qui in numero imperatorum et quidem Romanorum, quorum vita in fine Hannibalis promissa erat, haberi potuit. Si tamen diversitas auctorum religiose tradebatur, suspicienda diligentia veterum, non negligenda est. Mirum est, editiones Heusingeri, Fischeri, Staverii aliasque plures, quasi oblitas se vitas Probi pro Cornelianis habere, temere Argentoratensem

---

*) Tiraboschi Stor. d. Letterat. Ital. T. VI. P. II. p. 693 sqq.

**) Gaddius de scriptor. non ecclesiastic. T. I. p. 12. Burmanni Sylloge epist. T. V. p. 678.

editionem anni 1506 et Lambinum secutas, Attico præfigere: *Vita T. Pomp. Attici ex Corn. Nepote.* Codex Uffenbachianus, qui ab initio mutilus est, nihil omnino de auctore statuit, imperatorum syllabum continet, cui aliena minus vetusta manus Aemilii Probi præfixit nomen *). Subsequitur vita T. Pomponii Attici et Catonis, sed epigrammate post Hannibalem posito certe sejuncta ab antecedentibus. In Ambrosiano codice eadem quidem pagina post Hannibalem sequuntur Atticus et Cato sine titulo, neque vero ideo unius auctoris esse perhibentur; præponitur enim inscriptio generalis: *Vitæ Virorum Illustrium*, et post præfationem inscriptio specialis: *Incipit Aemilius probus.*

Classis codicum a Rothio nostro litera C insignita Catonem et Atticum omittere solet, adeoque Probum, quem unum continet, tanquam peculiarem libellum designat. Ita etiam editio princeps Jensonii a. 1471, Parisiensis a. 1520 et Aldina a. 1522. Alii codd. tantum vitam Attici et Catonis habent, nomine Nepotis præfixo; ita alter Ambrosianus, quem Mediolani inspexi, et alter Mediceus (præcedentibus vitis variorum). In aliis denique Atticus unus *autore Corn. Nepote* inest, ut in Parisiensi 5831, in Mediceo 1 et in Ambrosiano 1: in Parisiensi 8534 et in Taurinensi cod. 294 unus Atticus ex Corn. Nepote præcedit epistolas Ciceronis ad Brutum, ad Quintum fratrem et ad Atticum; in Parisiensi 1863 Attici vita una subsequitur librum Aristotelis de partibus animalium. Sic Attici vita inest in editione epistolarum Ciceronis ad Atticum ab Jensonio a. 1470 in folio facta, et in editione illarum epistol., quæ Romæ 1490 in folio prodiit, deinde in Plutarchi vitis latinis Jensonii 1478 fol. et in duabus aliis Plutarchi editionibus sine anno sæc. XV.

Inter eos codices, qui Probi et Nepotis vitas conjungunt, eosque, qui utrasque seorsim habent, medium tenent ii, qui quidem unum Catonem annectunt. In Vossiano B Cato post Hannibalem a recentiori manu additus esse videtur. Marcianus A, quem accurate contuli, pariter Catonem sine Attico habet, neque auctoris quidem nomine memorato, sed post Catonem subsequitur P. VIRGILIUS, cujus vitam nec a Probo nec a Nepote compositam esse constat. Alia manus in Marciano distinguere conata est, cum generalem titulum: *Aem. Probi Vitæ Plurimorum Excell. Imperatorum*, in frontispicio ita interpretaretur, ut ad elenchum priorum Vitarum annotaret: *Excell. Imperatorum Aem. Probi*, ad elenchum Catonis atque Virgilii: *Hæ sunt auctoris anonymi, et ut puto ineditæ*, et ad calcem vitæ Hanni-

*) Bibl. Uffenbachiana P. IV col. 220 sq.

balis subjungeret: *Aem. Probi Vitæ Illustrium Imperatorum finiunt.* Editio Veneta sine anno *per Bernardinum Venetum* facta, quam ego possideo, Hannibali subjungit *Catonis vitam* sine Attico, nulla mentione auctoris diversi; imo in fine Catonis subjicitur: *Aem. Probi De Virorum Illustrium Vita. Finis.* Ita quoque istud exemplar vetustum Probi, quod Venetiis in bibliotheca cœnobii D. Antonii asservatum erat, et sæc. XVIII cum aliis codicibus combustum esse audivi, Catonem anonymo auctore assutum habuisse videtur, attamen ab Hannibale satis distinctum epigrammate. Id enim in eo deprehendit Magius (in epistola ad Angeler. ed. Bardili p. LXXVI), idemque (in præfat. adnotat. suarum p. LXXII ed. Bardili) Catonem ibi perlegisse testatur, quem tamen Probi esse existimavit. Eum enim dicit *non solum Græcorum ducum vitas conscripsisse, sed etiam Romanorum, quæ temporum injuria desiderentur, sola Catonis vita ex multis superstite.*

Editio Mediolanensis prima est, quod sciam, quæ Catonem et Atticum exhibeat, et quidem illum sine titulo post Hannibalem, hunc ea inscriptione: *Vita T. Attici Pomponii ex Corn. Nepote.* Argentorati a. 1505 unus Cato una cum Sexto Aurelio de vitis Cæsarum et aliquot dissertationibus prodiit, et ille primum ita inscriptus est: *Vita Cathonis Majoris per Cornel. Nepotem:* quæ tamen editio eruditos posteriores latuit, ita ut Magius (in præfat.) Gibertum Longolium primum Catonis vitam evulgasse existimaret. Editio Argentoratensis Aem. Probi a. 1506 seu potius a. 1511 (ut Veesenmeyerus aliique docuerunt) post Hannibalem tituli loco habet nonnisi: *Catonis vita;* tum literis maiusculis subscribit Catoni: *Finis Aemilii Probi de vitis excell. imperatorum.* Sequitur *Vita T. Pomp. Attici ex Corn. Nepote.* Longolius a. 1543 nil aliud superscribit, nisi: Catonis vita. Sed Magius a. 1563: *e Probi libro posteriore:* Atticum Nepotis tanquam diversi auctoris non adjungit. Voluit isto additamento clausulam Hannibalis recordari, ubi Probus se Romanorum imperatores explicaturum esse profitetur. Exinde in Appendice ad edit. Henr. Stephani Operum Plutarchi (Genevæ 1572) post Hannibalem Probi T. XIII. p. 176 adjicitur: *Fragmentum quod ex Probi libro posteriore superest. M. Portii Catonis Vita.* Similiter Lambinus a. 1569 et qui eum secuti sunt: *M. P. Cato ex libro secundo Aemilii Probi, seu Corn. Nepotis.* Eadem habet Chytræus a. 1577, et in calce Catonis verba ista ex editione Argentoratensi suscepit: *Finis Aem. Probi de Vitis Exc. Imper.*, et denuo incipit *Vita T. Pomp. Attici ex Corn. Nepote.* In eodem errore de auctore Catonis versatus est *Caspar Varrerius,* qui in Censura de Beroso (Romæ 1565) p. 20: *mirum*

plane, inquit, *quantum mutatus* (interpres spurius Daretis Phrygii) *ab illo Nepote, Romanarum historiarum celeberrimo scriptore; ex cujus tanti et praeclari ingenii monumentis sola T. Pomp. Attici vita, quam diligenter et eleganter scripsit, temporis injuria superfuit.* Ita *Onuphrius* quoque *Panvinius* (✝ 1568) in Antiquitatum Veronensium L. VI. p. 145 *Nepotem scripsisse* ait *disertissime illustrium virorum vitas, quarum tantum Pomp. Attici exstet, quae ceterarum facile specimen possit judicari.* Decepti sunt Magius, Varrerius et Panvinius paucis codicibus et editionibus, in quibus Probo adscriptus erat anonymo auctore Cato, quippe qui facile in numero imperatorum collocari potuerat. Sed postquam plures codices collati de Nepote auctore Catonis dubitare non siverunt, Gebhardus in editione (Amstelodami 1644) et post eum Boeclerus in postrema sua editione (Argentorati 1656), Bosius (Lipsiae 1657) et Staverius (Lugduni Batav. 1734) titulum sibi sumserunt: *M. Porc. Cato ex libro posteriore Corn. Nepotis;* de quo tamen Bosius confitetur, se nescire, unde desumtus, et an in aliquo ms. codice inventus sit. Quo magis Nepos auctor libri de excell. ducibus habitus est, eo facilius Cato ad librum de ducibus Romanorum referri potuit. Maffei (Verona illustrata L. I. p. 43) eum unum de hoc libro nobis remansisse dicit. Quin Morhofius (in Polyhistore T. I. L. IV. c. 11 p. 855 ed. 3): *quae*, inquit, *de Romanis Imperatoribus scripsit, excepta Attici Vita et Catonis Vitae compendio, perierunt.* Harlesius (in Notitia scriptorum latinor. P. I. p. 361) eandem sententiam amplectitur, qua nihil absurdius duco, cum Atticus nunquam imperator fuerit, imo in bello civili quietus neutras partes secutus sit, ut in ipsius vita (c. 7 et 8) exponitur.

Et titulus vitarum Attici ac Catonis, et finis post Hannibalem notatus, et carmen finale, et locus varius, quem Atticus et Cato in antiquis libris tenent, satis superque docent, hos non ad librum de exc. ducibus pertinere, neque Nepotis nomen librarios latuisse, sed a Probo accuratissime distinctum esse. Optimus codex Guelpherbytanus hunc ordinem servat, ut post Valerii Maximi dicta et facta memorabilia Attici vitam e Nepote, tum Aem. Probum cum carmine ad Theodosium, deinde Catonem e Nepote, fragmentum Corneliae, tandem historiam de Ptolemaeo, Pyrrhi filio, ex Justini Histor. XXV, 4, 8 exhibeat. Pariter separatur Cato ab Attico isque in medio Probo collocatur in cod. Vindobonensi 241, ubi ejusmodi ordo vel confusio est: Hannibal, Hamilcar, Timoleon, Epaminondas, Cato, Corneliae Gracchorum matris epistola, Pelopidas, Agesilaus, Eumenes, Phocion, Timotheus, Miltiades, Themistocles et ceteri

consueta serie usque ad Thrasybulum, deinde Iphicrates, Chabrias, Conon, Dion, Datames, Atticus. Nec non in cod. Florentino et Chisiano secundo idem ordo vitarum et Cato post Epaminondam comparet, præterquam quod ille epistola Corneliæ, atque uterque Thrasybulo, Datame et Attico caret. Quæ perturbatio nescio an inde orta sit, quod nonnulli libri partem tantum vitarum exhiberent, alii postea varias partes fortuito congererent. In Epaminonda et Datame aliquot libri finire potuerunt, iisque Cato et Atticus adjecti; atque revera editio princeps subscribit: *Epaminundæ* (*Datamis*) *vita feliciter finit*, quod in ceteris apponere non solet. — Alii Aem. Probo præfigunt Atticum et Catonem e Corn. Nepote; ita Parisiensis 5826, Mediceus B et Patavinus, quem ego contuli. Mediceus et Patavinus addunt post Catonem quoque epist. Corneliæ, subsequitur delectus vitarum Probi, ille tantum Probi præfat. ad Atticum, Timoleontem, Hamilcarem et Hannibalem, hic in compendium redactas vitas habet Hannibalis, Hamilcaris, Miltiadis, Pausaniæ, Lysandri, Alcibiadis, Thrasybuli, Cononis, Iphicratis, Chabriæ, Timothei, Datamis, Epaminondæ, Pelopidæ, Agesilai et Timoleontis. Plerique Atticum et Catonem, vel Catonem et Atticum Probo postponunt. Vossianus C secundum catalogum impressum exhibet primum, quod inest in Mediceo, Atticum, Catonem, fragmenta Corneliæ, Timoleontem, Hamilcarem, Hannibalem, tum addit, tanquam centonem ex alio codice, Miltiadem ceterosque usque ad Lysandrum. Quare noli mirari, ejusmodi libros mutilos esse. Qui Catonem et Atticum jungunt, eorum plerique Attico, codex collegii Romani Catoni priorem locum assignant.

Itaque falluntur, qui nomen veri auctoris antiquitus evanuisse, Probique substitutum esse dicunt, ut Harlesius in Notit. scriptor. latin. P. I. p. 363: *Probus vero*, inquit, *Nepotis volumen sua et avi manu forte ornatum atque expolitum, neglecto veri auctoris nomine, obtulit imperatori.* Apparet certe in codd. Nepotis nomen, sed ut ab auctore libri de exc. ducibus distinguatur. Quin ubi sciolus quidam confuse subscripsit, diversitas auctorum tamen in titulis religiose observata est: ita in codice Collegii romani præcedit: *Probi Aem. vitis illustrui virorum libellus aureus hac emendatissimus;* sequitur: *Ex libro historiarum latinarum Corn. Nepotis Catonis Majoris vitæ brevis descriptio*; deinde: *Pomp. Attici vita et mores.* Tum subscribitur: *Aemylius Probus de illustribus ducibus exterarum gentium explicit.* Subjiciuntur: *verba Corneliæ Gracchorum matris ex Corn. Nepotis libro excerpta;* in fine male subscribitur: *Hi sunt, quorum vita ab Aemylio Probo descripta hoc codice continentur.*

Licentias egerunt recentiores editores, qui non modo subscriptiones mutarent, sed titulum libri inverterent.

A. Schottus quidem non improbandus esse videtur, qui librum de excell. ducibus a Nepote segregavit. Nam sine Catone et Attico Francofurti 1608 in folio edidit: *Corn. Nepotis vulgo Aem. Probi de vita exc. imperatorum græc. ac romanorum.* Deinde ibidem a. 1609 in folio evulgavit: *Corn. Nepotis Opera, quæ quidem exstant, historica virorum domi militiæque illustrium Græcorum Romanorumque.* Hic Catonem et Atticum tanquam fragmenta libri de viris illustribus c. V, 11 recte collocavit.

Neque vero committendum, ut fortuito nexu compareant, quæ de Nepote supersunt, sed disponenda sunt probabili conjectura, quam §. 2 exposuimus et jam prosecuturi sumus hoc modo.

Corn. Nepotis Chronica libri tres: Catullus Carm. I. fragm. c. 1 (secundum vulgarem ordinem), quibus addendum aliud e Tertulliani Apologet. c. 10 et ex eo Minuc. Fel. in Octavio c. 22, ubi Saturnum hominem fuisse ait. Huc quoque referri possunt fragm. c. 7 et 8, quamquam *Geographica* quoque a Nepote scripta esse Schlegelius p. 14, Heldius (prolegom. p. 15) et Titzius (præf. ed. Cornel.) rati sunt: qua in re præiisse Apollodorus existimari potest, qui περὶ γῆς scripsit, sicut in Chronicis componendis Nepos libro Apollodori τῶν χρονικῶν usus est e sententia Heynii ed. Apollodori prima p. 1088.

Corn. Nepotis Exempla, fragm. c. 2. c. 10. c. 11, 1 et forsitan c. 8, 6.

Cornelius Nepos de viris illustribus: L. II. fragm. 3, 1; liber de historicis græcis (XII ut videtur), fragm. seu mentio facta in Probi Dione 3, 2 de Philisto; liber de historicis latinis (XIII ut videtur), procemii loco fragm. Guelpherbytanum prius, tum Cato et Atticus, ille præcedat ut sæculo prior, deinde fragmentum epistolæ Corneliæ Gracchorum matris, post de Albino et Pilito fragm. 3, 2. 6, 3. Subjiciatur liber de poëtis latinis, fragm. de Terentio 6, 1. 2; liber XV et XVI e Charisio fragm. 3, 3. 4; liber de regibus Romanorum, fragm. de Tarquinio Prisco 10, 6; liber de imperatoribus Romanorum, memoratus a Probo in Hannibale exeunte, fragm. 9, 1. 3. 4. 11, 2 de Lucullo, Marcello et Augusto. Subsequantur incerta quo libro virorum illustrium posita fragm. 3, 5. 6. 9, 2.

Corn. Nepotis libri de vita Ciceronis, fragm. c. 4, et ut videtur posterius ex codice Guelpherbytano, quo natura Ciceroni donum poëticum negasse dicitur, quamvis huic quoque studio se dederit, unde egregie illustratur Cic. Epist. ad Attic. L. 16 ep. 5, 5.

Corn. Nepotis vita M. Porcii Catonis separatim edita, cujus meminit ipse in Catone superstite.

Corn. Nepotis epistola ad Ciceronem, fragm. c. 5.

Incertum denique quo scripto Nepotis obvium fragm. 6, 4.

Poëticen attigisse Nepotem Maffei (Verona illustrata L. I. p. 44) conjicit e Plinii epist. V, 3, 4, ubi ille cum Accio, Ennio et Virgilio nominatur, qui sanctitate morum conspicui carmina composuerint, et sane Catanæus ad Plin. L. IV. ep. 28 observavit, epigrammata Nepotem lusisse, quo vero auctore hæc dicat nescio.

Pars secunda.

Sententiæ eruditorum de auctore libri dijudicatæ, meaque interposita.

§. 5.

Priusquam memorabile illud epigramma ad Theodosium repertum est, Aemilius Probus æqualis T. Pomponii Attici ideoque scriptor aureæ ætatis existimatus est. Magnam dubitationem injecerunt isti versus, atque quæstionem de auctore moverunt, non quidem quis esset, qua de re primum non dubitatum est, sed quæ esset ejus ætas, cum Attici mentio in prologo et alia nonnulla Julii Cæsaris tempora, dedicatio vero in calce libelli Theodosii ævum recordarentur.

Hieronymus Magius prius quidem in præfatione adnotationum suarum in Aem. Probum cum ceteris pro comperto habuit, eum Pomp. Attici ætate floruisse. *Verum ut hoc amplius ita apud me ratum non sit*, scribit idem in epistola ad Angelerium et Ligium notis ejus in Prob. subnexa, *sed ut in eo plane ambigam, conjecturarumque et argumentorum fluctibus nunc huc nunc illuc jacter, ii efficiant versus, quos pridem in calce Burgensis cod. ms. sub Probi nomine (nisi alterius Probi sunt, eo ab imperito scriba transvecti).... animadverti et non sine voluptate atque admiratione legimus.... Si Pomp. Attici ætate floruisset Probus noster, ac tanti viri amicus exstitisset, utique ejus ap. Ciceronem Attici familiarem, ut aliorum complurium Attici amicorum, in epistolis, aut apud Corn. Nepotem in Attici vita, aliqua mentio, quæ tamen nulla est, haberetur. Sed hic aliquis dixerit: Si Theodosiorum ætate Aemilius Probus vitam inter homines vivebat; undenam in titulum operis, in Præfationis exordium, et in Catonis vitam, Attici nomen irrepsit?* Respondeo,

alium fuisse hisce temporibus Atticum, virum clarissimum, qui cum Cæsario quinquennium antequam Theodosius Junior imperare cœpisset, scil. anno a virgineo partu CCCC Consul fuit, cujus etiam Consulis mentio exstat in Codice Theodosiano lib. 2 sub titulo ultimo: et lib. 9 tit. 3. Atque huic Attico, cui postea ex librariorum inscitia et errore Pomponii nomen additum sit, vel potius die lustrico a parentibus in honorem familiæ, et in memoriam T. Pomp. Attici inditum: suspicari licet, dicatum fuisse librum Probi priorem Græcorum imperatorum vitas continentem, tanquam Attico Atticorum Græcorumque res maxime convenirent: posteriorem vero Romanorum Impp. vitas, quæ ad ætatem nostram non pervenerunt, continentem, Romanorum Imperatori Theodosio inscriptum fuisse: unde merito in calce Burgensis exemplaris MSti relatum ad Theodosium epigramma tanquam in limine alterius libri Theodosio dicati habeatur. Quamquam permirum esset, dedicationem ad alterum librum pertinere, cum illa superstes sit, hic interierit.

Magii epistola *Robortello* persuasit, Aem. Probum non Pomp. Attici, sed Theodosii ætate floruisse *). Eundem vero Magium conjecturæ de Attico consule (a. 397) quasi pœnituit **), cum in codice Arlenii ab initio libri nostri legi vidisset: *Non dubito fore plerosque, qui Atticæ hoc genus scripturæ leve etc.* A principe Græciæ civitate eam scriptionem appellari putavit Atticam, quod Græcorum imperatorum vitas complexura esset, licet id non admodum proprie dictum ei videretur, cum sermone usus sit latino, non græco. Quam opinionem perstringit Lambinus (in præfat. editionis), *quasi sermo a natione personarum, de quibus habeatur, sit appellandus græcus, aut latinus, aut gallicus, aut hispanus.* Tum vero oblitus esse Magius videtur, in Catone exeunte, quem pariter Probo adscripsit, nomen T. Pomp. Attici nihilo minus remanere. Jam antiquiores critici id egisse videntur, ut incommodum Atticum in exilium mitterent. Namque præter Arlenianum codex Mendosianus scripturam *qui Atticæ* agnoscit, ad quam inversionem prona fuit via, cum e. g. Marcianum A e finales et æ indistincte scribere animadverti. Tum codex Leidensis prorsus omisit *Attice.*

Neque vero difficultates sententiæ suæ de ætate Probi contrarias dissimulavit Magius: quod vulgata operis inscriptio et Catonis vita Pomp. Attici mentionem contineat: *quæ loca corrupta et mendis*

---

*) Angelerius et Ligius in epist. ad lector. notis Magii subjuncta.

**) In Miscellan. L. IV. c. 18.

maculosa esse ex nuda conjectura contendisse non datur. Accedit dicendi phrasis et loquendi modus meo quidem judicio, inquit, *melior et elegantior in hoc auctore, quam in iis reperiatur, qui Theodosiorum seculo scripserunt, cum lat. linguæ dignitas obsolevisset, et candor barbarica quadam fæce esset coinquinatus . . . . Accedunt Probi ipsius testimonia nonnulla.* **Profert nimirum Magius loca I, 6, 2. VIII, 2, 4. XVII, 4, 2. XVIII, 3, 4. 8, 2, quæ primo aspectu Julii Cæsaris et Pomp.Attici seculo quadrare videntur.**

§. 6.

Quæ cum in utramque partem disputata essent, opposita subito exorta est sententia, ita ut Probum quidem Theodosii ævo relinquerent, scriptum vero ei ereptum ad Pomp. Attici ætatem referrent, aliumque auctorem comminiscerentur. Primus *Carolus Langius* Bruxellensis id egit, cum anno 1563 (quo etiam Magii editio prodiit) in prima sua editione (Antverpiæ apud Silvium in 8) Officiorum, Catonis, Lælii, Paradox. et Somnii Scipionis Ciceronis ad Offic. I, 44, 155 (fol. 145 b) scriberet: *In unico libro Lysis recte scriptum fuit. Lysias enim rhetor nihil ad hunc locum. Lysis Tarentinus, Pythagoræ auditor, Thebas confugit, et Epaminondæ ibi præceptor factus est. Diogenes, Pausan. et Plutarch. de Musica. Nepos quoque Cornelius in Epaminonda: carmina, inquit, cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare a Calliphrone: at philosophiæ præceptorem habuit Lysin Tarentinum, cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et severum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate anteposuerit.* Idem Langius, quod primum de Nepote Cornelio tanquam auctore Epaminondæ audacter affirmat, in altera editione, cujus notæ in Schotti Observationum Humanarum Libris V (1615. 4) repetitæ sunt, cautius ita restringit (p. 410): *Nepos quoque Cornelius, seu quis alius, in Epaminonda* etc.

Langius quidem non ait, qua re permotus Epaminondam novo auctori adscripserit; sed conjectura assequi licet, Magii quæstiones eo adduxisse: Magius enim præfationem editionis suæ Julio 1562 subscripsit, quo anno forsitan impressa est, licet annum sequentem præ se fert. Itaque Langius reputans, et Catonem et ceteras vitas in uno corpore quasi ejusdem auctoris in aliquot libris scriptis atque editis inveniri, in Magii editione Catoni titulum dari: *e Probi libro posteriore,* clausula Hannibalis nexum Catonis cum antecedentibus et unum auctorem significari, tum vero in suo codice, quem cum Pighio communicatum esse diximus, Catoni ita inscriptum esse: *Vita M. Catonis e Corn. Nepote de Viris illustribus,* argumentatus

esse videtur, non magis Catonem quam ceteras vitas cohærentes Aem. Probo abjudicandas esse: qua nova via difficultates ævi Theodosiani optime expediri forsitan arbitratus est. Sic error de Probo Catonis auctore, in quo Magius versabatur, oppositum errorem de Nepote auctore omnium vitarum peperisse videtur.

Ea opinio Langii licet silentio prætermissi exinde invaluit. *Petrus Pithœus* in Adversariorum subsecivorum L. I c. 10, quorum præfationem Octobri 1564 subscripsit, ita memoriæ prodidit p. 39 ed. Basil. (Gruter. Lamp. Cr. T. II p. 756): *Aemilius Probus, sive is Cor. Nepos sit, in Alcibiade: Iidem illi Olympiadæ sacerdotes resecrare sunt coacti, qui eum devoverant.*

Hubertus Giphanius jurisconsultus, Antwerpiæ a. 1566 Lucretium edidit, ibique in Conlectaneis Lucretianis v. Refutatus: *cupio*, inquit, *purissimum illum scriptorem aliquando castigatiorem edere, quem tum docebimus esse Corn. Nepotem, non vero Aem. Probum, ut vulgo putant.* In Mureti Epistolis L. I, 74 exstat una Huberti Giphanii ad Muretum Venetiis 1569 data, in cujus fine: *libellus*, inquit, *qui vulgo Aemil. Probus, a me certissimis rationibus in Lucretium plurimis in locis Corn. Nepos dicitur, de illustribus imperatoribus græcis.* Promissam editionem non dedit quidem Giphanius, sed apparatum manu scriptum reliquit titulo: *Corn. Nepotis Opuscula et Fragmenta diligenter ex veteribus codicibus collecta et emendata. In eadem Commentarii* *).

Dionysius Lambinus, professor Parisiensis, opinionem ingloriam Giphanii et Pithœi, quam ipsi Langio debebant, surripuit. Certe Lambinum non latuere Pithœi adversaria subseciva, ex quibus emendationem quandam loci Plautini in suum usum convertit. Giphanius autem in literis ad Muretum datis **) conquestus est, Lambinum in explanationibus Nepotis seu Aemilii Probi ipsius conlectanea in pluribus locis exscripsisse. Cui Muretus (Ep. L. I, 77) respondit: *Contuli loca, quæ notaveras, et admiratus sum hominis impudentiam: quam tamen in memet ipso jam pridem expertus eram* ***). Primus quidem Lambinus in editione Parisiis a. 1569 in 4 excusa cum alias licentius conjecturis inhians, tum titulum libri ita mutare ausus est: *Aemilii Probi seu Corn. Nepotis excellentium imperatorum Vitæ.* Attamen ipse eam rem non tanquam a se inventam vendidit, sed

*) v. Fischer. in præfat. ad edit. suam secundam p. XXIV.

**) Mur. L. I, ep. 76. cfr. L. I, ep. 74.

***) Cfr. Mur. L. II, ep. 7.

in præfatione ab initio lectorem monuit, auctoris mentione facta: *sive sit is Aemilius Probus, ut plerique putant, sive Corn. Nepos, ut nonnulli malunt, sive quis alius.* Falluntur sane Fischerus in præfatione editionis suæ secundæ pag. XLIII et Harlesius in notitia scriptorum latinorum P. I. p. 365, qui Lambinum primum vitas Corn. Nepoti tribuisse existimarint.

In præfatione Lambinus de auctore vitarum minus confidenter, quam hodierni quidam eruditi, disputans: *Difficile quidem,* inquit, *et periculosum judicium est; verum tamen, cum et mihi persuasum sit, has vitas, antequam imperatores perpetui dominatum Romæ obtinerent, esse scriptas, et Probus non sit illorum priscorum temporum cognomen, sed recentiorum, et longe posteriorum: mihi videtur Corn. Nepos potius, quam Aemilius Probus, verus hujus libri parens et auctor esse agnoscendus: ita tamen, ut suum cuique judicium liberum relinquam, neque hoc mihi sumam, ut, qui aliter sentiant, tanquam desipientes, aut errantes, a me condemnentur.* Vide, quam sit lubrica et fallax conclusio a temporis ratione ad Corn. Nepotem, in ubertate bonorum scriptorum illius ætatis. Cæterum verecunde et dubitanter sententiam suam exponit, pergit in commentario Probum excitare, et in dedicatione ad Henr. Valesium fatetur, *non satis constare, quis sit harum vitarum scriptor.* — Locis a Magio prolatis, quæ Julii Cæsaris ævum referunt, alia Lambinus adjunxit, I, 6, 1. 8, 3. X, 9, 5. XV, 10, 3. Sed cum quilibet scriptor quolibet tempore ejusmodi verbis uti potuit, tum I, 8, 3 de justo tyranno mentio est; imo blande allusisse ad Theodosium videri potest, cum de Miltiade tyranno diceret: *non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinebat.* Tum quæ ad liberum statum reipublicæ alludere videntur, ne Nepoti quidem quadrarent, qui si auctor libri de exc. ducibus fuisset, eum non jam Cæsare superstite scripsisset. Nam Attici vita ex libro de historicis latinis fuit, postea vero scriptus esset liber de ducibus, quippe in quo X, 3, 2 liber de historicis excitatur, Attici autem vita (11, 2) post prœlium Philippense interitumque Cassii et Bruti a Nepote conscripta est, imperante Augusto. Neque igitur Lambinus et qui eum secuti sunt (nuper Lieberkühnius pag. 70 sq.) vicerunt, vitas nostras ejus ævi esse, quo resp. rom. populari potentia et optimatum principatu gubernabatur. Quo accedit, ut germanus Nepos in vita Attici cap. 7 sqq., ubi illa turbulenta tempora Cæsaris, Pompeji, Antonii et Octaviani diserte attingit, secus ac Probus sentiat, non carpens, sed, ut historici est, sine ira et studio narrans, imo cum quadam laude Octaviani mentionem injiciens, c. 19, 2: *tanta prosperitas*

Cæsarem eum est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit; et conciliarit, quod nemo adhuc civis romanus quivit consequi. Qui tibi persuadere potes, eundem *singularem potentiam* in Dionis vita sincere perstrinxisse? Quæ cum invicem comparaveris, illa tela omnem vim perdunt, et sententiæ libertatis amorem spirantes, Nepotis ficto nomine effusæ, fucatæ esse videntur. Contrariæ sententiæ verius aperiunt animum nostri, qui in Chabria c. 3, 3 ait: *Est hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius; neque animo æquo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam.* Ab eodem in Timotheo c. 3, 5 populus Atheniensis dicitur *acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ.*

Lieberkühnius in quæstionibus criticis de auctore vitarum pag. 71 magna emphasi contendit, postquam illa loca et Timoleontis 1, 1. 5 excitavit: *Vix est, quod doceam, hæc nec ævi Theodosiani ingenium præ se ferre, quo ne cogitabantur quidem talia, nec secundo sæculo apte tribui, ubi, quamvis a paucis sensa fortasse, tamen propter Cæsarum ingravescentem dominationem in medium proferri non poterant. Sunt enim tam gravia tamque in omnem singularem potentiam acerba, ut non nisi in libera quadam civitate dici potuisse videantur.* Ei oppono Lactantium Firmianum, qui libro VII. de vita beata c. 15 pag. 942 ait, *Romam bellis civilibus laceratam atque intestino malo pressam rursus ad singularis imperii regimen recidisse, quasi ad alteram infantiam revolutam.* Idem L. I. de falsa religione c. 15 pag. 101 Cæsarem patriæ parricidam vocavit, et L. VI. de vero cultu c. 6 pag. 729 dixit, *Pompejum victum cum ipsa libertate occidisse.* Quæ cum sentiret et scriberet Lactantius, Constantinus M. tantum abfuit, ut eum puniret, ut a. 317 eum Nicomedia in Galliam vocaret Crispumque filium bonis artibus informandum ei traderet.

§. 7.

Originem vulgatæ opinionis de Probo Lambinus explicaturus eam viam ingressus est, ut Probum in epigrammate non parentem libri sed *librarium* se gerere et ab aliis cum ipso auctore confusum esse existimaret. Consentiunt Savaro in præfat. editionis, Ger. Jo. Vossius lib. 1 de historicis latinis c. 14, Morhofius in polyhistore T. I. pag. 855 ed. 3. Pravum exscriptorem eum habuit Schoppius: *In Nepotis vitas,* inquit, *dubium non est, nonnulla posterioribus sæculis irrepsisse ab ævi Augustei auro remotiora, Aemilii, credo, Probi opera.* Aeque Heusingerus iudicavit, ex mutilo et corrupto codice, quem

Aemilius Probus scripsisset, nostros omnes fluxisse. Eam opinionem, cur nomen Cornelii intercidere et Probi substitui potuerit, excoluit Janus Gebhardus in Spicilegio ad præfat. Corn. Nepotis. Quæstionem propositam ita resolvit: *Libellus hic seculi lapsu et incuria e manibus hominum, fortassis et memoria exciderat, in aliquo Bibliothecæ angulo abstrusus. Ut suo tempore vel Augusti, favorem demereretur Aemilius Probus, denuo eum protraxit suumque nomen alieno ac prisco splendore illustratum ivit.* Cum eo faciunt Sabbathier Dictionnaire pour l'intelligence des Auteurs class. T. XXX p. 117, Fabricius, Tzschuckius in procem. ad Nep. pag. XIV sq., Bardilius in Testimoniis editioni præfixis p. CII sq. et Jo. Christoph. Dæhnius in disputatione de vitis exc. imp. Corn. Nepoti non Aem. Probo attribuendis (a. 1827). Dæhnii Censor in Litteraturblatt zur Schulzeitung Juliheft 1827 putavit, Probum vitarum delectum e majore opere Nepotis de viris illustribus edidisse. Kohenius (considerazioni sul saggio di Rinck pag. 18 sq.) conjecit, Aemilium suum aliquod opusculum jam deperditum una cum Nepotis nostris vitis, suppresso auctoris nomine, Theodosio obtulisse, ideoque et auctoris et librarii titulo dedicasse.

Sed insolitum est, quemquam seu casu scripta aliena ad nomen suum trahere, seu consilio ea sibi arrogare; contra consuetudo fert suum scriptum alii supponere, et claro nomine ornare. Quodsi in libris nothis duo auctorum nomina perhibentur, non fieri solet, ut memoria celebrioris a deteriore offuscata sit, quemadmodum in nostro libro evenisse autumant, sed nomen obscurius, a clariore lucem mutuatum, semper verius esse creditur. Sic vulgo libellus de viris illustribus urbis Romæ Corn. Nepoti in libris scriptis et impressis male attribuitur, in aliis tamen Aurel. Victori, quem merito probant viri docti. Non minus perperam ad Corn. Nepotem refertur epistola commentitia de mirabilibus Indiæ, quæ latine exstat, cum inscriptione: Alexander M. Aristoteli præceptori suo salutem dicit *). Nec non Daretis Phrygii historiam excidii Trojæ convertisse in codicibus dicitur Corn. Nepos, quo tamen communi eruditorum suffragio indigna esse versio existimatur. Andreas Schottus ad Fragm. Nepotis ex Guilielmi Camdeni historia Angliæ docuit, Josephum Iscanum circa a. 1220 illud scriptum confecisse, cujus libri sic probabantur, ut ad veterum scriptorum laudem pervenerint. Præfixa est spurio Dareti epistola ad Sallustium Crispum, qua falsarius affirmat, se Daretem e græca in latinam linguam Athenis transtulisse. Tantum abest igitur, ut miremur, Probum pariter ad Pomponium Atticum præfatum esse,

*) Fabricii biblioth. lat. III, p. 117.

ut res nova atque inaudita sit, si celeberrimus Nepos verus auctor fuerit, cum in ignoto auctore Probo consentiant ad unum omnes codices. Critici est, difficiliores scripturas, dummodo quodammodo probabiles sint, præferre; difficilior autem est ideoque præferenda ea, qua ignobilis Probus auctor fuisse, isque licet æqualis Theodosii Pomponio Attico dedicasse opus traditur. Quin unanima eam complectitur traditio.

Porro dispiciamus, librarione Probo contingere potuerit, ut Nepotis librum tanquam suum arriperet. Equidem non memini, unquam librarium mercede conductum laborem manus cuiquam, nedum imperatori, dedicare, multo etiam minus ejusmodi verbis:

Vade, liber noster, —
Cum leget hæc Dominus, te sciat esse meum.

Cum opera librariorum cuncti veterum libri propagati sint, unicum, quæso, exemplum cum hujus rei mihi proponite, tum aliud scriptum ab uno e plurimis librariis nomen traxisse. Durissima vero est conjectura, quæ rebus inusitatis nititur. Audio Bardilium l. c. p. CIII dicentem, simile aliquid in Cæsaris Commentariis accidisse, quos a Julio Celso (sec. XV) recensitos, aliquot medii ævi scriptores ad eundem Celsum auctorem retulerint. Sed cum Probum omnes codices agnoscant, Celsus ne unum quidem codicem Cæsaris occupavit, nonnisi cerebrum duorum criticorum, Carrionis et Floridi Sabini, quorum nugas dissipavit Gerh. Jo. Vossius in Historic. cat. L. I. c. 13. — Deinde Kohenius tergiversatur, quasi Probus suum opusculum aliud, non amplius superstes, imperatori fortasse obtulerit. Verumtamen Probus ut librarius seu editor nullo modo locum occupare potuisset, qui Nepoti debuisset. Supponit enim ea opinio duas res aperte falsas. Primum oblivio Nepotis Probo usui et lectoribus fraudi fuisse existimatur. At Nepos bene agnoscitur in Catone et Attico, ut docuimus, finis Probi post Hannibalem distincte indicatur, et tamen verisimile est, Probum una Nepotis vitas superstites de viris illustribus Theodosio in uno corpore obtulisse. Cur his Nepos inscribitur, illis de excellentibus Ducibus Probus? Non est, quod illius memoria exciderit, sed quod hunc auctorem esse constiterit. Tum vero stupendam stultitiam apponi oporteret, vel Probo, qui sub Theodosio scriptum Nepotis sibi adscripturus, non tamen dedicationem ad Pompon. Atticum mordicus abstulisset, vel ipsi Theodosio, omnibus lectoribus et librariis posterioribus, qui aliquot versibus decepti, hominem sui æqualem Pomp. Attico dedicare libellum æquo animo ferrent eumque cæcati auctorem scripti Corneliani e tenebris in lucem prolati haberent. Aequalibus potius quam nobis Aem.

Probus, ejus ars scribendi, atque is, cui liber dedicatus erat, noti fuerunt. Hos sane magis etiam nobis Attici aliarumque ejusmodi rerum mentione offendi oportuit; nihilo minus Probum auctorem statuere, id quod facere non potuissent, nisi esset. Posteritas neutiquam eo adduci potuit, ut anonymum forte libellum Aem. Probi nomine insignire cœpisset: ex epigrammate debuisset, ut volunt; hinc vero nomen *Aemilii*, quod ibi non deprehenditur, desumere nequivit. Ab omni parte apparet, neque consilio decipiendi, neque fortuito errore antiquitatem seduci potuisse, ut Aem. Probum loco Nepotis poneret, librario vel editori jura auctoris vindicaret. Si homo Theodosio æqualis talia scripsisse olim putabatur, investigandum est, quomodo id fieri potuerit, dedecet vero nodum Gordii gladio cædere, alium auctorem substituendo.

Nova res, quanquam parum firmata, ejusque patronus Lambinus, qui summæ doctrinæ et auctoritatis illis temporibus fuit, permultos asseclas habuerunt. Seculo XVI tamen viri docti modestius rem in dubio reliquerunt. Triennio post editionem Lambinianam a. 1572 in 8 min. *Henricus Stephanus* addidit operibus Plutarchi T. XIII Aem. Probi vitas, in quarum fronte nullus est Nepos. Complectitur *Vitas exc. quorundam imperat., nimirum vitas Hannibalis et Scipionis a Donato Acciaiolo, cæteras vero ab Aemylio Probo conscriptas.* P. 85 tamen legitur: *Aem. Probi, seu Corn. Nep.;* paginis inscribitur semper *Aem. Probi — Miltiades* etc. A. 1577 in 4 prodiit Francofurti ad Mœnum: De vita excell. imperatorum liber, sive Aem. Probi vel Corn. Nepotis, ex emendatione Lambini opera *Nathanis Chytræi**). In clausula libri nonnisi Aem. Probum appellavit, et in præfatiuncula ad lectorem Chytræus: *auctor libri de vitis excell. imper., sive is sit Aemylius Probus, sive, ut aliis placuit, Cornelius Nepos.* In bibliotheca Seminarii patavini raram editionem deprehendi titulo: Vitarum Plutarchi Epitome, hoc est, Græcorum et Romanorum illustrium res gestæ, in compendium redactæ per *Darium Tiberium* equitem Cesænatem. Primæ editioni auctoris epistola ad

*) Chytræus tamen non omnes scripturas a Lambino insolentius immutatas adoptavit: maluit V, 4, 3 lectionem priorum editionum *convocatos* retinere, quam correctionem Lambini *non vocatos* recipere. Secutum tamen eum esse vidi Lambini audaciam, e. g. VII, 11, 1. consenserunt, X, 1, 4. XVI, 2, 4 imperiosa majestas, XVII, 1, 2 Proclis et Euristhenis, XVII, 1, 3 harum; XVII, 1, 4 vivus. XVIII, 11, 3 uteretur. Datamem verbis incipit: *Venio nunc*, agnoscit titulum *de Regibus*, *præfationis* notam non habet.

J. Cæs. Cantelmum a. 1492 præfixa erat; alteri a. 1597 in 16 apud Jac. Stoer accesserunt: *Aem. Probi Vitæ excell. imperat.* Neque tamen omnes continentur: post Othonem pag. 487 Miltiades inscribitur, auctore non nominato, qui in titulo et indice Aem. Probus vocatur. Miltiadem excipiunt Pausanias, Thrasybulus, Conon, Iphicrates, Chabrias, Timotheus, Datames, Epaminondas, de Regibus brevis notatio, Hamilcar. Subsequuntur titulo in indice posito *Ex variis*: Euagoras, Pompon. Atticus, Philippus Macedo. Sed Attici vita *in* compendium est redacta. — Ut hic Corn. Nepos omnino ignoratur, ita eodem fere tempore *Guilielmus Xylander* ad Plutarchi Alcibiadem in principio: *Auctor libelli,* inquit, *de excell. imper., qui ab Aem. Probo ad Atticum scriptus fertur.* Idem ad Plutarchi Themistoclem aunotat pag. 11 (ed Francof. 1620): *Aem. Probus, vel quicunque ejus libri auctor est, qui de excell. imp. vita scriptus ad Atticum circumfertur. Palmerius* ad Plutarchi vitam Periclis pag. 781 Tom. I. ed. Reiskii ita: *si fides sit Aemilio Probo, seu Corn.* Nepoti, *in Alcibiade.* Hier. Wolfius ad Demosth. p. 688. 708 ed. Reisk., Bongarsius ad Justinum a. 1581, Stewechius ad Vegetium de re militari a. 1592 et Cragius de republ. Lacedæmoniorum II, 2 a. 1593 simpliciter Aem. Probum excitaverunt.

Primus *Joh. Savaro* in editione (Lutetiæ 1602 in 16) Nepotis nomen præposuit Probo hoc modo: *Corn. Nepotis vulgo Aemilii Probi, quæ extant;* attamen supra paginas scripsit: *Aem. Probi — Imperatorum Græcorum Vitæ.* Id exemplum imitatæ sunt editiones Andreæ Schotti a. 1608 Francofurti in folio, Bœcleri a. 1640 Argentorati, Gebhardi a. 1644 Amstelodami, Mylii a. 1653 Lipsiæ, et Bosii a. 1657 Lipsiæ. Schottus in Observ. humanis et Nodis Ciceronianis (Hanoviæ 1615) non dubitavit scribere: *Qui Aem. Probo vulgo tribuitur de rebus et vita excellentium Impp. Græciæ elegans libellus, is meo quidem sensu germanus Corn. Nepotis ad Atticum, cui inscribitur, partus est.* Eo fere tempore Nepos excitatus est a Caspare Schoppio in Verisimilium lib. II c. 10 et Paradox. litterar. cp. 1, ab Jano Rutgersio in variarum lect. lib. I c. 9 (Lugduni Batavorum 1618), et a Bœclero de excellentibus viris a Corn. Nepote memoratis libro Commentario.

§. 8.

Caspar Barthius in Adversariis a. 1624 Francofurti primum editis lib. XXIV c. 18 scribit: *Aemil. Probum ævo Theodosiano correptorem Corn. Nepotis fuisse, peculiari a se tractatione* [nescio in qua] *nuper vindicatum esse.* Qua nova via et verba epigrammatis

et nævos permultos in vitis obvios explicari posse ratus est. Confert ibidem lib. XLII c. 29 Attici vitam *tam luculentam tamque candidam et emendate scriptam, ut non solum Aemil. Probi vitæ, quas epitomen Nepotis esse alibi probaturus sit, ad eam sordeant, sed, uno solo Suetonio excepto, nihil toto Latio inveniat exactius et suo quodam genio absolutius.* Excitavit igitur idem in Commentario ad Statii librum II Thebaid. v. 119 a. 1654 edito *Aem. Probum in Nepotis Themistocle*, ibique reprehendit *multas salebras et minime perennem illum dictionis candorem et illæsam suavitatem in docta atque prudente simplicitate; nec vero epigramma Probi pati, ut eum cum sociis solum exscriptorem arbitrari possimus.* Haud probata est sententia Barthii viris doctis, nisi quod nuper *Henricus Meyerus* Turicensis (in Diario Zimmermanni Zeitschrift für Alterthumswissenschaft, Jahrgang 1835 N. 130) secundo post Chr. n. sæculo compendium esse factum ab ignoto homine in scholarum usum suspicatus est. Eandem de epitomatore opinionem defendit *Nissenius* in dissert. de vitis, quæ vulgo Corn. Nepotis nomine feruntur (1839).

Oblocutus est jam Ger. Jo. *Vossius* in libro de historicis latinis (L. I. c. 14) a. 1627 Lugduni Batavorum primum edito: *Aliud*, inquit, *suadet operis concinnitas et illa præfandi ratio, quæ est in Epaminondæ vita ac in Pelopida in primis, ubi brevitatem justam pollicetur.*

Conjectura Barthii non explicat, quod sibi proposuit, iisdemque difficultatibus laborat, quæ opinionem de Nepote auctore premunt. Primo loco non patet, cur liber contractus epitomatoris nomen præ se ferat; namque manuscriptis Justini solemne est, præfigere speciosum nomen Trogi aureæ ætatis, ex cujus historiis Philippicis Justini epitome facta est. Deinde probe se distinguit Justinus in præfatione a suo auctore et se ex Trogo Pompejo *breve veluti florum corpusculum facere* profitetur: contra Aemilius noster nusquam ad Nepotem, sed ad Thucydidem, Theopompum aliosque provocat, ut si ipse Nepos scriberet, prologum ad Atticum intactum relinquit, aliaque ad Nepotis ævum spectantia, quæ epitomatori præ aliis prætermittenda erant, consulto servat. Eæ res non magis Probo auctori conveniunt, quam epitomatori, et si huic præfatio ad Atticum congrua esse videtur, quidni Probo tanquam auctori, sine omni artificiosa conjectura? Cum noster brevitati operam dat, se non Nepoti integro, sed aliis scriptoribus opponit, unde numquam non breves fuisse vitas nostras colligitur. Ita enim in Epaminonda, in cujus introitu c. 1, 4 materiam partitus est, c. 4, 6: *modus*, inquit, *adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum*

complurium concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt. Aliter Justinus l. 38, 3, 11 brevitati operis inserit e Trogo orationem. Rationem noster reddit XIII, 1, 2, cur de Datame plura referat: breviores igitur ab initio fuere ceteræ vitæ. De Pelopida autem dubitavit, *quemadmodum exponeret, veritus, si res explicare inciperet, ne non vitam ejus enarrare, sed historiam videretnr scribere; si tantummodo summas attigerit, ne rudibus litterarum græcarum minus lucide appareret, quantus fuisset ille vir.* Subjicit: *utrique rei occurram, quantum potero, et medebor cum satietati tum ignorantiæ lectorum.* Ita scribere nequit, qui vitas Nepotis in compendium redigit, sed qui suo Marte rem agit. Huc spectant quoque ea loca, in quibus suo consilio ad alias res transire se ait, sine duce, cujus vestigia premi oporteret. Postquam de Regibus satis dictum putavit, *non incommodum* dicit *videri, non præterire Hamilcarem et Hannibalem.* Sin dicamus, in his rebus Nepotem fideliter a Probo exscriptum esse, mirum sane sit, in multis aliis, in quibus erravit, epitomatorem suum ingenium secutum esse. Quæ errata cum explicare velimus, non verisimile est, epitomatorem isto modo Nepotem egisse. Incertum sane est, utrum arctissimum vinculum inter epitomatorem et Nepotem intercedens, an tot ineptiæ Nepoti non consentaneæ magis admirandæ essent. Scilicet quæ mutare et omittere debebat, servavit; quæ vero servanda erant, ea pervertit et inquinavit.

Repetivit Rothius p. 190 sqq. e codice Patavino vitas nostras in epitomen redactas, quas bibliothecarius Coi, a Probo profectas, vulgares vero Nepotis esse existimavit. Sed aliæ quoque vitæ æque contractæ ex Aelio Spartiano, Julio Capitolino, Volcatio Gallicano, Aelio Lampridio, Vopisco, Ammiano Marcellino et Plutarcho in eodem codice inveniuntur, quæ tamen non omnes a Probo contractæ dici possunt. Deinde nimis breves sunt, quam quæ Theodosio oblatæ videantur. Postremo non intelligitur, qui Probi nomen hinc ad integras vitas transire potuerit.

Quod denique Nissenius l. c. inter Aemilium epitomatorem et Probum ad Theodosium versus exhibentem distinguit, merum est commentum.

§. 9.

Postquam *Vossius* a. 1627 Corn. Nepoti suffragatus est, *Jacobus Lydius* quidem in Agonistica sacra 1657 (Roterodami in 12 c. 45 p. 171. 174) locum ex Alcibiade tanquam Aemylii Probi excitavit, nec non *Jacob. Masenius a.* 1659 in Palæstra styli Rom. (Coloniæ)

L. 1 c. 7 §. 4 L. V. c. 15 ad veterem opinionem de Aem. Probo inclinavit, sed *Robertus Keuchenius*, cujus editio primum Lugduni Batav. a. 1658 in 8 apud fratres Hackios, denuo a. 1667 ibid. prodiit, in tertia a. 1675 nomen Aem. Probi omittere cœpit. Ejus vidi editionem repetitam Amstelodami ex typographia P. et J. Blæu 1687. in 8. Eadem repetita Amstelodami apud Wetstenios 1707 in 8. Pariter editio Oxoniensis primum a. 1675 excusa, omittendo nomen Aemilii recentioribus exemplo fuit: Patavinæ Vulpii, Staverii (quamquam in titulo præfationis nomen Aem. Probi post Corn. Nep. admisit), Heusingeri, Fischeri, Tzschuckii et ceterorum.

§. 10.

Ego a. 1818 quæstionem jacentem de auctore libri denuo institui, ex quo tempore acriter jactata est. Antiquitati ita patrocinatus sum, ut Aemil. Probum ævo Theodosiano sine fraude nomine Corn. Nepotis librum de exc. ducibus scripsisse, mutilumque opus Cornelianum de viris illustribus supplevisse censerem, sicuti Hirtius Commentarios Julii Cæsaris et Freinshemius Curtii historiam de Alexandro supplevit. Grammaticus posterioris temporis non minus feliciter latinam dictionem imitari, ac tot viros eruditos hodiernos deludere potuit, quam Carolus Sigonius, libro de consoratione Ciceroni supposito, acutum Jos. Scaligerum decepit*). Attamen Magius, cum Probum nondum reperto epigrammate æqualem Ciceronis haberet, in præfatione adnotationum suarum verum fassus est, eum *non eo ordine, orationis filo ac lepore, quibus ejus generis et memoriæ gravem auctorem decuerit, veterum res vitasque literis prodidisse, quin aliquando in Græcis scriptoribus, a quibus multa desumserit, parum fuisse oculatum, et nonnulla ex Græcæ linguæ ignoratione invertisse.*

Ex nostra ratione omnia, quæ alias multum difficultatis præbent, plana atque explorata sunt. Noster modo Nepotem, cujus scripta complura superstitia fuere, probe agit et sequitur, modo Theodosii ævum redolet. Quemadmodum et arte et natura inter utrumque tempus medium tenet, ita utriusque speculum est ejus libellus. Nepotis verba in Attico 9, 6: *nemini in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum*, imitatus esse videtur in Miltiade 7, 3: *utrisque venit in opinionem, signum a classiariis regiis datum*, et in Pausania 4, 1: *cum ei in suspicionem venisset, aliquid de se esse scriptum***). *Fortu-*

---

*) Cf. Morhof. Polyhistor. T. I. p. 839 ed. 3.

**) Cæsar B. G. VII, 13: *venio in spem* de adjungendis civitatibus.

nam in singulari pro opibus seu pecunia usurpat VII, 9, 1: *Alcibiades sperans, ibi facillime suam fortunam occuli posse*, quo sensu Nepos quoque Atticum (21, 1) dicit *fortuna crevisse*. Ut Nepos Atticum c. 6, 5 ait *non solum dignitati servisse, sed etiam tranquillitati*, ita Probus VII, 11, 3 Bœotios scribit *magis firmitati corporis, quam ingenii acumini inservire*, XV, 2, 4 Epaminondam *non tam magnitudini virium servisse quam velocitati*, XXII, 1, 4 Hamilcarem *paci serviendum putasse**). In Hannibale 8, 3 *propius Tiberi quam Thermopylis*: eum vero modum construendi *propius* cum dandi casu observat Diomedes Gramm. I col. 405 in Nepotis fragmento 3, 6: *propius grammatico accessi*. Sic Cæsar B. C. I, 72, 5 proxime hostium castris, Liv. 21, 1, 2. Virgil. Georg. I v. 355. IV, 47 Aen. VIII, 556 Plin. L. 27. c. 9 Silius Ital. I, 13. — In Attico 4, 2: *cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui*, verba *cum quibus* non ad *reliqui* referuntur, sed ad *ferrem*, et conjunctione *ne* illata nectuntur membra periodi. Simplicius sed minus latine dixisset: cum quibus contra te arma ferre nolui; eaque mente Italiam reliqui. Idem modus loquendi e. g. apud Ciceronem Philipp. 2, 9 reperitur et Probum VIII, 4, 1: *quam quod amor civium expresserat, nullam habuit invidiam*: IX, 2, 1. — Eadem fere verba in Epaminonda 7, 1: *quod se patriæ irasci nefas esse duceret* et in Attico c. 17, 2: *ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret*, deprehendimus; unde Gebhardus contra diversitatem auctorum disputat: ego vero dubito, eundem scriptorem ejusmodi locutiones repetere, sed videntur mihi servilis imitatoris, qui memoriter tenet. Idem tamen alio loco in ipsa re Nepoti aperte contradicit. Cum enim historici de Hannibale in varias partes abirent, et Polybius auctor esset, eum ante Scipionem invictum fuisse, contra Livius, Cæsar, Nepos et Juba**), quorum auctoritatem Plutarchus in Comparatione Pelopidæ cum Marcello c. 1 prætulit, narrarent, eum a Marcello aliquoties in fugam versum esse: noster in Hannibale parum caute Polybium et Diodorum quam Nepotem sequi maluit, atque c. 5, 4. 6, 1 memoriæ prodidit: *Hannibal quamdiu in Italia fuerit, neminem ei in acie restitisse, sed eum invictum ad patriam defendendam revocatum esse.*

Dictio nostri cum seriorem latinitatem sapit, ut infra docebimus, tum formas priscas et Terentianas affectat. Accusativum pluralis ter-

---

*) Cf. Cæsar. B. G. VII, 14: *omnibus omissis rebus, bello servire*: pro qua locutione idem c. 27: *et animo et viribus in id bellum incumbere.*

**) Adde Valer. Max. IV, 1.

tiæ declinationis amat in *is*, e. g. *natantis* XII, 4, 3. Dicit XVIII, 1, 6 *alteræ alæ* XX, 3, 2 *totæ insulæ* in dativo, non tamen sibi constat XVII, 1, 3 *alterius familiæ* *): XVI, 3, 2 *uno* in dativo (ad quem locum vide Bosium), attamen X, 2, 1. XX, 1, 1. *uni*: II, 4, 4 *ingratis* pro *inviti*, ut Plautus, Terentius et Cicero in Verrem (*ingratiis*): gerundium *conveniundi*, e. g. VII, 9, 5: *revortor* X, 4, 5. IV, 2, 4 *face* pro *fac*, more Plauti: XVII, 4, 1 *ephorum* in genitivo pluralis in libris mss. et impressis, et I, 2, 1 in melioribus etiam codd. legitur *barbarum* pro *barbarorum*: VIII, 2, 2 *perniciî*, sed XII, 4, 2 vulgari more *perniciei*: VIII, 1, 5 *parserat*, ut Plautus, Terentius et Cato, licet XX, 2, 2 forma *pepercit* occurrat. Vel Sallustius Catil. 52, 33 habet *pepercit*, sed Gellius V, 14 *parsisse*. Sane in latinitate sequioris ævi nonnunquam formæ antiquæ redintegratæ sunt: e. g. prisca forma fuit *adficio*, Cicero ejusque æquales dixerunt *afficio*, scriptores sub Theodosio vigentes rursus *adficio*; quam observationem editoribus parum cognitam debemus Servio ad Virgil. Aen. I v. 620, qui ad vocem *applicat* hæc annotat: *secundum præsentem usum per d prima syllaba scribitur, secundum antiquam autem orthographiam, quæ præpositionum ultimam literam consonam in vicinam mutabat, per p.* Noster *afficere* etc. scribere solet, sed recidit quoque ad usum sui temporis, IV, 1, 2 *inlustrissimum* scribens, ut quidem Rothius edidit, sicut Scholiasta Bobiensis ejusdem ætatis in Cic. or. pro Sestio c. 67 *de viris inlustribus*. XII, 3, 3 *intuuntur*, ut Plautus, Terentius et Lucretius solent. Athenienses vocat *Actæos* VIII, 2, 1 poëtarum more, ut Ovidius Metam. I, Claudianus de raptu Proserpinæ III et Lycophron in Cassandra; sic quoque Græci dicuntur *Graji* præf. 3. II, 9, 2. VII, 7, 4. XVIII, 1, 5. XXII, 3, 4.—XVII, 8, 1 *faciem* pro totius corporis forma usurpat, prisco more, ut docet Gellius 13, 28: in Datame 3, 1 tamen hæc vox sensum vultus habet. XX, 1, 5 *facinus* præclarissimum dicit (potiorem enim duco hanc scripturam), ut Terentius, Sallustius et Tacitus (vide Indicem), nec non Cicero pro Rabirio c. 6 et idem ex poëta antiquo in Ep. ad Fam. II, 9 atque Lucilius apud Donatum ad Terent. Adelph. V, 3 in laudabilem partem acceperunt: Cæsar B. G. VII, 18 contra absolute pro scelere ponit: *facinore admisso*. XVII, 5, 2 *supplicium dare* pro *pœnas dare*, ut Terent. Heaut. 1, 1, 86 et Catull. carm. 116 v. 8. Poëticam magis quam historicam orationem decet tmesis et anastrophe VII, 8, 1: *nihil erat super*, pro *nihil supererat*: Virgilius quidem Aen.

*) Lieberkühnius p. 107 confert Cæsar. B. G. V, 27 *alteræ legioni* ibiq. Oud. p. 245.

II v. 567 ita cantat, et Tacitus Hist. I, 20 leniore modo aliam vocem ita interponit: *vix decumæ super portiones erant.* Obsoleta voce *donicum* pro donec utitur XXI, 1, 4, ut Plaut. Aulul. 1, 1, 19 Cato apud Charisium II. p. 178 ed. Putsch. et Lucret. II v. 1114. Ciceronem quoque hac voce usum volunt quidam, *sed* quæ afferunt ejus verba, dubiæ sunt lectionis, observante Forcellinio in Lex. II. p. 129. Ratione veteris declinationis nomina græca in *es* desinentia secundo casu in i inflectuntur: II, 1, 1 *Neocli*, VII, 2, 1 *Pericli*, VII, 3, 2 *Androcidi* seu *Andocidi*, XI, 3, 4 *Coti* (græce audit *Κότυς—υος*), XV, 1, 1 *Polymni* (græce *Πολύμνιδος*), XVII, 1, 2 *Procli*, XXI, 1, 2 *Hystaspi*. Quem tamen modum declinandi apud Ciceronem quoque invenimus, qui in Ep. ad Fam. L. V, 12 *Themistocli* genitivum flectit (ubi v. Victorium), idem de Divinat. L. II, 43 *Procli*, ubi unus codd. quoque in nominativo *Proclus*. Sic alii *Persi*, *Verri*, *Achilli*, ut notavit Pareus ad Sallustii fragm. c. 30. Male autem noster II, 1, 2 primo casu *Neoclus* pro *Neocles* scribit, ut quidem Rothius ex antiquissimis exemplaribus edidit; quamquam Bosius annotat, *potuisse Neoclus e præcedente Neocli, errore librariorum nasci.*— Verbum *judicare* sensu *damnandi* accipit, sicut Plautus Asin. 5, 2, 87 et Gellius 20, 1; ita enim XXII, 7, 7: *ipsum exulem judicarunt*, atque VI, 3, 5 verba: *quam vere de eo foret judicatum* æque interpretanda esse videntur, ac si scriptum esset: *quam vere condemnatus foret.* Nam si cum aliis ironice dictum accipias, seu cum Tzschuckio p. 41 ad suspicionem Lacedæmoniorum de culpa Lysandri referas, *esset* pro *foret* dici oportuit.

Cum locutiones obsoletas partim a Rothio restitutas sectando, suspicionem sæculi sui evitare voluit, tum duas dedicationes apposuit, unam fictam in fronte ad Pomp. Atticum, cujus familiarem fuisse Nepotem ex ejus vita Attici 13, 7, cujusque rogatu eum Catonis vitam separatim scripsisse norat (ex Cat. vit. 3, 5); alteram sinceram in fine ad Theodosium datam, in qua personam sibi detrahit verbis:

> Si rogat auctorem, paulatim detege nostrum
> Tunc Domino nomen: me sciat esse Probum.

Quamquam partes suas quoque oblitus est noster, observante jam Magio, in Hannibale eo loco (c. 13, 1), *ubi Attici annales citat, si Attici amicus fuisset Probus, illudque ipsi opus dicasset, id non sine aliqua honoris mentione fecisse, aut saltem Atticum suum appellasse.*

Quod prædicat de magnitudine voluminis, cujus pars sit liber de vita exc. imperatorum (præf. 7), et quod postea (Hannib. extr.)

Romanorum se explicaturum esse imperatores simulat, apprime congruit ei, qui librum deperditum operis Corneliani de viris illustribus supplere instituerat. Quod opus universum illo tempore nondum periisse putandum est; nam Servius ad Virg. Aen. I. v. 372, fere æqualis Probi, locum e Nepotis libro profert, *qui Vita Illustrium inscribitur.* Cum Probus suum librum de ducibus una cum Cornelianis de Vita Illustrium communi titulo ediderit, et in clausula se prodiderit, lectores satis moniti erant, quid de utroque sentire deberent, atque librarii edocti, ut et verum auctorem propagarent, et scripta Nepotis residua conjungerent. Ut partes Nepotis bene ageret, in Dione 3, 2 hujus librum de historicis Græcis tanquam suum excitavit, atque cum quadam emphasi: *in eo meo libro,* inquit, *plura sunt exposita.* Si hunc locum cum indice vetustorum exemplarium, vitam Catonis et Attici ex libro Nepotis de latinis historicis laudante, comparaveris, non dubitabis, quin Nepos de vita illustrium Græcorum et deinceps Romanorum exposuerit, quem eundem ordinem noster de exc. ducibus tenere profitetur. Contra tenuitas et macies vitarum admodum dissimilis gravi orationi Nepotis, ævum Flori, Justini, Ampelii et scriptorum historiæ Augustæ prodit.

Tenebræ, in quibus noster ante sæculum IV delituit, consensus totius antiquitatis de Probo auctore, quæ est gravior auctoritas quam opinio recentiorum, et tamen Probi conjunctio cum scriptis Nepotis in plerisque codd., utriusque affinitas, subscriptio codicis Arleniani: *Completum est opus Aem. Probi Corn. Nepotis*, ex nostra sententia bene intelliguntur. Accedunt allusiones ad prisca tempora, quæ ejusmodi sunt, ut consilium dissimulandi et ostentationem doctrinæ prodant, nec proprie ætatem Nepotis, sed vel superiorem, ut fieri solet, significent. Nepos quidem in Catone 2, 2 tecte alludit, non explicite suorum temporum mentione interiecta: *tum non potentia,* inquit, *sed jure respublica administrabatur.* Sed Probus contra dignitatem historiæ suis præcepta dare ausus est, cum exclamaret XVII, 4, 2: *cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent!* Concedo Lambino, hæc perspicue in C. Jul. Cæsarem dicta esse, qui invito senatu et contra leges exercitum retinuerit; sed hæc ipsa auctorem suspectum reddunt, qui si Nepos esset, sub Augusto scripsisset, ut supra docui, neque ad Cæsarem tanquam suæ ætatis imperatorem allusisset. — Ut ad eadem tempora belli civilis alluderet, bonos scilicet pro libertate fortius loqui solitos esse, quam pugnare, arripuit VIII, 2, 4 occasionem contra veritatem historiæ, ut diceret, non pro opinione Thrasybuli auctas esse opes, cum tamen e Diodoro XIV, 33 constet, brevi tempore convenisse homines mille et ducentos, et his copiis

eductis Thrasybulum de improviso in trigiuta tyrannorum castra irrupisse, eosque Athenas se recipere coëgisse. Præterea verus Nepos reprehendere non solet, si quis a bellis civilibus se abstinuit: imo laudat Atticum c. 7, qui neque a Cæsare, neque a Pompejo, neque ab Antonio steterit. — XVIII, 8, 2 de veteranis, qui occiso Cæsare secundum Ciceronem in Philipp. 1, 2. 11, 5 liberius grassabantur, male dicit noster: *periculum est, sua intemperantia nimiaque licentia ut omnia perdant, neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint.* Hæc verba ejus sunt, qui de re Romana audivit, non vero Cornelii, qui ordine rerum restituto scripsisse putandus est. Tum recte Tzschuckius p. 139 dubitavit, quomodo inimicos quoque perdere potuissent veterani, ex quorum licentia illi potius commoda percepissent. Suspicatus est, eos, *adversos quos fecerint,* fuisse duces, quibus parere recusaverint. Sed quinam tum essent ii, *cum quibus steterint?* Voluit dicere, omnia perdi, amicos non minus quam inimicos. Sed ita comparatio cum veteranis Eumenis claudicat, quorum intemperantia sibi, non hostibus, exitio fuit.

Jam totam præfationem observatione de moribus veteris Latii et Græciæ inscite replevit, quamquam ex morum diversitate non sequitur, id genus scripturæ leve esse. Ter idem narrat de Epaminonda, qui citharizare, cantare, saltare et philosophari doctus sit, et ter memorat, hæc ad Romanam consuetudinem esse levia et potius contemnenda: primum in præfatione, deinde præcipit ab initio Epaminondæ, et repetit in ejus vita 2, 3. Probi ætate hæ artes apud Romanos magni æstimabantur, in iisque jam Antoninus philosophus et Alexander Severus eruditi fuerant. Cæterum ars saltandi apud Græcos quoque parum commendabatur; Demosthenes certe de Corona p. 336 Aeschini vitio vertit: ἐχόρευες, ἐγὼ δ' ἐχορήγουν. Atque de tibiis, quibus edoctus fuit Epaminondas canere, memoria dignum est Alcibiadis dictum, nolentis tibiam inflare: Αὐλείτωσαν Θηβαίων παῖδες· οὐ γὰρ ἴσασι διαλέγεσθαι (Plutarch. Alcib. 2). Quod vero de philosophia dicit, confundit priscum ævum Catonis cum tempore Augusti, quo opera Ciceronis illa doctrina non contemtui, sed laudi fuit. Ex nimio igitur studio, de priscis moribus iterum iterumque loquendi, apparet, nostrum neque verum Aemilium, nec germanum Cornelium esse. — Subjicit in præfat. 4, *Cimoni turpe non fuisse, sororem germanam habere in matrimonio; quippe cum cives ejus eodem uterentur instituto, at id Romanorum moribus nefas haberi.* Ita est; nam Theodosius ignis pœna vetuit patrueles matrimonium contrahere. Sed de Cimone magnopere erravit noster, eumque contra veritatem historiæ purgare conatus est,

ut leges Romanas commode opponeret. Etenim Cimon habuit quidem sororem pro uxore, et Atheniensibus licuit quoque *eodem patre natas uxores ducere*, ut ait V, 1, 2, et credo iis, qui contendant, sororem germanam ex ipsius interpretatione contra consuetudinem bonæ latinitatis a nostro consanguineam intelligi et in præfat. et in Cimonis vita. Sed Cimonem cum vere germana sorore, eodem patre eademque matre nata, concubuisse, ideoque in exilium missum esse, testatur Andocides in oratione contra Alcibiadem: *Ἀναμνήσθητε δὲ καὶ τοὺς προγόνους, ὡς ἀγαθοὶ καὶ σώφρονες ἦσαν· οἵτινες ἐξωστράκισαν Κίμωνα διὰ παρανομίαν, ὅτι τῇ ἀδελφῇ τῇ ἑαυτοῦ συνῴκισε.* Pariter Cyrillus adversus Julianum L. VI: *Cimon*, inquit, *Elpinicen eodem semine et sanguine ortam pro uxore habuit; et Persas ipsos, immo et ipsum summum Jovem imitatus, eodem cum sorore toro usus est.* Rutgersius quidem in var. lection. L. I c. 9 negavit, ob istud crimen eum ostracismo potuisse ejici, *quæ non fuerit pœna scelerum, sed tantum invidiosæ virtutis velut imminutio.* Contra Thucydides L. VIII c. 73 docet, *Ὑπέρβολόν τινα τῶν Ἀθηναίων, μοχθηρὸν ἄνθρωπον, ὠστρακισμένον οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον, ἀλλὰ διὰ πονηρίαν, καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως.* Sane nisi Elpinice fuisset germana soror, iisdem parentibus nata, non vituperasset Andocides Cimonem, sed potius Solonem, qui permiserat consanguineam *(ὁμοπάτριον)* sororem ducere. Sin fuit germana, noster dicere non debuit, id Cimoni turpe non fuisse, quod Græci non minus quam Romani nefas duxerunt: v. Euripidis Andromachen v. 175 et Herodianum L. I. c. 3. Ne nuptias quidem Cimon cum Elpinice celebrasse videtur, sed adolescens insimulatus est, quod ea inceste uteretur, ut auctor est Plutarchus in Cimone 4, subjiciens, fuisse, qui dicerent, Cimonem palam sororem duxisse. — Cæterum locutio *germana* pro *consanguinea* prodit sequiorem latinitatem. Janus quidem Rutgersius l. c. a *germine*, i. e. patre, *germanus* dictum esse putavit; verum non licet vim vocis ex etymologia constituere, sed ex usu scriptorum. Atqui significat apud optimum quemque germana soror eodem patre et eadem matre natam. Virgilius quidem Aen. V. v. 412 Erycem, Butæ et Veneris filium, Aeneæ germanum fuisse dicit; sed hæc est licentia poëtica, et germanus hic indistincte loco fratris ponitur, qui fortuito tantum uterinus fuit. Eandem vim habet etymologia Varronis in libro de Gradibus (apud Servium ad Virgil. l. c.), ubi *germanus*, tanquam *de eadem genitrice manans*, derivatur. Neque tamen hinc colligi potest, Varroni *germanus* idem quod *uterinus* sonuisse. Sed Justinianus (Instit. de leg. Agn. succ. §. Hoc etiam), æque ac noster

Probus, *germanam consanguineam* sorori uterinæ opponit, itaque illam ὁμοπάτριον intelligit.

In eadem præfatione §. 4 *laudi in Græcia duci* ait *adulescentulis, quam plurimos habere amatores.* Ipse tamen IV, 4, 1 parum memor Pausaniam *amore Venereo* puerum dilexisse dicit, ubi Thucydides, quem expressit, παιδικὰ scripsit. Staverius recte auctorem erroris accusat, qui Græca παιδικὰ obscœno sensu interpretatus *sit*, cum antiquitus de honesto amore caperetur. Honestius hac de re locutus est VII, 2, 2. 3. Insigne est dictum Philippi, qui cohortem sacram Thebanorum ex amantibus consistentem concisam admiratus, illacrymans ait: Ἀπόλοιντο κακῶς οἱ τούτους τι ποιεῖν ἢ πάσχειν αἰσχρὸν ὑπονοοῦντες (Plutarch. Pelopid. c. 18). — §. 5 cum legimus: *in scenam prodire et populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini,* rhapsodi cum histrionibus confunduntur. Aliter sentit Demosthenes de more Græcorum, qui de Corona p. 288. 308. 317. 335. 351 Aeschini turpe munus histrionis exprobrat, eumque deridet: ὦ τριταγωνιστά.

In præf. §. 6 sq. ait matresfamilias ex more Romanorum in celebritate versari, in Græcia contra in interiore parte ædium *sedere*. Id quod de mulieribus Spartanis non verum est; illæ enim, quæ se unas virorum matres esse gloriabantur, liberiorem vitam agebant. Lycurgi instituto virgines publice cursu, luota, discorum et telorum iactu corpora exercebant; et uxores imperium quoddam in maritos habebant*). Plutarchus in Lycurgo c. 26 auctor est, senatorem recens renunciatum cum juvenum tum mulierum catervam, carmine virtutem ejus celebrantium, per urbem prosecutam esse. Idem in Comparatione Lycurgi cum Numa (T. I p. 308 ed. Reiske) secus ac noster de utrorumque moribus judicat: mulieres Lacænas esse πρὸς αὐτοὺς ἀνδρώδεις τοὺς ἄνδρας, ἅτε δὴ τῶν μὲν οἴκων ἄρχουσαι κατὰ κράτος, ἐν δὲ τοῖς δημοσίοις πράγμασι, καὶ γνώμης μεταλαμβάνουσαι καὶ παῤῥησίας πέρὶ τῶν μεγίστων. Numam contra matronas Romanas, dignitate quidem non detracta, magna verecundia sepsisse, silentium tenere assuefecisse, vino prorsus interdixisse, dicere ne de rebus necessariis quidem sine viro permisisse.

In Eumene 1, 5 nimis late dixit, apud Graios multo honorificentius esse munus scribæ quam apud Romanos. Honorem quidem habuit apud Macedonas, Thebanos, Aetolos et Achæos, sed apud Athenienses

---

*) Plutarch. in Lycurgo c. 14.

satis vile fuit, ut ex Demosthene patet*), item apud Syracusanos, ut Diodorus Siculus XIII, 96 docet. Idque, ut si Macedones Graji essent**), inepte infert.

Ceteras vero Probi vitas longe antecedit *Datames:* nam cum in illis nihil fere relatum legamus, quod non e Thucydide, Plutarcho et Diodoro abunde constet, de hoc nihil fere scimus, nisi quod noster fontibus ignotis usus memoriæ prodidit. Prolixe de eo refertur, qui tamen non tanti fuit, quanti Miltiades, Pausanias aliique, atque causa, quam Probus in introductione affert, cur copiosius ejus vitam tractet, levis esse videtur. Ea ipsa transitio Timotheo annexa: *Venio nunc ad fortissimum virum* etc. nescio an consilium Probi aperiat, alienam vitam Datamis de Nepotis libro de excell. ducibus unice superstitem sibi vindicandi. Non magis in Dione Probus ad librum Nepotis de historicis velut ad suum provocare, et librum suum de ducibus tanquam partem Corneliani operis vendere, quam Datamem, unionem forte residuum ex hoc ipso opere, arripere suisque scriptis inserere potuit. Observatu dignum est, codicem Vindobonensem, de quo §. 4 monui, Datame et Attico librum finire. Vitam sane Datamis, sicuti Attici, tanquam vivam et bene cohærentem imaginem habemus, unde colligere possimus, quam graviter et magnifice de reliquis imperatoribus a Nepote perscriptum fuerit.

Non magis compositio rerum, quam stilus diversitatem auctorum indicare mihi videtur. Probus sæpe loco pronominis determinativi *is* sequente *qui* usurpat *hic*, e. g. IV, 5, 5. VII, 6, 4. X. 5, 5. 7, 3. XVIII, 2, 3. 3, 1 (*illa bella, quæ*), sicut Justinus in præfat. *omissis his, quæ.* Datames contra habet *is* — *qui*, e. g. 1, 3. 2, 1; uno loco 9, 4 legitur: *prædixerat his Datames, cum quibus iter faciebat,* sed observandum est, *his* ab editione Lambini abesse. Cæsar ubi relativum *qui* anteponit, demonstrativum *hic* subsequitur, e. g. B. G. VII, 27 *quos potentes cognoverunt, horum in agris considere,* VII, 13. B. C. I, 22. — Dat. 1, 4 *militare munus fungens,* cum quarto casu, ut Plaut. Men. 1, 4, 4. Mostell. 1, 1, 44. Terent. Heaut. 1, 1, 14. 3, 3, 19. Sueton. in Aug. c. 35; sed Probus II, 7, 3. IV, 3, 6.

*) V. Petitum Comment. ad Leges Attic. p. 257 sq. Dem. de Coron. p. 335 sq. Aeschinem illudens increpat: *ἐγγραμμάτευες, ἐγὼ δ᾽ ἐκκλησίαζον.* Libanius in argum. ad Demosth. or. de falsa legat. scribas et histriones vili munere fungi ait.

**) Demosth. de Cor. p. 310 indignum esse ait, *ὑπὸ ἀλλοφύλου ἀνθρώπου (Φιλίππου) ἄρχεσθαι.*

IX, 3, 4 cum ablativo. — In Datame 3, 3 est: *agnoscere hominem*, in Epaminonda 9, 2: *cognoscere*, ut in Cæsare B. G. VII, 17. — Locutio *contrahere exercitum*, pro qua Cæsar *cogere* dicere solet, occurrit non tantum in Dat. 3, 5, sed etiam XVIII, 3, 3; *comparare exercitus* eodem sensu dicitur cum in Dat. 4, 1, tum III, 3, 1. XVII, 2, 1. 3. XXII, 3, 2. Item *classem contrahere* IX, 4, 4. (Vellejus II, 42, 2) et *comparare* IX, 4, 2 (παρασκευάσασθαι Demosthenes) noster promiscue posuit. *Contrahere copias*, id est in unum colligere, quo sensu Cæsar B. G. VII, 18 et Curtius dicunt, occurrit in Dat. 7, 2 æque ac XVIII, 9, 1. 2. — Locutio latinis seculi aurei solemnis *): *navem conscendere* est in Datame 4, 3; Probus contra sectatur modum loquendi antiquum: *in navem escendere* II, 8, 6. et secundum c. Dan. et Guelf. XV, 4, 5, ut Plautus in Mercator. II, 1, 35 (*escendi in limbum*), sive *navem ascendere* XXIII, 7, 6 (ubi nonnulli legunt *conscendit*), ut Terentius in Adelph. IV, 5, 69, et Phædrus fab. IV, 21, 9. Pariter Sallustius utraque phrasi utitur; male tamen *navim escendere*, quod non est latinum, multæ editiones in Jug. 25, 5 invitis codicibus exhibebant, annuente Cortio, Gerlachius vero recte *ascendere* dedit. Similis soloecismus inest in Alcibiade nostri 4, 3: *in trierem ascendit*, ubi tamen duo libri scripti præpositionem *in* omittunt. Comparari potest locutio Demosthenis adv. Philipp. I p. 49 T. I ed. Schæfer. *εἰς τριήρεις ἐμβαίνειν*. — Dat. 5, 1 *nuntium misit, qui diceret*, 11, 2 *qui explorarent, mittunt*, sicut omnes bonæ notæ scriptores, atque Probus II, 8, 2. VI, 3, 3. VII, 10, 1. XXII, 12, 2, sed vitiose idem I, 4, 3 *miserunt cursorem, ut nuntiaret*, II, 4, 3 *fidelissimum ad regem misit, ut ei nuntiaret*. Conjunctio *ut* non recte se habet, nisi cum aut eum, qui mittitur, sua sponte aliquid efficere oportet, sicut IV, 2, 1 (*Pausaniam miserunt, ut depelleret*) IX, 4, 2, aut ei, ad quem mittitur, aliquid faciendum est, sicut VII, 4, 3: *ei nuntius missus, ut rediret*, Cæsar B. G. VII, 20: *ad Sextium mittit, ut educeret*. Bene etiam dicitur: *ad fines depopulandos mittit*, Cæsar B. G. VII, 24, ut noster VII, 4, 3 *ad eum deportandum missa*, VII, 10, 3 *misit aliquem ad Alcibiadem interficiendum*, item cum simplici verbo in supino Cæs. B. C. I, 18 *pabulatum mittebat*, noster IX, 2, 2 *Agesilaum bellatum mittere in Asiam*; sive Cæs. B. G. VII, 18 *mittere legatos sui pur-*

*) Bayfius de re navali p. 145 sq. Cicero in Ep. ad Quint. Fr. *conscendere*, ne addita quidem nave, eodem sensu usurpat. Græcis proprium fuit ἐπιβαίνειν νεώς.

gandi gratia, ut Probus IX, 3, 2 *accusandi gratia Conon missus.* — In Dat. 5, 5 *talibus literis cognitis*, i. e. *perlectis*, ut Probus VI, 4, 3 *librum cognoscere* (*ἀναγινώσκειν*), IX, 4, 1 et Justinus in præfat. Sed ubi magis de actu legendi quam cognoscendi agitur, verbum *legere* usurpat præf. 1. VI, 4, 2. 3. XVIII, 8, 3. — Dat. 8, 1. *tamen statuit congredi quam refugere*, ubi *potius* more Græcis Latinisque usitato subauditur: contra Probus IX, 5, 2: *potius patriæ opes augeri quam regis maluit*; quo pleonasmo etiam Ciceronem, Terentium, Plautum uti docuit Forcellini in Lex. III p. 19. — Dat. 8, 3 *mille* cum genitivo, ut I, 5, 1. — Dat. 9, 3: *elegit corpore et statura simillimum sui;* ita Prob. XVII, 8, 1 *et statura fuit humili, et corpore exiguo;* Dat. 3, 1 *homo maximi corporis*; Prob. X, 1, 2 *magna corporis dignitas*; Donatus Virgilium in vita ejus p. 3 ed. Masvic. *corpore et statura fuisse grandi* ait; Horat. Epist. I, 20, 20 *corporis exigui.* — Dat. 10, 3 *sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed odio communi, quod erga regem susceperant, contineri viderentur*; ita Nep. in Attico 11, 5 *nullas inimicitias gessit*, et Cæs. B. C. I, 3 *inimicit. cum Cæsare gerere*, idem B. G. VII, 16 *unius civitatis auctoritate reliquas contineri* (scil. in amicitia Cæsaris). — Dat. 11, 2 *ante aliquot dies venit*, id quod Bremius non satis accurate Nepotem dixisse, et Tzschuckius p. 96 notandum certe esse existimaverunt. Concedo, Ciceronem *aliquot diebus ante* scripturum fuisse; sed Livius similiter l. 31 c. 24: *Chalcidem dies ante paucos prodiderat*; Sueton. in Cæs. c. 9 *ante paucos dies, quam ædilitatem iniret*, ib. c. 81, id. in Tiber. c. 61 *aliquot ante annos*, id. in Nerone c. penult. — Dat. 10, 2 et Nep. Att. 7, 2 *partim* pro *pars.*

Cum Probo multas res veritati historicæ contrarias infra objecturi simus, quæritur, num in Datame similes errores deprehendamus. Unum certe indicare debemus c. 2, 2, ubi ex Homero Pylæmenes Troico bello a Patroclo interfectus dicitur, quem tamen poëta Il. V. v. 576 a Menelao occisum esse ait. Pyræchmes quidem interfectus est a Patroclo Il. π; sed ille fuit dux Pæonum, gentis Macedonicæ, in Datame autem de stirpe Thuynis dynastæ Paphlagoniæ agitur, et Paphlagonum dux Pylæmenes fuit. Scholiasta Villoisoni ad Hom. Il. II, 851 p, 85 signum διπλῆ dictum huic versui appositum esse ait, ὅτι οὗτός ἐστι Πυλαιμένης, περὶ οὗ πολλοὶ τῶν ἀρχαίων ἐζητήκασι. Eruditus auctor Datamis in ejusmodi dissertationibus versatus cognovit, Thuym longa serie a Pylæmene procreatum; admirandum igitur esset, eundem nescivisse, quis istum heroëm interfecerit. Nescio an alius memoria lapsus, sive Probus sive librarius, verba *a Patroclo* inculcaverit. Namque Homerum a Probo lectum esse, in-

telligi potest e loco X, 6, 4. — Cætera cum nota historia consentiunt, duo loca ab iis, quæ Diodorus retulit, quodammodo differunt. Noster enim 2, 1 Autophradatem, Lydiæ satrapam, jussu Artaxerxis regis bello persecutum esse eos, qui defecerant, atque apud eum Datamem fortem se præbuisse ait; Diodorus XV, 90 contra, Autophradatem ipsum ex iis fuisse, qui defecerant. Tzschuckius p. 87 quidem diversitatem ita submovere conatus est, ut satrapam postea defecisse suspicaretur. Sed Diodori fidem accusare malim, quam conciliare, quæ discrepant. Nam secundum nostrum 7, 1 ipsius Autophradatis opera postea ad opprimendum Datamem rex usus est, quod dubito an fecerit, si ipse defecisset; tum vero Diodorus obiter tantum hac de re narravit. Eundem Autophradatem confudisse Diodorus mihi videtur cum Artabazo, quem ibidem cum magno Persarum exercitu Cappadociam invasisse et adversus Datamem pugnasse tradidit; in eoque bello Mithrobarzanem, socerum Datamis, ad hostes transfugisse, quam rem noster c. 6. retulit. Contra secundum nostrum c. 6, 1 primum Pisidæ (quos Diodorus in numero rebellium retulit) pro rege adversus Datamem copias pararunt, tum c. 7, 1 rex a filio Datamis de patris defectione certior factus, Autophradatem in Cappadociam misit. Frontinus II, 7, 9 id quidem bene tenuit, Datamem adversus Autophradatem pugnasse, sed cum Diodoro lapsus est, tanquam ille fidelis, hic rebellis fuerit, et rem de transfugis proditam parum accurate ad idem tempus retulit. Ita enim scribit: *Datames dux Persarum adversus Autophradaten in Cappadocia cum partem equitum suorum transfugere comperisset, ceteros omnes venire secum jussit, assecutusque transfugas collaudavit, quod eum alacriter præcessissent. — Pudor transfugis attulit pœnitentiam, et consilium suum — mutaverunt.* Nepos hæc omnia ordinate in tria tempora ita dispertivit: primum Datamem ducem Persarum signa Autophradatis secutum, deinde a rege descivisse et in bello contra Pisidas transfugas consilio suo perculisse, denique adversus Autophradatem conflixisse. — Datames, qui secundum nostrum 11, 5 neminem perfidia ceperat, tamen Sinopen contra fidem datam oppugnasse memoratur Polyæno VII, 21; sed de hominibus loquitur Nepos, non de urbibus.

§. 11.

Jam cum prima editio denuo titulo Probi præfixo prodeat, inveteratam opinionem inclinari video, multasque deinceps subsecuturas esse eadem inscriptione auguror. *Kohenius* quidem, qui primus (Considerazioni etc. Milano 1819) sententiam meam laudabiliter impugnare tentavit, auctoritatem trium pæne sæculorum tanquam nim-

bum mihi objecit, atque Gerh. Vossium, Savaronem, Schottum, Bœclerum, Casaubonum, Clericum, Forcellinum pluris æstimandos esse duxit quam superiora tempora, quibus ars critica neglecta jacuisset (p. 6 sqq.). At cum de auctoritate agitur, nisi confusionis accusari volumus, sola antiquitas audienda est, criticorum vero posteriorum non persona, sed argumenta respicienda sunt, quorum vim nosmet ponderare possumus. Non auctoritate criticorum nomina veterum scriptorum nituntur, sed traditione quadam vetustorum exemplarium: unus Nepos excipitur et libello nostro præfigitur dubia auctoritate eruditorum; plerique occæcati celebritate Cornelii, magnificentius de libro judicarunt.

Sed jam non desunt insignes eruditi nostræ ætatis, qui vel de auctore dubitent, vel Probo suffragentur. *C. Beierus* ad Ciceronis officia a. 1820 I. p. 55. 144 sq. 192. 292. 338 sq. II. p. 53. 90 sq. Aem. Probum excitavit, sed in editione Lælii Ciceronis a. 1828 ad Corn. Nepotem recidit. *Heinzius* in dissertatione annalibus Academiæ Jenensis Vol. I. p. 432 inserta sub finem ait: *Utrum vero Cornelius ille Ciceronis ἄμβροτος tale munus puerile suscipere potuerit, nec ne, alio loco expositurus sum.* Non exposuit, sed dubitationem de auctore haud obscure significavit. *Frid. Aug. Wolfii*, summi critici, dictum Hanhartus (Erinnerungen an F. A. Wolf, Basel 1825, p. 92) literis mandavit: *Es ist auch noch die Frage, ob das schmächtige Werkchen, voll der schlimmsten Fehler in Geschichte und Geographie, von dem berühmten Nepos sey, vor dem Catull einen solchen Bückling macht.* Carol. Ferd. *Rankius* de Corn. Nepot. vita et scriptis commentatione Quedlinb. 1827 librum de exteris ducibus Nepoti abjudicaverat; ejus vero sententiæ eum pœnitere comperit Lieberkühnius p. 66. *Hoffmannus* (Handbuch zur Bücherkunde Leipzig 1838 p. 134) aperte mecum facit. *Orellius* Turicensis in Onomastico Tulliano 1838 p. 67 s. voce Aristides locum ex *Aem. Probo*, p. 275 s. v. Hannibal alium ex eodem, p. 400 alium ex *Aem. Probo, quem volgo Corn. Nepotem vocant*, item p. 579 v. Themistocles affert, auctorem vero Attici ibidem v. Pomponius Corn. Nepotem nuncupat. Item *Bœtticherum* in præfatione ad fasciculum I Chrestomathiæ e Cicerone et Livio compositæ mecum consentientem de Aem. Probo habeo.

Julius Heldius Silesius *Prolegomena ad vitam Attici, quæ vulgo Corn. Nepoti adscribitur*, Vratislaviæ 1826 scripsit, in quibus unum eundemque falsarium vitam exc. ducum, et Catonis Atticique composuisse contendit non sine juvenili levitate (p. 19 sq. 45 sqq.). Morosius sententias et sermonem in Catone et Attico reprehendit,

desiderat alia, alia omittenda ducit, alia inique premit. Delegamus ad Lieberkühnii commentationem de auctore vitarum (Lipsiæ 1837) p. 52—64, ubi Heldium bene confutasse videtur, ejusque verba p. 64, in quibus paucis complectitur, quid de eo judicet, apponere libet: *non perspicio, quomodo falsarius ex paucis quibusdam locis Ciceronis, Plutarchi, Taciti aliisve vitam potuerit concinnare bene ordinatam, munde conscriptam, veritatis specie maxime commendatam, nec illud, quomodo ejusmodi vitia, qualia Heldius perstringit, tantum valeant, ut libellum Nepoti eripiamus, ad hominem barbarum deferamus.* Judicium quoque *Petri Nannii* (nati 1500, mortui 1557) adscribam, qui de claris Corneliis scripsit: *Corn. Nepos quam elegans sit scriptor, ex vita Pomp. Attici cognoscere licet. Dictio certe venustissima et simplicissima; in disponendo nihil illo accuratius, in fide nihil sanctius.*

Jo. Christophorus Dæhnius ad Cæsarem quidem commentatus sæpius Aem. Probum excitaverat, postea vero in *disputatione de vitis exc. imperat. C. Nepoti, non Aem. Probo attribuendis* (Cizæ 1827) et in duabus editionibus Cornelii (Lipsiæ 1827 et Helmstadii 1830) ad vulgarem opinionem revertit. Atque eam docte defendit *Lieberkühnius* in Quæstionibus criticis modo memoratis, ejusque vestigia pressit *J. Theodor. Lütkenhus de Corn. Nepotis vita et scriptis* commentatus (Monasterii 1838). Quorum judicium maxime nititur argumentis e libro ipso petitis; in eamque palæstram jam descensuri sumus.

Pars tertia.

Argumenta interna.

§. 12.

Vitis exc. ducum cum fama et reliquiis Corn. Nepotis comparatis, videndum, utrum eo dignæ videantur, an scriptori obscuriori attribuendæ sint.

Quanti Nepos æstimatus fuerit Plinii tempore, ex ejus epistola (L. IV, 28) ad Severum quemdam data colligere licet, a quo petit, ut imagines *municipum ipsius, Corn. Nepotis et Titi Cassii,* pingendas curaret, quas Herennius Severus in bibliotheca sua poneret. Hic locus de *patria* Nepotis conjiciendi ansam præbuit, aliis T. Cassium Parmensem, aliis Severum, ad quem Plinius literas dedit, Novocomensem fuisse putantibus, ideoque eandem patriam Nepoti attribuen-

tibus. Utramque sententiam rejecit Lieberkühnius p. 4 sqq., ipse eum Insubrem, i. e. civem regionis Mediolanensis, facere conatus. Verum ea opinio non minore difficultate laborare videtur. Nititur enim incerto fundamento variæ lectionis et conjecturarum: primum variant in loco Pliniano libri vetusti in nomine T. Cassii, primus Titzius recepit *T. Cati*, idque probavit Lieberk.; deinde intelligi vult Catium Epicureum, de quo Horatius in Satyris et Quintilianus, cujus prænomen etiam ignoratur; tum hunc Insubrem fuisse ex conjectura statuit, nam apud Cicer. Ep. ad Fam. L. XV, 16 scripti et olim impressi codices habent: *Catius insuper Epicureus*, ad quem locum Victorius: *quidam nuper Insuber emendarunt*. Iniqua igitur conditione Nepos popularis Insubrum, quos Plinius N. H. III, 17 Mediolanum condidisse ait, fieret. Neque negabitur, in epistola Pliniana Severum a Severo rectius requirere imaginem T. Cassii, qui Severi cognomen habebat, eumque oratorem et historicum melius philosopho Epicureo in bibliotheca Herennii Severi una cum Nepote historico conspici, quocum conjunctim a Tertulliano in Apologet. 10, Lactantio I, 3 et Minucio Felice in Octavio nominatur. Cuias iste T. Cassius Severus fuerit, ignoramus quidem; sed cum via recentiorum patriam Nepotis investigandi aperte contorta sit, satius esse videtur, ad rationem veterum reverti, quæ per se est plana, licet e fonte occulto excurrat. Nimirum *Alexander Bercellus*, Veronæ cancellarius, in Veronensium historicorum syllabo, qui cum J. G. Vossio communicabatur, Nepotem *Hostiliæ*, qui Veronensium vicus est ad Padum situs, natum esse auctor fuit. Rezzonicus quidem in Disquisitionibus Plinianis T. II. p. 58 objecit, Nepotem in Pliniana epistola municipem vocari, vicum autem municipium non dici solere: sed contra disputat Rankius de Nep. vita et scriptis p. 7, et præterea conferendi Gell. N. A. XVI, 13 et Festus v. municipium. Neque est, quod cum Lieberk. p. 3 statuamus, locum Plinii N. H. III, 18, Nepotem Padi accolam perhibentis, in istam opinionem adduxisse, cum multi alii præter Hostilienses Padum accolant. Præterea amorem patriæ incusavit Lieberk.; diceret aliquid, si inter complures civitates certamen quoddam intercessisset Nepotem sibi vindicandi. In penuria scriptorum Nepotis, quorum major pars etiam seculo IV supererat, nos non oportet testimoniis scriptorum Veronensium, qui olim ex uberiore fonte haurire et memoriam Nepotis in patria conservatam alius alii tradere potuerunt, sine justiore causa fidem derogare. Veronensem illum facit Leandri Alberti Italia, Cosmographia Pauli Merulæ; et Onuphrius Panvinius Veronensis (de quo Gaddius T. II p. 173 sq. et Maffei Verona illustrata L. IV p. 78)

in Catalogo illustrium scriptorum Veronens. L. VI Antiquitt. Veron. p. 145 scribit: *Constantissimo civitatis nostræ testimonio Corn. Nepotem, virum doctisimum et antiquitatum omnium peritissimum, Veronensem fuisse traditur, cui in summa curia cum reliquis Veronensibus illustribus etiam statua posita est ex publica auctoritate. — Ortus in vico Veronensium Hostilia. — Pius quoque papa II. in Asiæ descriptione eum Veronensem aperte fuisse scribit. Ad hunc Catullus opus suum misit, tanquam civem suum: Quoi dono lepidum novum libellum?* Commenta recentiorum cum his testimoniis licet non plane firmis collata parvi facienda esse censeo.

Floruit medio eo sæculo, quod Christum præcessit, obiit Augusti principatu, rebus domesticis Pomp. Attici Romæ per familiaritatem sæpe interfuit, Cicerone familiariter usus est, ab eoque complures literas accepit, quarum Macrobius Saturn. II, 1 secundum librum excitavit. Insigne de eo testimonium edidit Cicero in epist. ad Atticum L. XVI, 5 extr: *Nepotis epistolam exspecto. Cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet. Et ais: μετ᾽ ἀμύμονα. Tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος.* Alludit ad Homerum, qui Aiacem post Achillem fortissimum describit:

Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ᾽ ἀμύμονα Πηλειῶνα.

Atticus igitur Ciceroni scripserat, Nepotem alterum a Cicerone esse, ut Ajacem ab Achille, cui respondit Cicero, Atticum cum Achille, Nepotem vero cum numine ipso comparari oportere, sibi locum Ajacis tacite relinquens. Miratur autem Cicero, Nepotem ipsius scriptorum cupidum esse, qui ea, quibus maxime glorietur, legenda non putet. Pronomine *meorum* non cum Schoppio (in paradox. *liter.* ep. 5) epistolæ Ciceronis intelligi debent; nam qui tot epistolas ad Nepotem dedit, non dubitare potuit, quin hic eas libenter legeret; et tum *mearum* dici oportuit. Potius ad historiam scribendam Nepos Ciceronem instigasse existimandus est, qui in fragm. Guelpherb. priore dubitat, *interitu Ciceronis utrum respublica, an historia magis doleat.* Pariter Atticus Ciceronem cohortatus, ut historiam tractaret, et hic fassus est, se ardere studio historiæ; v. Ep. ad Attic. XVI, 13 extr. et Cic. de legg. I, 2. Quæ vero scripta Ciceronis legenda non putavit Nepos, ea philosophica fuisse Heusingerus immerito censuit; hic enim in eodem fragm. Guelph. jure prædicavit Ciceronem *philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformasse oratione.* Poëmata potius, quæ Nepoti non probabantur, intelligenda sunt, quo de studio Ciceronis parum felici Nepos in altero fragm Guelph. dixisse videtur, *locupletem naturam neque uni omnia dare, nec rursus*

cuiquam omnia voluisse negare. Quod vero Schmiederus in vita Nepotis editioni præfixa negavit a Cicerone Corn. Nepotem significari, concedo quidem, Ciceronem ad Att. II, 5 simpliciter de Nepote locutum Q. Metellum Nepotem intelligere; sed eæ literæ a. 695 datæ sunt, priusquam Corn. Nepos inclaruit, cujus Chronica circiter a. u. c. 706 in lucem exiisse statuit Lieberkühnius p. 14. Non est, quod somniemur de alio Nepote, nisi de eo, quem ad Ciceronem et ad quem Ciceronem literas dedisse ex fragmentis satis constat, qui in familiaritate Ciceronis (Gell. N. A. XV, 28) et Pomp. Attici fuit. Non alii conveniret tam præclarum elogium, quo pæne divinus appellatur, et cæteris, vel ipsi Attico anteponitur, nisi ei, quem Catullus carm. I. summis laudibus prosecutus est, ut qui *unus Italorum ausus sit, omne ævum tribus explicare chartis doctis et laboriosis.*

Philosophiam a Nepote contemtam fuisse, Lieberk. p. 27 aliique sibi persuaserunt; sed apud Lactant. div. inst. III, 15, 10 iure carpit tantum eam philosophiam, quæ non sit *vitæ magistra beatæque vitæ perfectrix*, et ægre fert, *magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.* Quæ sententia non contemtum doctrinæ, sed sanctitatem morum, qua fuit conspicuus (Plin. V, epist. 3, 6), demonstrat. Imo qui merita Ciceronis de patria philosophia laudavit, uti modo docuimus, is hoc literarum genus contemsisse non est existimandus.

Credulitatem ei exprobrasse volunt Plinium N. H. V, 1 his verbis: *Minus profecto mirentur portentosa Græciæ mendacia de iis* (Hesperidum hortis) *et amne Lixo prodita, qui cogitent nostros nuper paulo minus monstrifica quædam de iisdem tradidisse: prævalidam hanc urbem* (Lixon in Libya) *majoremque Carthagine magna, præterea ex adverso ejus sitam, et prope immenso tractu ab Tingi; quæque alia Cornelius Nepos avidissime credidit.* Sed tenendum est de credulitate in rebus non historicis, sed geographicis agi, quarum tum cognitio manca fuit. Quodsi Nepos de Lixo mirabiliora, quam quæ Plinius credere posset, narravit, ætati, non scriptori vitio vertendum fuit. Præterea ejus chronica fabulosum quoque tempus amplexa esse videntur: quare cum fide historici congruit, si fabulas Græcorum de ora Libyæ attigerit.

Gellius N. A. XV, 28 cæteroquin bene de Nepote judicat, attamen errorem ejus notat, scribens: *Corn. Nepos et rerum memoriæ non indiligens, et M. Ciceronis ut qui maxime amicus familiarisque fuit; atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur, cum eum scripsit tres et viginti annos natum primam*

causam judicii publici egisse, Sextumque Roscium parricidii reum defendisse. Confitendum est, Nepotem et Asconium Pedianum, quem secutus est Gellius, inter se discrepare; sed disputari potest, utri potius fides habenda sit. Cicero natus est 648 u. c. III Non. Jan., *primam causam publicam pro Sexto Roscio* dixit (Cic. in Bruto 90) eo tempore, quo Sulla ex Asia reversus, devictis Marianis, in urbe dominatus est, et plerique iniquitatem temporum metuerunt. *Cum biennium esset versatus in causis, et jam in foro celebratum ejus nomen esset,* Roma est profectus, Athenas se contulit, sex menses ibi cum philosophandi et dicendi magistris fuit, deinde Asiam peragravit et biennio post rediit (Cic. in Brut. 91). Metu Sullæ discessisse eum et peregrinatum de morte Sullæ certiorem esse factum ait Plutarchus in ejus vita c. 3. Sulla victor urbem ingressus est a. u. c. 671, cum Cicero adolescens viginti trium annorum erat; mortuus est Sulla anno 676, cum Cicero viginti octo annos natus erat. Anno 674 Sulla iterum et Q. Metello Pio coss. orationem pro Roscio Amerino habitam esse vulgo statuitur, cum Cicero annos viginti sex natus erat seu septimum et vicesimum agebat, auctoribus Fenestella apud Gellium l. c. et Quintiliano XII, 6. Neque est, quod eam rationem impugnemus, qua Cicero a. 675 ab urbe discessisse, a. 676 peregre de Sullæ obitu audivisse et a. 677 postquam apud rhetores Asiæ se exercuerat, se recepisse existimandus est. Nihil vero obstat, quo minus ad Nepotis computationem inclinemus et Ciceronem annos viginti quatuor natum a. 672, quo Sulla dictator est factus, causam pro Roscio egisse ponamus. Tum sequitur, ut biennium versatus sit Romæ in causis post illam pro Roscio peroratam, donec ejus nomen celebratum esset, a. 674 priusquam Sulla dictatura se abdicasset (quod a. 675 evenit), cum metu Sullæ dictatoris, tum valetudinis ratione habita, Roma discesserit, eoque, Sullæ morte nuntiata, a. 676 se receperit. Satius est in suspenso relinquere, quod non liquet, quam incerta pro certis affirmare.

Singularia quædam in oratione Nepotis Lieberkühnius p. 32 ex Grammaticis veteribus notavit: *largitudo* apud Nepotem tantum in fragm. invenitur; quod vero *Vestalis* et *patruelis* in ablativo in e desinit, non est proprietas Nepotis in fragm., sed Charisius ipse id præcipit, ejus exemplo allato; *partum* pro *partium* non tantum Nepos, sed etiam Cæsar in Analogicis et Ennius apud eundem Charisium I p. 114 dixerunt; *ædis* et *ædes* in nominativo singul. promiscue in usu fuit, non solum in Nepot. fragm., sed etiam apud Plaut. Asin. I, 3, 67 et Liv. in plurimis locis, quæ collegit Drakenborch. ad Liv. IV, 25, 3; *architectatus* passiva significatione usurpat Nepos in fragm.,

et *propius* cum dativo junctum, ut §. 9 optimos scriptores frequentasse docui. Quare etiam ab hac parte ἄμβροτος noster notam non merere videtur.

Adscribere libet, qualis Heldio in Prolegom. ad vitam Attici p. 20 Cornelius fuisse visus sit: *Vir ingenio rerum ad minutias capacissimo, sed subtilitatibus philosophantium alieno: eruditione et varia et eximia, nec tamen judicio carens; sollers ac diligens in congerenda materie, in digerenda ac perscribenda simplex ac sobrius; etsi timidus, veri tamen amans atque religiosus, ut accurate distingueret inter auditu accepta et a scriptoribus memoriæ prodita: severus virtutum ac vitiorum censor: honesto ex animi sententia deditus.*

§. 13.

Jam a Nepote ad librum de ducibus exterarum gentium revertamur, et videamus, utrum illo dignus videatur, nec ne. Multi quidem specioso titulo decepti magno scriptore haud indignum esse iudicarunt. Ut intelligatur, quantopere eruditi inter se discrepent, judicia duorum virorum in medium proferam. *Ruhnkenius*, auctore Wyttenbachio in ejus Vita p. 125, nostrum *secundum Ciceronem simplicis nativæque venustatis causa maxime miratus est; hujus dotes cum propter corruptelas scripturæ, tum propter ignorationem vel materiæ vel proprietatis minus, quam par esset, a multis percipi et doluit et ut quoddam bonorum studiorum damnum moleste tulit.* Contra Fr. Aug. *Wolfius* in orat. Demosthenis adversus Leptinem p. 293 minus magnifice judicavit de Nepotis (ita ei dicitur) vita Chabriæ, quam *totam jejunius compilatam e Theopompo* censuit, eidemque summo critico totum librum parum probatum fuisse supra docuimus. Jam ipsi dispiciamus, *quibus fontibus et quemadmodum usus sit, quænam insit veritas et ars historica, quale denique dicendi genus.*

Nepotis libro de imperatoribus Romanorum Plutarchus et Suetonius usi esse videntur, ut §. 4 monui; sed librum nostrum nemo veterum præter Ampelium et Scholiastam Ciceronis in usum convertit. In Plutarchi Lucullo, Gracchis et Marcello quater Κορνήλιος Νέπως excitatur: cum vero vitam Themistoclis, Aristidis, Cimonis, Lysandri, Alcibiadis, Dionis, Pelopidæ, Agesilai, Eumenis, Phocionis et Timoleontis Plutarchus non minus quam noster composuerit, ille ad hunc ne semel quidem provocavit. Quod si unus Nepos ut de Lucullo, Graccho et Marcello, ita de ducibus exterarum gentium scripsisset, ea res admodum admiranda esset, eo magis, quod ad verbum noster cum Plutarcho nonnunquam convenit. Quin inducit Plut. Nepotem

perhibentem, Hannibalem a Marcello victum esse, noster contra Hannibalem 5, 4. 6, 1 invictum facit (ut §. 10 monui): unde probabiliter colligi potest, Hannibalem nostri posteriore tempore compositum esse, quo Nepotis istud scriptum de Hannibale seu Marcello non amplius exstitit. Quare post Plutarchum noster vixisse, et ubi consentiunt, brevior uberiorem, obscurior illustriorem exscripsisse videtur. Tres quidem viri, *Hisely* in disquisitione critica de fontibus et auctoritate Corn. Nepotis (Delphis Batavorum 1827), *Wichersius* in libello ejusdem inscriptionis (Groningæ 1828) et *Lieberkühnius* p. 116 sqq., ad alios quosque potius quam ad posteriorem Nepote Plutarchum, qui sub Trajano et Hadriano viguit, vel ad Diodorum, qui sub Jul. Cæsare et Augusto floruit, nos delegant. Lieberk. etiam p. 177 ait Plutarchum a nostro toto cœlo distare: concedo, si merita Plutarchi ejusque gravitatem, non argumentorum *similitudinem* cum nostro comparaveris. Diodorum et Plutarchum cum nostro communibus fontibus sæpe usos esse apparebit, nonnunquam adhibitos esse veri simile est.

Itaque paulo diversam viam ingredi nos oportebit, nec libet illos triumviros sectari, spatiantes per vastum campum historicorum, quicunque de Miltiade et ceteris scripserint, quibus noster uti potuerit: sed satis habebimus de iis fontibus agere, ex quibus nostrum sua desumsisse vel apparet vel credibile est. Ne iis quidem, quos ipse memoravit, continuo ipse usus est; sed anquirendum est, num e secundario fonte potius hanserit. Ubi dissentit ab aliquo auctore quem alias sequitur, investigari oportet, utrum alios auctores sequatur, an oscitantia id evenerit, an consilio discrepantes scriptores conciliandi. Ubi a ceteris omnibus dissentit, non semper admitti potest excusatio, nostrum alios secutum esse, qui multa negligenter, multa licentius tractavit. Præsertim ii auctores, unde pleraque sua certo petivit, accurate cum ipso conferendi sunt, ut et qualis sit historicus, dijudicetur, et intelligatur, eum alios quoque, quibuscum non ab omni parte consentit, uti Plutarchum, facile in usum suum convertere potuisse. Quemadmodum in Themistoclis vita cum Thucydide, quem se consuluisse monet, et convenit et ab eo dissentit, sic cum Plutarcho egit.

§. 14.

In *Miltiade* c. 7 *Ephorum* Cumæum, Isocratis discipulum, qui res Græcas a reditu Heraclidarum usque ad annum, quo Philippus Perinthum obsedit, conscripsit, pæne ad verbum, nomine ejus suppresso, exscripsit.

Noster ita:

Parum insulam opibus elatam . . operibus clausit omnique commeatu privavit, dein vineis ac testudinibus constitutis, propius muros accessit. Cum jam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus .. nescio quo casu .. incensus est. Cujus flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classiariis regis datum. Quo factum est, ut Parii a deditione deterrerentur.

Ephorus ap. Steph. Byz. v. *Πάρος*·

Πάρον εὐδαιμονεστάτην .. καθεζόμενος· ἐπολιόρκει — τῆς θαλάττης εἴργων καὶ κατὰ γῆν μηχανήματα ἄγων. Ἤδη τῶν τειχῶν πιπτόντων, καὶ ἐπὶ τὸ παραδιδόναι τὴν πόλιν διωμολογημένων, ὕλης τινὸς ἐξ αὐτομάτου περὶ τὴν Μύκονον ἐξαφθείσης, οἱ μὲν Πάριοι τὸν Δάτιν αὐτοῖς πυρσεύειν ὑπολαβόντες, ἐψεύσαντο τὰς ὁμολογίας καὶ τὴν πόλιν οὐκέτι τῷ Μιλτιάδῃ παρέδοσαν.

Herodotus VI, 132 sqq. narrat, Miltiadem insciis Atheniensibus Parios petiissse, et femore convulso abiisse; nihil de aliis insulis expugnatis, nihil de luco incenso tradit. Cetera quoque, quæ in nostri Miltiade leguntur, ad Ephorum deferre licet. Neque vero est gravitatis, sed potius plagii, fontem, unde sua quis habeat, celare.

Erroribus scatet vita Miltiadis, in qua Herodotum, illorum temporum gravissimum scriptorem, non consuluit. Qui vero contendunt, nostrum Herodotum novisse quidem, sed alios auctores sequi maluisse, magis etiam vituperare quam patrocinari videntur. Recte monuit Harlesius in Notitia scriptor. latin. P. I p. 369: *bonus Cornelius nec sibi semper cavit, nec optimos ubique, quos sequeretur, delegit auctores. Quare haud perpetuo justum suspendit lance gemina, et duo ætate diversos miscuit Miltiades, aliaque oscitantiæ aut festinationis admisit peccata.* Jam Rutgersius in variis lectt. I, 9 bene de nostri *ἀνιστορησίᾳ* ita disputavit: *Confundit Miltiadem Marathonium cum Miltiade Cypseli.* Hic enim fuit patruus illius, eorumque stemma secundum Herod. VI, 34 sqq. hujusmodi est:

Cypselus | Stesagoras
Miltiades (*ὁμομήτριος*) — Cimon
Stesagoras — Miltiades
Cimon

Ad priorem Miltiadem pertinent, quæ c. 1 et 2 de Chersoneso constituta relata sunt, ad posteriorem, quæ c. 2, 4. de Lemno capta *et* inde a c. 3 de bello Persico et Paro oppugnata narrantur. Intersunt fere LXX anni, cum Pisistrati et Crœsi ætate colonia in Chersonesum deducta sit. Similem confusionem commisit Pausanias VI, 19, *3*: in donariis in Alti repositis recenset Pelopis ensem *ἀνάθημα Μιλτιάδου τοῦ Κίμωνος, ὃς τὴν ἀρχὴν ἔσχεν ἐν Χεῤῥονήσῳ τῇ Θρᾳκίᾳ πρῶτος τῆς οἰκίας ταύτης.* Plures tamen Miltiades agnoscere videtur; in genere peccat.

Pergit Rutgersius l. c.: *Deinde non voluerunt Athenienses eo colonos sua sponte mittere, sed eos ultro Chersonesi incolæ necessitate coacti petierunt.* Dolonci Thraces scilicet, ab Apsinthiis bello lacessiti, reges suos Delphos miserunt, et ab oraculo Delphico moniti, ut qui primus eos e templo digressos hospitio excepisset, eum ut colonorum caput (*οἰκιστὴν*) deducerent, a Miltiade benigne invitati petierunt, ut deo obtemperaret. Isque oraculo consulto, Doloncos cum colonis navibus secutus est (Her. VI, 34 sqq.).

1, 2. Rutgersius: *Non ex Atheniensibus delecti sunt, qui Delphos deliberatum irent — sed ipsi Dolonci reges suos eo miserunt. Ad hæc cum Thracibus armis dimicandum non fuit, qui ultro auxilia petitum venerant, sed cum Apsinthiis, qui eos bello infestabant.*

1, 3. Rutgers. *Postremo Pythia non nominatim Miltiadem iis ducem dedit, sed tantum per ambages, ut solet, designavit.*

1, 4. Haud veri simile est, Miltiadem cum colonis et regibus Doloncorum profectum, de subigenda Lemno cogitasse. Fabulatur noster vel is, quem secutus est. Secundum Herod. VI, 139 Lemnii Pelasgi a Pythia Atheniensibus pœnas, quas illi poposcissent, dare jussi, Athenas profecti, illis ipsam Lemnum petentibus, responderunt, tum se tradituros esse, cum vento aquilone uno die navis ex Attica Lemnum pervenisset.

2, 1. Milt., Apsinthiis propulsis, Chersonesum a Cardia Pactyen usque communivisse auctor est Herod. VI, 36 sq. Donarium, quod Pausanias VI, 19, 3 in Alti conspexit, victoriam testabatur hac inscriptione:

Ζηνί μ' ἄγαλμ' ἀνέθηκαν Ὀλυμπίῳ ἐκ Χερονήσου
Τεῖχος ἑλόντες Ἀράτου· ἐπῆρχε δὲ Μιλτιάδης σφίν.

2, 3. *Caruisse nomine regio* ait, sed sibi ipse contradicit 8, 3: *tyrannus fuerat appellatus*, ut Herodot. l. c. *τύραννον κατεστήσαντο.* Hoc sane est nomen regium.

2, 4. Milt. sine liberis moriens, Stesagoræ fratris filio regnum et opes reliquit. Quo per dolum occiso, Miltiades, Stesagoræ frater,

a Pisistratidis Athenis missus est, ut Chersonesi imperium teneret (Herod. VI, 38 sq.). Isque inde Lemnum navigans et oraculo illo utens, Pelasgos ab insula discedere jussit, quorum pars dicto audiens fuit, pars vi expulsa est (Her. VI, 140).

2, 5. De ceteris Cycladibus captis non aliunde constat.

C. 3 convenit cum iis, quæ Herod. IV, 89 sqq. 136 sq. VI, 41. 104 fusius et accuratius memoriæ prodidit, nisi quod non crebri nuntii, sed Scythæ ipsi ad pontem venerunt et Jones, ut rescinderent eum, hortati sunt.

4, 1. Plato in Menexeno CCC, Herodotus VI, 95 DC triremes fuisse ait. — In numero copiarum parum sibi constat noster; c. 5, 4 enim Datim equitum quidem X millia, sed tantum C millia peditum in campum Marathonium deduxisse scribit: Valerius Max. V, 5 et Pausan. IV, 25, 2 CCC millia, Lysias in epitaphio D millia, Justinus II, 9, 9 DC millia ponunt. Idem Justin. II, 9, 20 *CC millia Persarum* ad Marathonem, *sine naufragio*, *perisse* ait, itemque epigramma in porticu Pœcile scriptum:

Ἑλλήνων προμαχόντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι
Ἔκτειναν Μήδων εἴκοσι μυριάδας.

Sardes incendio deletas causam belli præ se tulit Darius, ut Herodotus V, 105 et præter alios Himerius, qui Juliano imperatore floruit, in Polemarchico (Bibliotheca Uffenbach. I col. 617) referunt. Sed temere addit noster, præsidia regia interfecta esse: imo Artaphernes cum præsidio incolumi arcem obtinuit, incolæ et Persæ in foro restiterunt, Jones vero metu discesserunt (Her. V, 100 sqq.).

4, 2. 3. De præfectis regiis, de Eretriensibus in servitutem abreptis et de Phidippide cursore Spartam misso constat ex Herod. VI, 94. 101. 105.

4, 4. 5. Non *unus Milt. maxime nitebatur, ut acie decernerent*, sed suffragia decem imperatorum in hac contentione divisa erant, Miltiades autem, Callimacho polemarcho ad sententiam eorum, qui pugnam suadebant (in quibus fuit Aristides Plut. Aristid. 5), perducto, rem expedivit (Herod. VI, 109). Timuit enim, ne si mœnibus se defenderent, factio Pisistratidarum perturbatos animos ad Medorum partes impelleret (Herod. l. c.).

5, 1. De auxiliis Platæensium ex Herod. VI, 108 constat, neque vero de eorum numero, quos item Justinus II, 9, 9 mille numerat, sed idem X millia Atheniensium fuisse præter Platæenses perhibet. — Descriptio campi Marathonii nostro propria est.

5, 5. Navibus tamen Sunium prætervecti, Athenas petierunt,

consilio capiendi oppidi, nisi exercitus Atheniensium celerrime accurrisset (Herod. VI, 115 sq. Frontin. IV, 7, 43).

6, 3. De præmio Miltiadi tributo nil habet Herodotus, quare posteriori ævo deberi videtur. Neque vero præmii loco habendum est, quod prima Milt. imago est posita, cum eo die imperium obtinuisset (Herod. VI, 110). Quare porrecta manu milites hortans depingebatur (Aeschines adv. Ctesiphontem et Aristides Platon. 2). Verum præmio adeptus est Milt. statuam in Prytaneo positam, si Pausaniæ I, 18, 3 credendum. Sed Demosthenes de Contributione p. 184 ed. Schæfer. negat majores Miltiadi vel Themistocli statuas posuisse *(οὐ χαλκοῦς ἵστασαν)*.

6, 4. Rectius Strabo IX plus quam trecentas statuas Demetrio decretas esse ait; fuerunt numero CCCLX, quot dies annus habere credebatur (Plin. N. H. XXXIV, 12 Diogen. L. V, 75).

7, 1. De LXX navibus a Milt. postulatis convenit Herodot. VI, 132.

7, 5. Accusatus est *ἀπάτης* a Xanthippo, patre Periclis, quod Athenienses classem petendo, qua aurum iis adveheret, delusisset (Her. VI, 136). Noster crimen *proditionis*, Seneca Controv. IX, 1 et Justinus II, 15, 19 crimen *peculatus* fuisse ajunt. Demosthenes adv. Aristocratem p. 688 ed. Reiske, quod tyrannidem in patria affectasset, damnatum esse perhibet; nam memoria lapsus de Cimone dicit, quod ad patrem Milt. pertinet: *Κίμωνα, ὅτι τὴν πάτριον μετεκίνησε πολιτείαν ἐφ' ἑαυτοῦ, παρὰ τρεῖς μὲν ἀφῆσαν ψήφους τὸ μὴ θανάτῳ ζημιῶσαι, πεντήκοντα δὲ τάλαντα εἰςέπραξαν* *). Noster, qui discrepantes opiniones haud raro conjungit, c. 8, 1 eandem caussam damnationis fuisse ait, quod Milt. *non videretur posse esse privatus.* Sed hujus criminis pœna fuit exilium Athenis. Contra multa L talentorum *κατὰ τὴν ἀδικίαν*, ut ait Herod. l. c., seu ut noster 7, 6, *quantus in classes sumptus factus erat*, significat caussam, quod Milt. temere ad sumtum faciendum induxerit. — In quanto periculo Milt. fuerit, testatur Plato quoque in Gorgia c. 153 p. 241 ed. Heindorf., qui e Demosth. loco contra Aristidem T. II p. 244 aliosque interpretes egregie illustratur: *Μιλτιάδην δὲ τὸν ἐν Μαραθῶνι εἰς τὸ βάραθρον ἐμβαλεῖν ἐψηφίσαντο, καὶ εἰ μὴ διὰ τὸν πρύτανιν, ἐνέπεσεν ἄν.* Scilicet per-

---

*) Eo facilior confusio fuit, quod et Cimon cum L talenta (scilicet pro patre) persolvit, tum a Pericle capitis accusatus est, quod Thasiis devictis Macedoniæ vicinæ pepercisset, ab Alexandro rege muneribus corruptus: quo in judicio absolutus est (Plutarch. Cim. 14. Pericl. 10).

multi cives in causa capitis in eam sententiam ierunt, ut Milt. in barathrum dejiceretur, sed prytanum epistata, cujus munus erat, populum in suffragia mittere, vix evicit, ut ea pars, quæ capitis absolvebat, tribus suffragiis major esset. Unice recte Herodotus quoque scribit, Miltiade ægro in lectica præsente, amicos caussam dixisse. Noster vel is, quem secutus est, certum amicum appellare maluit, *fratrem ejus Sagoram verba fecisse* fingens. Sed non reputavit, Stesagoram majorem natu fratrem, (quem Tisagoram Libanius in orat. Cimonis pro Miltiade p. 35 nuncupat) in Chersoneso regnantem multis annis ante occisum esse, bene observante Rutgersio Var. lectt. I, 9 ex Herod. VI, 38.

7, 6. De *vinculis* silet Herod. VI, 136, ait tantum Milt. putrefacto vulnere. decessisse, L talenta vero a Cimone filio soluta esse. Dubitari potest, utrum Miltiades, qui Chersoneso profugus quinque triremes opibus suis oneraverat et cum quatuor feliciter Athenas pervenerat (Her. VI, 41), multam solvere non potuerit, an causa dicta morte abreptus filio hereditatem et multam solvendam reliquerit. Quamquam Plutarch. in Cimone 4, Seneca et Justinus l. c. cum nostro consentiunt, Milt. in carcere *diem obiisse supremum.*

8, 3. Jam superiore tempore Chersoneso profugus accusatus erat Athenis Milt. tyrannidis, quam illic tenuerat, sed capitis absolutus, auctore Herod. VI, 104.

Noster vero cum laudes exaggeret, Milt. *non vi dominationem Chersonesi consecutum esse, bonitate retinuisse, in eoque tum summam humanitatem tum miram communitatem fuisse,* vitia more suo obtegit atque excusat. Nam Herodot. VI, 39 auctor est, Milt. in locum Stesagoræ fratris succedentem principes omnium civitatum Chersonesi convenire jussisse, ut defuncto regi justa persolverent, eosque, cum convenissent, in carcerem conjecisse.

De *Themistocle* omnia, quæ in nostro legimus, habent Plutarchus in vita Themistoclis, Diodorus et Thucydides; ubi alia narravit, vel temere errasse, vel consulto historiam invertisse videtur. Neque negaverim, rursus Ephorum seu Theopompum a nostro inspectum esse. Namque Theopompus memoriæ prodidisse dicitur a Plut. Them. 19 de Themistocle Athenas instaurante, c. 25 de ejus fuga, c. 31 de ejus victu in Asia; et ad Ephorum provocat Plutarchus in Them. 27 de congressu ejus cum Xerxe.

Noster 1, 1: *hujus vitia ineuntis adolescentiæ.*	Plut. Themist. 2: ἐν δὲ ταῖς πρώταις τῆς νεότητος ὁρμαῖς ἀνώμαλος ἦν καὶ ἀστάθμητος.

Originem Themist. contra historiæ fidem nobilitavit, ita ut Plutarchum ante oculos habuisse eique aperte contradicere voluisse videatur:

1, 2. *pater ejus Neoclus generosus fuit. Is uxorem Acarnanam civem duxit, ex qua natus est Themist.*

Pl. l. c. πατρὸς ἦν Νεοκλέους οὐ τῶν ἄγαν ἐπιφανῶν Ἀθήνησι· . . νόθος δὲ πρὸς μητρός. . . Φανίας (αὐτὴν) οὐ Θρᾷτταν, ἀλλὰ Καρίνην . . ἀναγράφει.

Ne nothus fuerit Them., opponit noster *civem*, et cum, si non *in* Plutarchi exemplo, certe in simili scriptore majusculis literis indistincte *ΑΛΛΑΚΑΡΙΝΗΝ* (ἀλλ᾽ Ἀκαρίνην) deprehendisset, inde *Acarnanam* effecisse videtur (ut c. 10, 3 ex Myunte fecit Myntam), quam ut *civem* haud dubie Acharnis, tribu Attica, *oriundam* fuisse male putavit, ut Themistoclem γνήσιον faceret: quamquam tum eam Acharnensem, et si esset ex Acarnania, Acarnanidem dici oportebat.

Quod noster 1, 2 ait, Th. *a patre exheredatum esse*, id Plut. 2 in fabularum numero ponit.

1, 4 *de instantibus* (*ut ait Thucydides*) *verissime judicabat et de futuris callidissime coniciebat.* (Quo loco *instantia* notant *præsentia*, τὰ ἐνεστῶτα, ut alibi.)

Thucyd. I, 138 τῶν τε παραχρῆμα δι᾽ ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπιπλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής.

2, 2 *cum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quot annis interiret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium ædificaretur.*

Plut. Th. 4 τὴν πρόσοδον ἀπὸ τῶν ἀργυρείων μετάλλων ἔθος ἐχόντων Ἀθηναίων διανέμεσθαι, μόνος εἰπεῖν ἐτόλμησε παρελθὼν εἰς τὸν δῆμον, ὡς χρὴ . . ἐκ τῶν χρημάτων τούτων κατασκευάσασθαι τριήρεις ἐπὶ τὸν πρὸς Αἰγινήτας πόλεμον . . . Ἑκατὸν ἀπὸ τῶν χρημάτων ἐκείνων ἐποιήθησαν τριήρεις.

Apud Herodotum quidem VII, 144 legimus, ea pecunia ducentas naves exstructas esse, iisque alias addi consilium fuisse. Sed cum iis adversus Xerxem sint usi, et ad Artemisium numerus navium Atticarum auctore eodem Herodoto VIII, 1 tantum CXLVII fuerit, quas partim ipsi, partim Platæenses, partim Chalcidenses compleraut, (Diodorus XI, 12 item numerat CXL) valde dubito, Herodotusne de ducentis navibus tradiderit, cum in numeris librarii sæpe peccarint. Herodotus numerum navium, quæ ad Artemisium, et earum, quæ ad

Salamina conflixerunt, accuratius distinguit, et VIII, 44 ad Salamina CLXXX Atheniensium numerat (assentiente Plut. Th. c. 14), quibus si XX a Chalcidensibus impletas addiderimus, numerum CC habebimus, quem et Diodorus XV, 78 tuetur. Ita noster 2, 8, licet naves ad Artemisium et ad Salamina constitutas numero non distinguat, ad superiores ait totidem triremes additas esse, et c. 3, 2 classem communem CCC navium, Atheniensium CC fuisse; cum Herod. VIII, 2 ad Artemisium CCLXXI, VIII, 48 ad Salamina CCCLXXVIII naves communes Græcorum computet. Nihilominus ex ea pecunia, quæ Atheniensibus e metallis Laureoticis redibat, non plus centum naves ædificatæ videntur: namque jam Miltiadi LXX naves ad expeditionem datæ erant (Her. VI, 132), et aliæ iis, quæ ex illa pecunia fiebant, additæ (Her. VII, 144): quare plus quam CXLVII seu CC in prœliis navalibus fuissent, si jam CC e reditu Laureotico factæ fuissent. Neque veri simile est, centum navibus totidem additas esse, ut noster ait*), cum jam naves habuissent, nec tam brevi C effici possent. Cæterum æque ac noster numero rotundo Demosthenes de Corona p. 327 ed. Tauchnitz. in universum trecentas triremes computat, ex quibus ducentas Athenæ, duplo majorem numerum quam ceteri, suppeditaverint. Idem tamen Demosthenes in oratione de Symmoriis p. 198 in trecentis illis navibus, quæ mille Persarum naves prostraverint, ait centum Atticas fuisse, parum sibi constans, seu illas C recens paratas hic tantum significans, seu lectione incerta. Cf. Himerius in oratione, cui titulus *Πολεμαρχικὸς*, quam integram edidit Majus in Biblioth. Uffenbachiana Vol. I c. 27 col. 625: *ὁ μὲν χιλίας τριήρεις ἔπεμπεν· οἱ δὲ τριακοσίαις μόναις πρὸς ὅλην τὴν Ἀσίαν ἤγοντο.*

Suo ingenio noster c. 2 bellum Corcyreum intulisse videtur, cum apud Plutarchum c. 4 legeret, Aeginetas tum mare multis navibus obtinuisse, apud Thucydidem I, 14, Aeginetas ante Medicum bellum exiguam, sed Corcyræos satis magnam classem habuisse; quamquam ipse Thucyd., Herod. et Plut. tradebant, propter Aegineticum bellum Themistoclem classem parari voluisse. Sed nemo auctor est, bellum navale adversus Aeginam hac classe gestum esse, imo Herod. VII, 144 diserte ait, naves in eum usum, ad quem paratæ fuerint, non adhibitas esse, sed contra Persas dimicasse. Itaque admodum suspecta sunt, quæ noster habet de Themist. prætore facto, qui primum Corcyræos, deinde piratas fregerit. Plut. c. 24 refert, Them. arbitrum electum in controversia, quæ inter Corcyræos et Corinthios intercesserit, pro illis sententiam dixisse.

*) Rectius Diodor. XI, 13 classem L triremibus Atticis auctam esse ait.

2, 4 *Id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico.*	Plut. Th. 4 Ὅτι δὲ ἡ τότε σωτηρία τοῖς Ἕλλησιν ἐκ τῆς θαλάσσης ὑπῆρξε, καὶ τὴν Ἀθηναίων πόλιν λυθεῖσαν ἔστησαν αἱ τριήρεις ἐκεῖναι, τάτ' ἄλλα καὶ Ξέρξης αὐτὸς ἐμαρτύρησε.

2, 5. Numerum navium Xerxis MCC ex Plut. quidem c. 14 desumere potuit, qui ex Persis Aeschyli MCCVII fuisse tradidit, itemque ex Diodoro XI, 2, 3, qui naves longas amplius MCC (ut Justinus quoque II, 10) exhibet. Neque vero inde petere potuit numerum navium onerariarum MM (Herod. VII, 184 computat πεντηκοντέρους MMM, Diodor. XI, 3 totidem τριηκοντόρους), nec peditum DCC millium (Herod. l. c. 1,700,000, Diodor. XI, 3: 800,000), *neque* equitum CD millium (Herod. LXXX millia computat). Justinus II, 10 pariter tradit, Xerxem DCC millia de regno armasse, sed addit, CCC millia de auxiliis fuisse: ita Diodor. XI, 11 decies centena millia Persarum ad Thermopylas pugnasse ait.

2, 7 *Pythia respondit, ut moenibus ligneis se munirent. . Them. persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent: eum enim a deo significari murum ligneum.*	Plut. Th. 10 τῷ δὲ χρησμῷ ἐδημαγώγει, λέγων μηδὲν ἄλλο δηλοῦσθαι ξύλινον τεῖχος ἢ τὰς ναῦς.

Plutarchus interpretationem oraculi, navibus esse dimicandum, et profectionem incolarum ex urbe, sicut noster, conjungit, sed post interitum trecentorum Spartanorum et post pugnam ad Artemisium refert factum, quod noster antea evenisse scribit. Utraque autem res tempore inter se distat, auctore Herodoto; primum enim VII, 143 ait Themistoclem suasisse, mari esse confligendum, deinde VIII, 41 Athenienses urbem deserere decrevisse, postquam ad Thermopylas et Artemisium pugnatum esset.

2, 8 *Tali consilio probato . . sua omnia, quae moveri poterant, partim Salaminam, partim Troezenam deportant.*	Plut. Th. 10 Κυρωθέντος τοῦ ψηφίσματος, οἱ πλεῖστοι τῶν Ἀθηναίων ὑπεξέθεντο γονέας καὶ γυναῖκας εἰς Τροιζῆνα. Diodor. XI, 13. Τέκνα μὲν καὶ γυναῖκας, τῶν τε ἄλλων χρησίμων ὅσα δυνατὸν ἦν, εἰς τὰς ναῦς ἐνθέντες, διεκόμισαν εἰς Σαλαμῖνα.

Profugisse Athenienses Trœzenam Plutarchus; Salaminam Diodorus referunt; sed quod dicit, arcem sacerdotibus ac sacra procuranda tradita esse, ex neutro sumere potuit. Vere quidem: nam Her. VIII, 41 plurimos Trœzena, alios Aeginam, alios Salamina confugisse memoriæ prodit, et (c. 51) in arce ministros templi et paucos proletarios a. Persis inventos esse.

3, 1. Magis transeundi gratia, quam quod ideoneum auctorem habeat, significat, a Themistocle pugnam ad Thermopylas improbatam esse.

Interitum Leonidæ ad Thermopylas attingit Plut. Th. 9, describit Diodor. XI, 7 sqq.

3, 3 *Pari prælio discesserant**). Plut. Th. 8 *Αἱ δὲ γενόμεναι τότε πρὸς τὰς τῶν βαρβάρων ναῦς περὶ τὰ στενὰ μάχαι κρίσιν εἰς τὰ ὅλα μεγάλην οὐκ ἐποίησαν.*

4, 1. Quod de incendio urbis scribit, non sumsit de Plutarcho. Ne Herodotus VIII, 53. 56 quidem id tradidit, sed arcem direptam incensamque, et defensores occisos esse. Diodorum XI, 15, sed male interpretatus, exscripsit, qui ita· *Οἱ δὲ περὶ τὴν Σαλαμῖνα διατρίβοντες Ἀθηναῖοι, θεωροῦντες τὴν Ἀττικὴν πυρπολουμένην . . δεινῶς ἠθύμουν.*

4, 2 *Classiarii cum manere non auderent et plurimi hortarentur, ut domos suas discederent mœnibusque se defenderent.* Plut. Th. 12 *πάλιν ἐπάπταινον οἱ Πελοποννήσιοι πρὸς τὸν Ἰσθμὸν, εἴ τις ἄλλο τι λέγοι χαλεπαίνοντες.*

Minus accurate noster ait de classiariis universis, quod Athenienses certe conari non poterant. Nec mœnibus se defensuri erant: cum, quod noster sui immemor XVII, 6, 1 ipse scribit, Sparta sine muris fuerit. Melius Plut. Th. 12 *διαλύεσθαι κατὰ πόλεις.*

Ibid. *Idque Eurybiadi, regi Lacedæmoniorum, qui tum summæ imperii præerat, fore affirmabat. Quem cum minus quam vellet moveret etc.* Plut. Th. 11. *Εὐρυβιάδου δὲ τὴν μὲν ἡγεμονίαν τῶν νεῶν ἔχοντος διὰ τὸ τῆς Σπάρτης ἀξίωμα.. αἴρειν δὲ βουλομένου καὶ πλεῖν ἐπὶ τὸν Ἰσθμὸν . . ὁ Θεμιστοκλῆς ἀντέλεγεν.* Item Diodor. XI, 15.

Errat noster, cum Eurybiadem regem faciat, qui ne ex regio quidem genere natus, filius Euryclidis fuit, auctore Herod. VIII, 42.

*) Cf. Himer. l. c. c. 27 col. 628: *ἀνήγοντο μὲν μετ' Ἀρτεμίσιον· ἐπαιώνιζον δὲ ἑκατέρωθι τὰ νικητήρια.*

4, 3 *noctu de servis suis quem habuit fidelissimum ad regem misit, ut ei nuntiaret verbis suis, adversarios ejus in fuga esse.*

Plut.Th. 12. *Ἐδόκει δὲ τῆς νυκτὸς ἀποχωρεῖν . . Ἦν δὲ τῷ γένει Πέρσης ὁ Σίκινος αἰχμάλωτος, εὔνους δὲ τῷ Θεμιστοκλεῖ . . Ὃν ἐκπέμπει πρὸς τὸν Πέρσην κρύφα, κελεύσας λέγειν, ὅτι Θεμιστοκλῆς . . ἐξαγγέλλει πρῶτος αὐτῷ τοὺς Ἕλληνας ἀποδιδράσκοντας, καὶ διακελεύεται μὴ παρεῖναι φυγεῖν αὐτοῖς.*

4, 4. Minus recte ait: *quos si statim aggrederetur*, quod cautius Plutarch. expressit. Nam ea nocte Græci statuerunt discedere; nihil igitur profuisset aggredi, sed opus erat exitu intercludere, id quod Xerxes secundum Plut. 12 illa nocte fecit (annuente Herod. VIII, 76).

4, 5. *Hac re audita, barbarus nihil doli subesse credens.*

Plut. Th. 12. *Ταῦτα δ' ὁ Ξέρξης ὡς ἀπ' εὐνοίας λελεγμένα δεξάμενος, ἥσθη.*

Ibid. *Victus est magis etiam consilio Themistoclis quam armis Græciæ.*

Id. c. 15. *ἀράμενοι νίκην, . . ἀνδρείᾳ μὲν καὶ προθυμίᾳ κοινῇ τῶν ναυμαχησάντων, γνώμῃ δὲ καὶ δεινότητι Θεμιστοκλέους.*

5, 1. *Themistocles . . certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur.*

Plut. c. 16. *πέμπει τινὰ . . φράζειν βασιλεῖ κελεύσας, ὅτι τοῖς μὲν Ἕλλησι δέδοκται . . ἀναπλεῖν εἰς τὸν Ἑλλήσποντον ἐπὶ τὸ ζεῦγμα, καὶ λύειν τὴν γέφυραν. Θεμιστοκλῆς δὲ . . παραινεῖ σπεύδειν ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ θάλασσαν καὶ περαιοῦσθαι.* Item Diodor. XI, 19.

Herodotus VIII, 108 sqq. aliter, ac Plutarchus et noster, refert, Themistoclem pontem rescindendum censuisse quidem, sed cum id Græcis non persuaderet, regi nuntiasse, se id prohibuisse, non ut deluderet, sed ut ejus gratiam iniret. Cum Her. facit Thuc. I, 137.

5, 2. Regem *sex mensibus iter fecisse* perhibet, parum sibi constans, cum XVII, 4, 4 temere Xenophontem in Agesilao 2 secutus, *iter Xerxem anno vertente confecisse* dicat. Eundem *minus diebus XXX in Asiam reversum esse*, ait noster, qua de re nihil Plutarch. Herodot. VIII, 115 dicit eum XLV diebus ad Hellespontum pervenisse.

5, 3. *Unius viri prudentia Græcia liberata est.*

Diodor. XI, 19. *Θεμ. μὲν οὖν δυσὶ στρατηγήμασι χρησάμενος, μεγάλων προτερημάτων αἴτιος ἐγένετο τοῖς Ἕλλησι.*

6, 1. Male præponitur constructio portus instaurationi murorum, qui ordo fortasse commodior videbatur, quoniam illud celerius absolvi poterat. Sed contradicunt Thuc. I, 93, Plut. Th. 19 (*ἐκ δὲ τούτου Πειραιᾶ κατεσκεύαζε*) et Diodor. XI, 41.

Cum Phalarico portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piræi portus constitutus est isque mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem . . utilitate superaret.

Diodor. XI, 41 *ἐπινείῳ χρωμένων τῶν Ἀθηναίων τῷ προςαγορευομένῳ Φαληρικῷ, μικρῷ παντελῶς ὄντι, ἐπενόησε τὸν Πειραιᾶ κατασκευάζειν λιμένα.*

Thuc. I, 93. *τὸ χωρίον λιμένας ἔχον τρεῖς αὐτοφυεῖς· καὶ ᾠκοδόμησαν τῇ ἐκείνου γνώμῃ τὸ πάχος τοῦ τείχους, ὅπερ νῦν ἔτι δῆλόν ἐστι περὶ τὸν Πειραιᾶ.*

Id. ib. *τόν τε Πειραιᾶ ὠφελιμώτερον ἐνόμιζε τῆς ἄνω πόλεως.*

6, 2. 3. *Lacedæmonii causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones etc., ne essent loca munita, quæ hostes possiderent, Ath. ædificantes prohibere sunt conati.. Ath. enim tantam gloriam etc. Legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His præsentibus desierunt.*

Diodor. XI, 39. *Λακεδαιμόνιοι . . ὑπώπτευσαν αὐτῶν τὴν αὔξησιν, καὶ διέγνωσαν κωλύειν τοὺς Ἀθηναίους ἀνοικοδομεῖν τὰ τείχη. Εὐθὺς οὖν πρέσβεις ἐξέπεμψαν εἰς τὰς Ἀθήνας· . . . . τὸν γὰρ Ξέρξην . . ἕξειν ἑτοίμας πόλεις τετειχισμένας ἐκ τοῦ Πελοποννήσου, ἐξ ὧν ὁρμώμενον ῥᾳδίως καταπολεμήσειν τοὺς Ἕλληνας . . . Θεμιστοκλῆς . . συνεβούλευεν ἔχειν ἡσυχίαν.*

Thucyd. I, 90, qui vulgo nostri dux fuisse creditur, in duabus rebus aliquantum discrepat: primum enim non perhibet, Lacedæmonios legatos Athenas misisse, qui muros instrui vetarent, deinde non narrat, Athenienses iis præsentibus desiisse; quam ob rem Lieberkühnius p. 126 Nepotem incusat, eum non satis recte assecutum esse Thucydidem. Sed hæc omnia ad verbum fere ex Diodoro desumta sunt. Observandum quoque est, Theopompum apud Plut. Th. 19

alia tradere, ut si Themistocles ephoros pecunia corruperit, quo minus ædificantes prohiberent. Cf. Schol. Aristoph. Equ. 84.

6, 5. *Hanc legationem suscepit Th. et solus primo profectus est; reliqui legati ut tum exirent, cum satis altitudo muri extructa videretur, præcepit: interim omnes .. opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer sive privatus esset sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent.*

Thuc. I, 90. *ἑαυτὸν δ' ἐκέλευεν ἀποστέλλειν .. ὁ Θεμιστοκλῆς, .. ἄλλους δὲ πρὸς ἑαυτῷ ἑλομένους πρέσβεις, μὴ εὐθὺς ἐκπέμπειν, ἀλλ' ἐπισχεῖν μέχρι τοσούτου, ἕως ἂν ἱκανὸν τὸ τεῖχος αἴρωσιν .. τειχίζειν δὲ πάντας πανδημεὶ τοὺς ἐν τῇ πόλει .. φειδομένους μήτε ἰδίου μήτε δημοσίου οἰκοδομήματος, ὅθεν τις ὠφέλεια ἔσται ἐς τὸ ἔργον.*

Diodor. XI, 39 reticuit, Themistoclem primo solum profectum esse.

6, 5. *Quo factum est, ut Ath. muri ex sacellis sepulchrisque constarent.*

Diodor. XI, 40. *ᾠκοδόμουν τὰ τείχη, οὔτ' οἰκίας οὔτε τάφου φειδόμενοι.*

Thuc. I, 93 ait, multas columnas ex monumentis et saxa polita ingesta esse.

7, 1. *Them. adire ad magistratus noluit .. causam interponens se collegas exspectare ... Ad ephoros accessit, atque contendit, falsa his esse delata, quare æquum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent .. Gestus est ei mos, tresque legati .. Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Them. jussit proficisci* etc.

Thuc. I, 90 sq. *οὐ προςῄει πρὸς τὰς ἀρχάς, ἀλλὰ διῆγε, καὶ προὐφασίζετο .. τοὺς ξυμπρέσβεις ἀναμένειν ... κελεύει αὐτοὺς μὴ λόγοις μᾶλλον παράγεσθαι, ἢ πέμψαι σφῶν αὐτῶν ἄνδρας, οἵτινες χρηστοὶ καὶ πιστῶς ἀναγγελοῦσι σκεψάμενοι. Ἀποστέλλουσιν οὖν· καὶ περὶ αὐτῶν ὁ Θεμιστ. τοῖς Ἀθηναίοις κρύφα πέμπει, κελεύων .. μὴ ἀφεῖναι.*

Noster de suo tres legatos Lacedæmone missos ait, quemadmodum tres fuisse Atheniensium legatos ex Thucydide constat, Themistoclem, Abronychum et Aristidem. Pariter ex suo ingenio subjecit, collegas a Themist. jussos esse cum Spartanis proficisci, cum Thucyd. dicat, Them. Atheniensibus clam mandasse, ut ne Lacedæmoniorum legatos dimitterent, atque Diodorus XI, 39, Them. antequam proficisceretur magistratui præcepisse, ut legatos, si qui Lacedæmone supervenerint, retinerent.

7, 4. In oratione Them. liberius expressit, quæ Thucyd. I, 91 exhibet.

8, 1. *Tamen non effugit civium suorum invidiam . . . Testularum suffragiis e civitate ejectus, Argos habitatum concessit . . Lacedæmonii legatos miserunt, qui eum absentem accusarent* etc.

Plut. Th. 22 sq. τῶν πολιτῶν διὰ τὸ φθονεῖν ἡδέως τὰς διαβολὰς προσιεμένων . . . τὸν ἐξοστρακισμὸν ἐποιήσαντο κατ' αὐτοῦ . . . Ἐκπεσόντος δὲ τῆς πόλεως αὐτοῦ καὶ διατρίβοντος ἐν Ἄργει . . κατεβόων μὲν αὐτοῦ Λακεδαιμόνιοι. Cf. Thuc. I, 135.

8, 3. Male noster ait, Th. *absentem proditionis damnatum esse*, cum e Thucyd. I, 135 et Plut. Th. 23 sciamus, missos esse, qui adducerent tantum, ut judicaretur, proditionis causa dicta.

8, 3. *Id ut audivit, . . Corcyram demigravit. Ibi cum ejus principes animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonii et Ath. indicerent, ad mætum, Molossum regem . . confugit.*

Thuc. I, 136. Ὁ Θεμ. προαισθόμενος φεύγει ἐκ Πελοποννήσου ἐς Κέρκυραν. Δεδιέναι δὲ φασκόντων τῶν Κερκυραίων ἔχειν αὐτὸν, ὥστε Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις ἀπέχθεσθαι . . ἀναγκάζεται . . παρὰ Ἄδμητον τὸν Μολοσσῶν βασιλέα, ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον, καταλῦσαι.

Hospitium Them. cum Admeto fuisse ait noster, aut oculis prætermittens particulam οὐ apud Thucydidem, aut Diodoro exscripto qui brevi absolvit, Th. ab Admeto humaniter exceptum esse.

8, 4. *Huc cum venisset, et in præsentia rex abesset . . filiam ejus parvulam arripuit et cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur cerimonia, conjecit.*

Thuc. I, 136. ὁ μὲν οὐκ ἔτυχεν ἐπιδημῶν· ὁ δὲ . . τὸν παῖδα σφῶν λαβὼν καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν . . . καὶ μέγιστον ἦν ἱκέτευμα τοῦτο.

Inscite e filio, de quo Plut. Th. 24 convenit cum Thucyd., filiam fecit.

8, 5. *Cum ab Ath. et Lac. exposceretur publice, supplicem non prodidit . . Phydnam eum deduci jussit, et quod satis esset præsidii dedit.*

Thuc. I, 137. Τοῖς τε Λακεδ. καὶ Ἀθην. ἐλθοῦσι καὶ πολλὰ εἰποῦσιν, οὐκ ἐκδίδωσιν, ἀλλ' ἀποστέλλει . . ἐς Πύδναν.

Diodor. XI, 56. Ἄδμητος χρυσοῦ πλῆθος ἐδωρήσατο αὐτῷ, ἐφόδιον τῆς φυγῆς.

Conjunxit hic discrepantes Thucyd. et Diod., ille enim ait pecuniam Athenis et Argis ad Themist. venisse.

8, 6. *Hic in navem omnibus ignotus nautis escendit. Quae cum tempestate maxima Naxum ferretur . . . domino navis, qui sit, aperit . . At ille diem noctemque in salo navem tenuit in anchoris . . Ephesum pervenit: cui ille pro meritis postea gratiam retulit.*

Thuc. I, 137. *ὁλκάδος τυχὼν.. καταφέρεται χειμῶνι ἐς τὸ Ἀθηναίων στρατόπεδον, ὃ ἐπολιόρκει Νάξον· καὶ (ἦν γὰρ ἀγνὼς τοῖς ἐν τῇ νηΐ) δείσας φράζει τῷ ναυκλήρῳ, ὅστις ἐστί· . . . ὁ δὲ ναύκληρος . . ἀποσαλεύσας ἡμέραν καὶ νύκτα . . ἀφικνεῖται ἐς Ἔφεσον. Καὶ ὁ Θεμ. ἐκεῖνον ἐθεράπευσε χρημάτων δόσει.*

Plutarch. Th. 26 contra dicit Them. Cymen appulsum et inde Aegas, in oppidum Aeolidis, confugisse.

9, 1. *Scio plerosque ita scripsisse, Them. Xerxe regnante in Asiam transisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus* etc.

Plutarch. Th. 27. *Θουκυδίδης μὲν οὖν καὶ Χάρων ὁ Λαμψακηνὸς ἱστοροῦσι, τεθνηκότος Ξέρξου, πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τῷ Θεμιστοκλεῖ γενέσθαι τὴν ἔντευξιν· Ἔφορος δὲ καὶ Δείνων καὶ Κλείταρχος καὶ Ἡρακλείδης ἔτι δ' ἄλλοι πλείονες, πρὸς αὐτὸν ἀφικέσθαι τὸν Ξέρξην. Τοῖς δὲ χρονικοῖς δοκεῖ μᾶλλον ὁ Θουκυδίδης συμφέρεσθαι.*

Wichersius quidem et Lieberkühnius suspicati sunt, a nostro, cum haec scriberet, Ephorum, Dinonem, Clitarchum et Heraclidem Ponticum inspectos esse; sed ut alia, ita haec simpliciter e secundario fonte compilare potuit: neque vero satis recte Thucydidem *proximum de his* dixit, *qui illorum temporum historiam reliquerint.* Charon enim, qui teste Plutarcho cum Thuc. consentit, hoc et ipso Herodoto antiquior fuit, ut jam Bosius ad locum nostri monuit. De Charonis aetate Creuzerus in fragm. Historic. Gr. antiquiss. p. 89—95 egregie disputans effecit, eum circiter annum 520 a. Chr. natum, triginta annis minorem fuisse Hecataeo Milesio, triginta sex majorem Herodoto, et Thucydide quadraginta novem annis. Cum Themistocles ad Persas transiit, Charon LV circiter, Thucydides VI non amplius annos natus erat.

9, 2. *Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse atque his verbis epistolam misisse: Them. veni ad*

Thucyd. I, 137. *Θεμιστοκλῆς ἥκω παρὰ σέ, ὃς κακὰ μὲν πλεῖστα Ἑλλήνων εἴργασμαι τὸν ὑμέ-*

te, qui plurima mala hominum Graiorum in domum tuam intuli, quam diu mihi necesse fuit adversus patrem tuum bellare patriamque meam defendere.	τερον οἶκον, ὅσον χρόνον τὸν σὸν πατέρα ἐπιόντα ἐμοὶ ἀνάγκῃ ἠμυνόμην.

Displicet, quod Them. *ad Artaxerxem venisse* dicit, quem anno post demum secundum Thuc. convenit. Diodorus XI, 56 quidem et Plut. Th. 27, secuti Phaniam Lesbium et Eratosthenem περὶ πλούτου, statim Them. cum rege (Diodorus ait cum Xerxe) congressum et ea fere coram locutum esse perhibent, quæ in epistola perscripta erant, nescio an ejus exordio decepti: Θεμ. ἥκω. Tum fabula, quam Diodor. et Plut. 26 narrant, excogitata est, Them. tanquam pellicem græcam velatum in Persiam vectum esse. In hoc tamen convenit Plut. 29, Them. in colloquio annuum tempus sibi sumsisse, quo exacto sine interprete in Artaxerxis conspectum reversurus esset.

Diligenter debuit noster verba epistolæ reddere: sed male ἐμοὶ ad ἀνάγκῃ retulisse videtur, ex suoque ingenio addidit de patriæ defensione, quæ sane nihil ad rem faciebat, cum Them. in eo fuisset, ut eam proderet. Sibi consuluisse se, cum Xerxem propulsaret, Them. ait, et ἐμοὶ est dativus commodi a verbo ἠμυνόμην pendens. Se, non patriam, in sequentibus quoque respicit.

9, 3. *Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse et ille in periculo esse cœpit. Nam cum in Asiam reverti vellet, . . litteris eum certiorem feci, id agi, ut pons . . dissolveretur.*	Thuc. l. c. πολὺ δ' ἔτι πλείω ἀγαθά, ἐπειδὴ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ μὲν ἐμοί, ἐκείνῳ δὲ ἐν ἐπικινδύνῳ πάλιν ἡ ἀποκομιδὴ ἐγίγνετο. Καί μοι εὐεργεσία ὀφείλεται (γράψας τήν τε ἐκ Σαλαμῖνος προάγγελσιν τῆς ἀναχωρήσεως, καὶ τὴν τῶν γεφυρῶν, ἣν ψευδῶς προσεποιήσατο τότε δι' αὐτόν, οὐ διάλυσιν).

Quod Thucydidis verba Themistocli tribuit, excusari potest, non tamen laudari; nam eo magis brevitatem Thucydideam imitari oportuit, quod rem in eadem vita c. 5 jam narraverat.

9, 4. *Nunc autem confugi ad te, exagitatus a cuncta Græcia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo etc.*	Thuc. l. c. Καὶ νῦν ἔχων σε μεγάλα ἀγαθὰ δρᾶσαι πάρειμι, διωκόμενος ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων διὰ τὴν σὴν φιλίαν. Βούλομαι δ' ἐνιαυτὸν ἐπισχὼν, αὐτός σοι περὶ ὧν ἥκω δηλῶσαι.

Perperam intellexit verba *διὰ τὴν σὴν φιλίαν*, cum *πάρειμι* jungens: imo demonstrare voluit Them., benevolentiam, qua ipse regem prosequeretur, fuisse causam, cur sibi insidiarentur inimici. Noster contra inepte de amicitia, quam rex haberet, intellexit. Tum paucis Thucydides de Them., qui magnis beneficiis regem afficere posset, plus dixit, quam noster, qui bonum amicum facit se profitentem: magna enim bona promittendo, cupidum illum conveniendi et colloquendi redderet necesse erat.

10, 1. *Hujus rex animi magnitudinem admirans . . veniam dedit. Ille omne illud tempus litteris sermonique Persarum se dedidit: quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati. Hic cum multa regi esset pollicitus* etc.

Thuc. I, 138. *Βασιλεὺς δὲ, ὡς λέγεται, ἐθαύμασέ τε αὐτοῦ τὴν διάνοιαν, καὶ ἐκέλευσε ποιεῖν οὕτως. Ὁ δ' ἐν τῷ χρόνῳ, ὃν ἐπέσχε, τῆς τε Περσίδος γλώσσης, ὅσα ἠδύνατο, κατενόησε, καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τῆς χώρας. Ἀφικόμενος δὲ μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν, γίγνεται παρ' αὐτῷ μέγας . . διά τε τὴν προϋπάρχουσαν ἀξίωσιν καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐλπίδα, ἣν ὑπετίθει αὐτῷ δουλώσειν.*

Mores patrios Persarum, quos didicit Them., male noster *litteras* nuncupavit, et quod simpliciter dictum erat, Them. quantum potuerit didicisse, vitiose exaggeravit.

10, 2. 3. *domicilium Magnesiæ sibi constituit. Namque hanc urbem ei rex donarat, his quidem verbis, quæ ei panem præberet etc. Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulchrum prope oppidum, in quo est sepultus; statuæ in foro Magnesiæ.*

Thuc. l. c. *Μνημεῖον μὲν οὖν αὐτοῦ ἐν Μαγνησίᾳ ἐστὶ τῇ Ἀσιανῇ, ἐν τῇ ἀγορᾷ· ταύτης γὰρ ἦρχε τῆς χώρας, δόντος βασιλέως αὐτῷ Μαγνησίαν μὲν, ἄρτον, ἣ προσέφερε πεντήκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ· Λάμψακον δὲ, οἶνον· Μυοῦντα δὲ, ὄψον.*

Contulit hic Plutarchum et perperam cum Thucydide conjunxit, grammaticum magis agens quam historicum. Ammonius enim discrimen statuit inter *μνῆμα* et *μνημεῖον*, illud esse *τάφον*, hoc vero *μνημόσυνον*, quod idem Eustathius ad Homerum non uno loco annotat*). Itaque noster *μνημεῖον* Thucydidis, quod Pollux IX, 15 hic pro *μνῆμα* dictum esse recte agnoscit, pro *statuis* accipit, et a *sepulchro* distinguit, ad quod, quo magis appareat, addit etiam: *in*

*) *μνῆμα*, *μνημεῖον* et *τάφον* multis promiscue dici, docent Wassius et Ducker. ad Thuc. l. c.

quo est sepultus. Quamquam Plutarchus Th. 32 diserte sepulcrum in ipso foro collocavit: *τάφον μὲν αὐτοῦ λαμπρὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ Μάγνητες ἔχουσι*, noster tamen, ut in distinguendo perseveraret, id *prope oppidum* referebat: in quo ne Diodorum quidem assentientem habet, qui quidem XI, 58 sepulturam et monimentum ita jungit: *τελευτήσας ἐν τῇ Μαγνησίᾳ ταφῆς ἔτυχεν ἀξιολόγου καὶ μνημείου τοῦ ἔτι νῦν διαμένοντος.* Cæterum e verbis Diodori et Plutarchi bene intelligitur, cur Pseudo-Nepos dicat, ad suam memoriam monumenta Th. mansisse. Male Bosius et Cellarius existimant, collato Pausania I, 1, 2, a nostro Athenas significari, prope quas Them. sepulcrum sit. Ita absolute oppidum non denotat Athenas, nisi ex contextu appareat; at hic Magnesiam respicit, ubi Th. mortuus est.

10, 4. *De cujus morte multimodis apud plerosque scriptum est; sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum neque negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse* etc.

Thuc. I, 138. *Νοσήσας δὲ τελευτᾷ τὸν βίον· λέγουσι δέ τινες καὶ ἑκούσιον φαρμάκῳ ἀποθανεῖν αὐτὸν, ἀδύνατον νομίσαντα εἶναι ἐπιτελέσαι, βασιλεῖ ἃ ὑπέσχετο.*

Ab iis, qui gloriæ Them. favebant ejusque *μισοβάρβαρον τρόπον* (Schol. Arist. Equ. 83) declarare volebant, excogitatum esse videtur, eum mortem sibi conscivisse, quod mendacium esse Symmachus (apud Schol. modo memoratum) contendit. Alii ne hoc quidem contenti, venenum sumsisse, insuper fabulati sunt, eum *instituto sacrificio exceptum patera tauri sanguinem hausisse, et ante ipsam aram quasi quandam pietatis claram victimam concidisse* (verba sunt Valerii Max. V, 6, 3. cf. Plutarch. Them. 31. Cimon. 18.). Sic tragice ejus mortem ornatam esse a Clitarcho et Stratocle perhibet Cicero in Bruto c. 11. Alii, quos commemorat Diodorus XI, 58, etiam magis amplificarunt amorem patriæ Them., ut si, rege jurejurando obstricto, ne Græcis nisi ipso comitante bellum inferret, immolati tauri sanguine hausto exspirasset. Videmus, nostrum e Thucydide, Diodoro et Plutarcho satis cognoscere potuisse, *multimodis de Them. morte scriptum esse.*

10, 5. *Idem ossa ejus clam in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.*

Thuc. l. c. *Τὰ δὲ ὀστᾶ φασὶ κομισθῆναι αὐτοῦ οἱ προσήκοντες οἴκαδε, κελεύσαντος ἐκείνου, καὶ τεθῆναι κρύφα Ἀθηναίων ἐν τῇ Ἀττικῇ· οὐ γὰρ ἐξῆν θάπτειν, ὡς ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντος.*

Eo minus debuit noster de sepulcro prope Magnesiam prodere, *in quo Th. sit sepultus*. Atque denuo erravit, quod ex proditionis reo (ἐπὶ προδ. φεύγων) proditionis damnatum fecit.

In *Aristide* nihil est, quod non insit in Plutarcho, si unum versum 3, 1 exceperis, quem e Thucydide mutuatus est, et definitionem temporum 1, 5. 2, 1. 3, 3, e Chronicis Nepotis fortasse desumtam.

1, 1. *Aristides, Lysimachi filius, Athen., æqualis fere fuit Them. Itaque cum eo de principatu contendit: namque obtrectarunt inter se.*

Plutarch. Arist. vita 1. Ἀριστείδης ὁ Λυσιμάχου, φυλῆς μὲν ἦν Ἀντιοχίδος. c. 2 ἥψατο μὲν ἀριστοκρατικῆς πολιτείας, ἔσχε δ' ἀντιτασσόμενον ὑπὲρ τοῦ δήμου Θεμιστοκλέα. Una educatos esse ait, et in pueris jam φιλονεικίαν comparuisse. c. 3 Itaque post alterum alteri adversatum esse.

Particula *itaque* complectitur, licet male, id quod Plutarchus Them. 3 et Arist. 2. 3 persequitur, simultatem originem duxisse ex diversitate ingeniorum, ambitione Them., animo Aristidis alieno à rebus novis et ex amore, quo auctore Aristone Chio uterque in eundem puerum exarsisset.

1, 2. *adeo excellebat Arist. abstinentia, ut unus post hominum memoriam .. cognomine Justus sit appellatus; tamen a Them. collabefactus, testula illa exilio decem annorum multatus est.*

Plut. Arist. 5. ἐκτήσατο τὴν .. προσηγορίαν τὸ δίκαιον· ὃ τῶν βασιλέων καὶ τυράννων οὐδεὶς ἐζήλωσεν . . . c. 7. Τῷ δ' οὖν Ἀρ. συνέβη τὸ πρῶτον ἀγαπωμένῳ διὰ τὴν ἐπωνυμίαν, ὕστερον φθονεῖσθαι, μάλιστα μὲν τοῦ Θεμιστ. λόγον εἰς τοὺς πολλοὺς ἐμβαλόντος .. ἐξοστρακίζουσι τὸν Ἀριστ.

1, 3. 4. *quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Ar. commisisset . . Cui ille respondit, se ignorare Ar., sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut præter ceteros Justus appellaretur.*

Plut. Ar. 7. τοῦ δὲ πυθομένου μή τι κακὸν αὐτῷ Ἀριστείδης πεποίηκεν, οὐδὲν, εἶπεν, οὐδὲ γινώσκω τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐνοχλοῦμαι πανταχοῦ τὸν δίκαιον ἀκούων.

Discrepantia est fortuita, quod nostro dicitur Aristides animadvertisse quendam scribentem, ut patria pelleretur, Plut. contra ait,

famam esse, illiteratum quendam ab Aristide ignoto petiisse, ut Ar. nomen testulæ inscriberet, atque id obtinuisse.

1, 5. *Postquam Xerxes in Græciam descendit, sexto fere anno quam erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.*

Plut. Ar. 8. *Τρίτῳ δ' ἔτει, Ξέρξου διὰ Θετταλίας καὶ Βοιωτίας ἐλαύνοντος ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν, λύσαντες τὸν νόμον ἐψηφίσαντο τοῖς μεθεστῶσι κάθοδον.*

Haud scio, an diversitas temporis e compendio numeri senarii orta sit, quod duplici gamma fiebat, ut in codice D Evangelii Marci 15, 33 apud Kiplingium. Quare facilis fuit permutatio numerorum γ' et ς', sicut in codicibus Joh. Ev. 19, 14, quo loco equidem in Lucubratione Crit. p. 351 lectionem τρίτῃ vulgari ἕκτῃ prætuli.

2, 1. *Interfuit autem pugnæ navali apud Salaminam, quæ facta est prius quam pœna liberaretur.*

Plut. Ar. l. c. *ἀπολιπεῖν τὴν Σαλαμῖνα βουλευομένων τῶν περὶ Εὐρυβιάδην . . . ἧκεν ὁ Ἀριστείδης ἀπ' Αἰγίνης.*

Sibi ipse contradicere, et Plutarchi auctoritatem, quam 1, 5 amplexus erat, cum alio scriptore temere conciliare videtur. Namque qui tempore pugnæ Salaminiæ pœna nondum liberatus erat, is in patriam restitui non potuit, postquam Xerxes in Græciam descendit. Hæc quidem Plutarchi verba sunt, sed non opinioni a nostro 2, 1 propositæ quadrant. Diserte Plut. ait, post populi scitum de restituendis exulibus factum Aristidem Themistocli ad Salamina consilio et opera adfuisse. Dubitari quidem potest, num recte hoc tradiderit; nosterque consulto ducem suum Plutarchum, sero tamen, deseruisse videtur. Herodotus VIII, 79 enim auctor est, Aristidem e patria exulem, Aegina profectum ad Themistoclem ceterosque duces ad Salamina accessisse. Præterea secundum Plutarch. Them. 11. ipse Themistocles legem de restituendis exulibus tulerat; sed cum Xerxes Atticam invaderet, Themistocles navibus præesset et populus Atheniensis a patria discederet, populi scita haud dubie cessabant. Post victoriam Salaminiam Aristides opera Themistoclis, qui ejus egregiam operam in prœlio navali perspexerat, commodius revocatus esse videbitur.

2, 1. *Idem prætor fuit Athen. apud Platæas in prœlio etc.* 2. *Pausania duce Mardonius erat fugatus.*

Plut. Ar. 11. *Χειροτονηθεὶς δὲ στρατηγὸς αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὴν μάχην . . ἧκεν εἰς Πλαταιάς.... Παυσανίας ὁ τοῦ σύμπαντος ἡγούμενος Ἑλληνικοῦ.* 19. *αἱροῦσι τὸ στρατόπεδον, φόνῳ πολλῷ τῶν πολεμίων.*

2, 2. Minus vere observat, nullum aliud Ar. *in re militari esse illustre factum*, cum hic unus ducum fuerit, qui ad Marathonem pugnarunt, in quibus Miltiadem auctoritatis summæ, Aristidem dignitate alterum fuisse ait Plut. in Arist. 5.

2, 2. *ejus æquitate factum est, cum in communi classe esset Græciæ simul cum Pausania . . ut summa imperii maritimi ab Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses.*

Plut. Ar. 23. Ἐπεὶ δὲ στρατηγὸς ἐκπεμφθεὶς μετὰ Κίμωνος ἐπὶ τὸν πόλεμον, ἑώρα τόν τε Παυσανίαν καὶ τοὺς ἄλλους ἄρχοντας τῶν Σπαρτιατῶν ἐπαχθεῖς καὶ χαλεποὺς τοῖς συμμάχοις ὄντας, αὐτός τε πράως καὶ φιλανθρώπως ὁμιλῶν . . ἔλαθε τῶν Λακεδαιμονίων οὐχ ὅπλοις, οὐδὲ ναυσὶν, οὐδ᾽ ἵπποις, εὐγνωμοσύνῃ δὲ καὶ πολιτείᾳ τὴν ἡγεμονίαν παρελόμενος.

LXXIII annos Ath. Græcis præfuisse ait Demosth. adv. Philipp. III p. 125 (ab a. 477 ante Chr. usque ad a. 405), XLV annos Græcorum voluntate Dem. de Contrib. p. 186 (usque ad bellum Peloponnesium).

3, 1. *quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret, ejusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quot annis Delum sunt collata.*

Plut. Ar. 24. ᾐτήσαντο παρὰ τῶν Ἀθηναίων Ἀριστείδην, καὶ προςέταξαν αὐτῷ, . . ὁρίσαι τὸ κατ᾽ ἀξίαν ἑκάστῳ καὶ δύναμιν... Ὃν (φόρον) Ἀρ. ἔταξεν, ἦν εἰς ἑξήκοντα καὶ τετρακοσίων ταλάντων λόγον.

Ibid. *Id enim commune ærarium esse voluerunt.*

Thuc. I, 96. ταμιεῖόν τε Δῆλος ἦν αὐτοῖς.

Subjicit, *omnem pecuniam postero tempore Athenas translatam esse*; quod quidem annis demum XLIV post evenit ante bellum Peloponnesium, si Justino III, 6, 4 fides habetur. Eam quidem rem non reperimus in Plutarchi Aristide, refertur tamen c. 25 e Theophrasto, cum deliberarent, num pecunia Delo Athenas deportanda esset, Aristidem dixisse, id non justum, sed utile esse. In Plutarchi Pericle c. 12 populus Atheniensis dicitur τὰ κοινὰ τῶν Ἑλλήνων χρήματα πρὸς αὐτὸν ἐκ Δήλου μεταγαγών. Cf. Demosth. de Contribut. p. 186: πλείω δ᾽ ἢ μύρια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν συνήγαγον.

3, 2. *in tanta paupertate decessit, ut qui efferretur, vix reliquerit.* 3. *Quo factum est, ut filiæ ejus publice alerentur et de com-*

Plut. Ar. 27. τάφος ἐστὶν αὐτοῦ Φαληροῖ δεικνύμενος, ὅν φασι κατασκευάσαι τὴν πόλιν αὐτῷ, μηδ᾽ ἐντάφια καταλιπόντι. Καὶ

muni ærario dotibus datis collocarentur.

τὰς μὲν θυγατέρας ἱστοροῦσιν ἐκ τοῦ πρυτανείου τοῖς νυμφίοις ἐκδοθῆναι, δημοσίᾳ τῆς πόλεως τὸν γάμον ἐγγυώσης καὶ προῖκα τρισχιλίας δραχμὰς ἑκατέρᾳ ψηφισαμένης. Λυσιμάχῳ δὲ τῷ υἱῷ . . ὁ δῆμος δραχμὰς τέσσαρας εἰς ἡμέραν ἑκάστην ἀπέταξεν.

Domos Miltiadis, Aristidis, Themistoclis, Cimonis non minus mediocres fuisse quam ceterorum, prædicat Demosthenes in Olynth. III p. 39 de Contribut. p. 187.

3, 3. Definitio temporis, quo Aristides decesserit, non magis quam tempus, quo pœna exilii liberatus sit (2, 1), e Plutarcho compilari non potuit. Suspicor, earum rerum notitiam Chronicis Nepotis, quæ Ausonii et Probi ætate superfuerunt, deberi. Fragmenta autem Chronicorum demonstrant, res Græcas et Romanas in annos ibi digestas fuisse.

Pausaniæ parentes omittit: quamquam Herod. IX, 10 docere poterat, patrem fuisse Cleombrotum. Nihil est in hac vita, quin apud *Thucydidem* et *Diodorum* legamus, excepto initio 1, 2. Quippe in recensendo numero copiarum Mardonii (sicut II, 2, 5 in copiis Xerxis) ignotum auctorem (fortasse Ephorum) secutus est. Minus computat Ctesias, CXX millia; ceteri numerum produnt majorem: Herodotus IX, 32 barbarorum CCC millia fuisse ait (convenit Plutarch. in Aristide c. 10), Græcorum auxiliariorum numerum nemini compertum conjicit L millium fuisse. Diodorus XI, 19 tradit Mardonium cum lectissimo equitum peditumque robore in Græcia relictum habuisse non minus CCCC millibus; sed Wesselingius annotat, eum numerum non bene quadrare, cum idem Diodorus c. 28 Mardonium e Thracia, Macedonia aliisque sociis civitatibus amplius CC millia hominum coëgisse, et c. 30 ad Platæas circiter D millia barbarorum pugnasse dicat.

Mardonium in prœlio cecidisse, noster cum in Diodoro XI, 31 tum in Plut. Arist. 19 legere potuit.

1, 3. *Primum in eo est reprehensus, quod cum ex præda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo hæc erat sententia: suo ductu barbaros apud Platæas esse deletos,*

Thucyd. I, 132. ὅτι ἐπὶ τὸν τρίποδά ποτε τὸν ἐν Δελφοῖς, ὃν ἀνέθεσαν οἱ Ἕλληνες ἀπὸ τῶν Μήδων ἀκροθίνιον, ἠξίωσεν ἐπιγράψασθαι αὐτὸς ἰδίᾳ τὸ ἐλεγεῖον τόδε·

ejusque victoriæ ergo Apollini donum dedisse.

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων
Παυσανίας, Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.

Aureum fuisse eum tripodem, ex Diodoro XI, 33 repetere potuit. Verum oscitanter transtulit Thucydidem, ac si Pausanias tripodem posuisset, quam Græci e manubiis posuerant, sed reprehensus est ob epigramma, *ὡς αὐτοῦ τοῦ τε ἔργου ὄντος, καὶ τοῦ ἀναθήματος, ἀλλ' οὐ κοινοῦ τῶν συμμάχων*, ut Demosthenes ait contra Neær. p. 1378 ed. Reisk.

1, 4. *Hos versus Lacedæmonii exculpserunt, neque aliud scripserunt quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persæ erant victi.*

Thuc. l. c. Τὸ μὲν οὖν ἐλεγεῖον οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐξεκόλαψαν εὐθὺς τότε ἀπὸ τοῦ τρίποδος τούτο· καὶ ἐπέγραψαν ὀνομαστὶ τὰς πόλεις, ὅσαι ξυγκαθελοῦσαι τὸν βάρβαρον ἔστησαν τὸ ἀνάθημα.

Non sola nomina inscripta sunt; sed versus quoque alii repositi, quos Thucydide quidem non contradicente, Diodorus XI, 33 memorat.

2, 1. *Post id prœlium eundem Pausan. cum classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum præsidia depelleret.*

Diodor. XI, 44. Λακεδαιμόνιοι δὲ Παυσανίαν τὸν ἐν Πλαταιαῖς στρατηγήσαντα καταστήσαντες ναύαρχον, προςέταξαν ἐλευθεροῦν τὰς Ἑλληνίδας πόλεις . . Οὗτος δὲ πεντήκοντα μὲν τριήρεις ἐκ Πελοποννήσου λαβὼν, τριάκοντα δὲ παρ' Ἀθηναίων μεταπεμψάμενος . . πρῶτον μὲν εἰς τὴν Κύπρον ἔπλευσε καὶ τῶν πόλεων τὰς ἔτι φρουρὰς ἐχούσας Περσικὰς ἠλευθέρωσε· μετὰ δὲ ταῦτα πλεύσας ἐπὶ τὴν Ἑλλήσποντον, Βυζάντιον μὲν ὑπὸ Περσῶν κρατούμενον ἐχειρώσατο.

2, 2. *Cum Bizantio expugnato cepisset complures Persarum nobiles atque in his non nullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans, ex vinclis publicis effugisse; et cum his Gongulum Eretriensem, qui litteras regi redde-*

Thuc. I, 128. Βυζάντιον ἑλὼν τῇ προτέρᾳ παρουσίᾳ μετὰ τὴν ἐκ Κύπρου ἀναχώρησιν (εἶχον δὲ Μῆδοι αὐτὸ καὶ βασιλέως προςήκοντές τινες καὶ ξυγγενεῖς, οἳ ἑάλωσαν ἐν αὐτῷ) τότε τούτους οὓς ἔλαβεν, ἀποπέμπει βασιλεῖ

ret, *in quibus hæc fuisse scripta Thucydides memoriæ prodidit:*

κρύφα τῶν ἄλλων ξυμμάχων· τῷ δὲ λόγῳ, ἀπέδρασαν αὐτόν. Ἔπρασσε δὲ ταῦτα μετὰ Γογγύλου τοῦ Ἐρετριέως, ᾧπερ ἐπέτρεψε τό τε Βυζάντιον καὶ τοὺς αἰχμαλώτους. Ἔπεμψε δὲ καὶ ἐπιστολὴν τὸν Γόγγυλον φέροντα αὐτῷ. Ἐνεγέγραπτο δὲ τάδε. . .

2, 3. *Pausanias, dux Spartæ, quos Byzanti ceperat postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit, seque tecum affinitate conjungi cupit: quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum.* 4. *Id si feceris, et Spartam et ceteram Græciam sub tuam potestatem se adjuvante redacturum pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face, eum quo colloquatur.*

Thuc. I. c. Παυσανίας ὁ ἡγεμὼν τῆς Σπάρτης τούςδε τέ σοι χαρίζεσθαι βουλόμενος ἀποπέμπει δορὶ ἑλών· καὶ γνώμην ποιοῦμαι, εἰ καί σοι δοκεῖ, θυγατέρα τε τὴν σὴν γῆμαι, καί σοι Σπάρτην τε καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα ὑποχείριον ποιῆσαι. Δυνατὸς δὲ δοκῶ εἶναι ταῦτα πρᾶξαι, μετὰ σοῦ βουλευόμενος. Εἰ οὖν τι σὲ τούτων ἀρέσκει, πέμπε ἄνδρα πιστὸν ἐπὶ θάλασσαν, δι' οὗ τολοιπὸν τοὺς λόγους ποιησόμεθα.

2, 5. *Rex . . gavisus confestim cum epistola Artabazum ad Paus. mittit, in qua eum collaudat; petit, ne cui rei parcat ad ea efficienda, quæ pollicetur. Si perfecerit, nullius rei a se repulsam laturum.*

Thuc. I, 129. Ξέρξης δὲ ἥσθη.. καὶ ἀποστέλλει Ἀρτάβαζον . . καὶ ἐπιστολὴν ἀντεπετίθει . . . καί σε μήτε νὺξ μηθ' ἡμέρα ἐπισχέτω, ὥστε ἀνεῖναι πράσσειν τι ὧν ἐμοὶ ὑπισχνῇ· μηδὲ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου δαπάνῃ κεκωλύσθω, μηδὲ στρατιᾶς πλήθει, εἴ ποι δεῖ παραγίγνεσθαι.

Male ad Pausan. refert, quod rex profitetur, se non parsurum esse ulli sumtui vel copiarum multitudini: Pausaniam tantum exhortatur, ne diem noctemque remisse agat.

2, 6. *Domum revocatus, accusatus capitis absolvitur; multatur tamen pecunia: quam ob causam ad classem remissus non est.*

Thuc. I, 128. Παυσ. τοπρῶτον μεταπεμφθεὶς ὑπὸ Σπαρτιατῶν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς ἐν Ἑλλησπόντῳ, καὶ κριθεὶς ὑπ' αὐτῶν, ἀπελύθη μὴ ἀδικεῖν· δημοσίᾳ μὲν οὐκέτι ἐξεπέμφθη.

Male suo arbitratu, ut videtur, verbis Thuc. addit, Paus. *pecunia multatum esse*, id quod altera quidem quæstione factum est.

3, 1. *sua sponte ad exercitum rediit . . Non mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit. 2 Apparatu regio utebatur, veste Medica; satellites Medi et Aegyptii sequebantur; epulabatur more Persarum luxuriosius, quam qui aderant, perpeti possent; aditum petentibus conveniundi non dabat; superbe respondebat; crudeliter imperabat.*

Thuc. I, 128. ἰδίᾳ δὲ αὐτὸς.. ἀφικνεῖται ἐς Ἑλλήσποντον. 130. οὐκέτι ἠδύνατο ἐν τῷ καθεστῶτι τρόπῳ βιοτεύειν· ἀλλὰ σκευάς τε Μηδικὰς ἐνδυόμενος ἐκ τοῦ Βυζαντίου ἐξῄει, καὶ διὰ τῆς Θρᾴκης πορευόμενον αὐτὸν Μῆδοι καὶ Αἰγύπτιοι ἐδορυφόρουν. τράπεζάν τε Περσικὴν παρετίθετο . . . δυςπρόσοδόν τε αὑτὸν παρεῖχε, καὶ τῇ ὀργῇ οὕτω χαλεπῇ ἐχρῆτο ἐς πάντας ὁμοίως, ὥστε μηδένα δύνασθαι προςιέναι.

Hic locus exemplo sit, quam male noster auctoribus usus *sit*. Primum Paus. literis a rege acceptis elatus, cum in imperio esset, cultum victumque mutavit; quo factum est, ut ad Athenienses imperium transiret et Paus. revocaretur. Noster contra ad privatum, cum sua navi iterum Byzantium vectus esset, mores mutatos refert, cui profecto pessime congruit, quod *aditum conveniundi non dedisse* et *crudeliter imperasse* dicitur. Quare parvi æstimanda est excusatio Lieberkühnii p. 131, tamquam Paus. etiam secunda vice auctore Thucyd. I, 131 τοιαῦτα ἐφαίνετο ποιῶν. Adde, quod dubitari potest, τοιαῦτα utrum antecedentia, an sequentia, i. e. consilia cum barbaris inita, respiciant. — Tum modo depravat orationem, quasi cultus vestitusque non ad mores pertineant, modo superflua et insulsa addit, e. g. verba: *quam qui aderant* etc., modo prætermittit, quæ doceri intererat, uti continuo videbimus.

3, 3. *Spartam redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulerat; ibi consilia tum patriæ tum sibi inimica capiebat. Id postquam Lacedæmonii rescierunt* etc.

Thuc. I, 131. ἐκ τοῦ Βυζαντίου βίᾳ ὑπ' Ἀθηναίων ἐκπολιορκηθεὶς, ἐς μὲν τὴν Σπάρτην οὐκ ἐπανεχώρει, ἐς δὲ Κολωνὰς τὰς Τρωϊάδας ἱδρυθεὶς, πράσσων τε ἐςηγγέλλετο αὐτοῖς ἐς τοὺς βαρβάρους, καὶ οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ μονὴν ποιούμενος.

Nescires, quorsum spectarent verba: *Sp. redire nolebat*, nisi Thuc. (et Plutarch. in Cim. 6) te docuissent, Paus. vi adactum ab Atheniensibus Byzantio cessisse.

3, 4. *legatos cum lava ad eum miserunt, . . nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos.*

Thuc. l. c πέμψαντες κήρυκα οἱ ἔφοροι καὶ σκυτάλην εἶπον τοῦ κήρυκος μὴ λείπεσθαι· εἰ δὲ μή, πόλεμον αὐτῷ Σπαρτιάτας προαγορεύειν.

Oscitanter legatos pro præcone dicit, et tanquam in re judiciaria capitis eum damnaturos, quem hostem judicaturi et bello persecuturi erant.

3, 5. *sperans, se etiam tum pecunia et potentia instans periculum posse depellere, domum rediit.*

Thuc. l. c. Ὁ δὲ βουλόμενος ὡς ἥκιστα ὕποπτος εἶναι, καὶ πιστεύων χρήμασι διαλύσειν τὴν διαβολήν, ἀνεχώρει τοδεύτερον ἐς Σπάρτην.

Omittit causam reditus, quod suspicionem evitare voluit Paus., et addit perperam *etiam tum*, ac si in prima causa judices corrupisset.

3, 5. *Huc ut venit, ab ephoris in vincla publica est conjectus. Licet enim legibus eorum cuivis ephoro hoc facere regi. Hinc tamen se expedivit; neque eo magis carebat suspicione.*

Thuc I, 131. ἐς μὲν τὴν εἱρκτὴν ἐσπίπτει τοπρῶτον ὑπὸ τῶν ἐφόρων· (ἔξεστι δὲ τοῖς ἐφόροις τὸν βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο·) ἔπειτα διαπραξάμενος, ὕστερον ἐξῆλθε . . . 132. ὑποψίας δὲ πολλὰς παρεῖχε.

Male ait licuisse *cuivis ephoro*, quod ephoris i. e. collegio ephororum licuit.

3, 6. (Ilotas) *quoque sollicitare spe libertatis existimabatur. 7. Sed . . non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus oportere judicari.*

Thuc. I, 132. Ἐπυνθάνοντο δὲ καὶ ἐς τοὺς Εἵλωτας πράσσειν τι αὐτόν . . ἐλευθέρωσίν τε γὰρ ὑπισχνεῖτο αὐτοῖς καὶ πολιτείαν, ἢν ξυνεπαναστῶσι . . . μὴ ταχεῖς εἶναι περὶ ἀνδρὸς Σπαρτιάτου ἄνευ ἀναμφισβητήτων τεκμηρίων βουλεῦσαί τι ἀνήκεστον.

Cap. 4 quoque e Thuc. I, 132—134 exscriptum est, adhibito tamen etiam Diodoro XI, 45. Ille enim solum τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ Ταίναρον ἱκέτου οἰχομένου mentionem facit, hic autem non minus quam noster: πορευθεὶς ἐπὶ Ταίναρον καὶ καθεζόμενος ἐπὶ τῷ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερῷ. Hinc noster 4, 4, quamquam male, in *ara* dei *consedisse* ait, ineptum ratus, quod apud Thuc. et Diod. invenerat, hominem Argilium sibi geminum tugurium septo interposito ibi construxisse et aliquos ex ephoris eo loco abscondisse, temere spe-

luncam subterraneam juxta aram fieri eoque *ex ephoris quosdam descendere* voluit. Male intellexit præterea verba Thuc. I, 132 *ἀνὴρ Ἀργίλιος*, i. e. aliquis oriundus ex Argilo, urbe Thessaliæ, ut IV, 50 *ἀνὴρ Πέρσης*. Lieberkühnius (p. 132 in nota) quidem ita nostrum defendit, ut Argilium item nomen gentile esse diceret, uti *Laco* XVII, 3 Agesilaus est. Sed voc. *quidam* 4, 1 plerumque propria nomina (uti V, 1, 3 *Callias quidam*) inducere solet; minus etiam 4, 4. 5. 5, 1 nude de Argilio, nisi nomen proprium esset, sine ambiguitate loqui potuit. Licet enim gentile de eo tantum sic usurpare, cujus nomen proprium noveris. Extrema capitis verba Diodoro debentur.

4, 6. *orare cœpit, ne enuntiaret . . Quod si eam veniam sibi dedisset . . magno ei præmio futurum.*

Diod. XI, 45. *συγγνώμην αἰτουμένου τοῖς ἀγνοηθεῖσιν, ἔτι δὲ δεηθέντος, ὅπως συγκρύψῃ, καὶ δωρεὰς μεγάλας ὑπισχνουμένου.*

5, 1 *satius putarunt, in urbe eum comprehendi . . Ex vultu cujusdam ephori, qui eum admoneri cupiebat, insidias sibi fieri intellexit.* 2. *Itaque paucis ante gradibus, quam qui sequebantur, in ædem Minervæ . . confugit . . statim ephori valvas ejus ædis obstruxerunt tectumque sunt demoliti.*

Thuc. I, 134. *ἐν τῇ πόλει τὴν ξύλληψιν ἐποιοῦντο· λέγεται δ' αὐτὸν μέλλοντα ξυλληφθήσεσθαι ἐν τῇ ὁδῷ . . . ἄλλου δὲ νεύματι ἀφανεῖ χρησαμένου καὶ δηλώσαντος ἐννοίᾳ, πρὸς τὸ ἱερὸν τῆς Χαλκιοίκου* (Diodor. XI, 45 ait *τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Χαλκ.*) *χωρῆσαι δρόμῳ καὶ προκαταφυγεῖν. Καὶ ἐς οἴκημα οὐ μέγα, ὃ ἦν τοῦ ἱεροῦ, ἐςελθὼν, ἵνα μὴ ὑπαίθριος ταλαιπωροίη, ἡσύχαζεν. . . Τοῦ τε οἰκήματος τὸν ὄροφον ἀφεῖλον, καὶ τὰς θύρας . . ἀπῳκοδόμησαν.*

Male vertit Thucydidem, ac si tectum ædis demoliti sint, quo more Græcorum carebat. Sed Paus. ingressus in exiguam templi ædiculam, ejusque tectum sublatum est.

5, 3. *Dicitur, . . matrem Pausaniæ . . in primis . . lapidem ad introitum ædis attulisse.*

Diodor. XI, 45. *λέγεται, τὴν μητέρα τοῦ Παυσανίου . . πλίνθον βαστάσασαν ἀναθεῖναι κατὰ τὴν εἰς τὸ ἱερὸν εἴςοδον.*

5, 4. *Hic cum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit.* 5. *Cujus mortui corpus*

Thuc. I, 134. *ἐξάγουσιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἔτι ἔμπνουν ὄντα· καὶ ἐξαχθεὶς ἀπέθανε παραχρῆμα. Καὶ*

cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus, et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. Inde posterius Delphici responso erutus atque eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.

αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὸν Κεάδαν, οὗπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθεσαν· ἔπειτα ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι. Ὁ δὲ θεὸς ὁ ἐν Δελφοῖς τόν τε τάφον ὕστερον ἔχρησε τοῖς Λακεδαιμονίοις μετενεγκεῖν, οὗπερ ἀπέθανε.

Temere discessit a verbis Thuc. πλησίον που, quae perperam relata ad locum, quo Paus. mortuus est, sane oraculo, quod loco mortis eum sepeliri jussit, contradicunt. Correxit itaque Thucydidem, quem non assecutus est. Hic enim significavit, Paus. primum loco quodam prope Ceadam defossum esse. Inepta est emendatio *non procul*, ut Bosius suspicatus est, quippe quam sequentia, cum posterius demum in loco, quo erat mortuus, sepultus esse dicatur, coarguant. Frustra patrocinatur Lieberkühnius p. 134, qui in re consentire, in verbis dissentire nostrum et Thuc. ait. Imo absonum plane est dicere, Paus. non in Ceada, sed procul a loco mortis infossum esse, ut si Ceadas et locus mortis non differrent. Neque igitur alium auctorem, sed pravum ingenium secutus est.

In *Cimone Theopompum* exscripsisse noster videtur, quod duo ejus fragmenta testantur e decimo libro Philippicorum servata, in cujus extrema parte de demagogis Atticis egerat Theopompus, teste Athenaeo IV, 166, et de antiquioribus, quam quos sua historia complecti solebat, ut de Cimone.

3, 2. 3. *cum bellum Lacedæmonii Ath. indixissent, . . . post annum quintum, quam expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille quod hospicio Lacedæmoniorum utebatur, satius existimans contendere Lacedæmonem, sua sponte est profectus pacemque . . conciliavit.*

Scholiasta Aristidis oratoris in Ephori fragmentis ed. Marx. p. 224: Θεόπομπος ἐν τῇ ι' τῶν Φιλιππικῶν περὶ Κίμωνος· οὐδέπω δὲ πέντε ἐτῶν παρεληλυθότων, πολέμου συμβάντος πρὸς Λακεδαιμονίους, ὁ δῆμος μετεπέμψατο τὸν Κίμωνα, νομίζων διὰ τὴν προξενίαν ταχίστην ἂν αὐτὸν εἰρήνην ποιήσασθαι. Ὁ δὲ παραγενόμενος τῇ πόλει τὸν πόλεμον κατέλυσε.

Marxio Plutarchus in Cimone c. 17 Theopompum videbatur secutus esse æque ac noster. Exempli causa hic dispiciamus, rectene

Probus judicetur in iis locis, ubi cum Plutarcho maxime *convenit*, ex eodem fonte atque ille hausisse. Nimirum Plutarchus l. c. *cum* plus tum minus prodit Theopompo, ita ut neutiquam eum ducem habuerit: victos Athenienses a Lacedæmoniis ad Tanagram ait revocasse Cimonem, Pericle rogante, eumque utrosque reconciliasse, *neque* vero Cimonem refert *contendisse Lacedæmonem*, neque indicat tempus reditus. Contra noster vestigiis insistit Theopompi, auctore tamen celato et male expresso: nam cum verba *πολέμου συμβάντος*, quæ ad ceteram historiam componi oportebat, de *bello indicto* accipiat, minus quam oportuit dicit, et cladem in eo bello ad Tanagram acceptam prætermittit, quam Nepos e Thucydide I, 108 haud dubie norat. Tum quod de *pace* conciliata noster ait, id nec accurate e Theopompo versum est, nec satis recte se habet; *induciæ quinquennii* fuerunt, auctoribus Thucyd. I, 112 et Diodoro XI, 86, quorum posterior conciliatorem quoque commemorat: *πενταετεῖς ἐγένοντο σπονδαὶ, Κίμωνος τοῦ Ἀθηναίου συνθεμένου ταύτας.* Quas cum statim post reditum Cimonis factas perhibeat Plutarchus in Cim. 18, et Dodwellus in Annal. Thucyd. p. 642 T. II ed. Beck. Olymp. 82. 2 probabiliter ponat, initium exilii Cimonis fuit Olymp. 81. 1, quod a chronologis male ad Olymp. 80. 1 rejicitur.

Ad illustrandum Theopompum nostrumque plurimum faciunt duo loca rhetorum, quæ vicissim illinc intelligi et corrigi possunt. Andocides de pace cum Lacedæm. §. 3 sq. ita: *Ἡνίκα τοίνυν ἦν μὲν ὁ πόλεμος ἡμῖν ἐν Εὐβοίᾳ, Μέγαρα δὲ εἴχομεν καὶ Πηγὰς καὶ Τροιζῆνα, εἰρήνης ἐπεθυμήσαμεν, καὶ Μιλτιάδην τὸν Κίμωνος ὠστρακισμένον καὶ ὄντα ἐν Χεῤῥονήσῳ κατεδεξάμεθα δι' αὐτὸ τοῦτο, πρόξενον ὄντα Λακεδαιμονίων, ὅπως πέμψαιμεν εἰς Λακεδαίμονα προκηρυκευσόμενον περὶ σπονδῶν. Καὶ τότε ἡμῖν εἰρήνη ἐγένετο πρὸς Λακεδαιμονίους ἔτη πέντη, καὶ ἐνεμείναμεν ἀμφότεροι ταύταις ταῖς σπονδαῖς ἔτη τριακαίδεκα.* Aeschines de falsa legatione c. 50 (51): *πρότερον ἡ πόλις ἡμῶν εὐδόξησε μετὰ τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν πρὸς τὸν Πέρσην, καὶ τῶν τειχῶν ὑπὸ τῶν βαρβάρων πεπτωκότων, εἰρήνης δ' ὑπαρχούσης πρὸς Λακεδαιμονίους διέμεινεν ἡμῖν τὸ τῆς δημοκρατίας πολίτευμα. Συνταραχθέντες δὲ ὑπό τινων καὶ καταστάντες πρὸς Λακεδαιμονίους εἰς πόλεμον, πολλὰ καὶ παθόντες κακὰ καὶ ποιήσαντες, Μιλτιάδου τοῦ Κίμωνος προκηρυκευσαμένου πρὸς Λακεδαιμονίους, ὄντος προξένου, σπονδὰς τοῦ πολέμου πεντηκονταετεῖς ἐποιησάμεθα, ἐχρησάμεθα δὲ αὐταῖς ἔτη τριακαίδεκα. Ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐτειχίσαμεν τὸν Πειραιᾶ.* Uterque rhetor memoria lapsus Miltiadem induxit, cum *Κίμωνα τοῦ Μιλτιάδου* dicere oporteret.

Ex Andocide discimus, Cimonem exulem in Chersoneso degisse, ex utroque, eum coram Lacedæmone de induciis egisse. Apud Andocidem Taylor non advertens ad Thucydidem male πεντήκοντα correxit: imo Aeschines scribere πενταετεῖς debuit. Elapso induciarum quinquennio, Ath. triginta annorum fœdera cum Lacedæmoniis sociisque sanxerunt (Thucyd. I, 115 Dodwell. Annal. Thucyd. p. 645), sed *tredecim* tantum annos bellari desitum ab Ol. 82. 2 usque ad Ol. 85. 4, quo anno bellum inter Corinthios exortum est et Corcyræos ab Atheniensibus adjutos (Dodwell. l. c. p. 648). Quod Aeschines de muro Piræei dicit, confirmatur a Thucydide I, 108, ubi Athenienses post prœlium ad Tanagram factum muros suos longos perfecisse dicuntur.

4, 1. *Fuit tanta liberalitate, cum compluribus locis prædia hortosque haberet, ut numquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur.*

Athenæus XII, p. 533: ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν Φιλιππικῶν ὁ Θεόπομπός φησι· Κίμων ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς ἀγροῖς καὶ τοῖς κήποις οὐδένα τοῦ καρποῦ καθίστη φύλακα, ὅπως οἱ βουλόμενοι τῶν πολιτῶν εἰςιόντες ὀπωρίζωνται καὶ λαμβάνωσι, εἴ τινος δέοιντο τῶν ἐν τοῖς χωρίοις.

4, 2. *Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret.*

Theopomp. l. c. Καὶ λέγουσι ὡς περιήγετο μὲν ἀεὶ νεανίσκους δύο ἢ τρεῖς ἔχοντας κέρματα· τούτοις δὲ διδόναι προςέταττεν, ὁπότε τις προςέλθοι αὐτοῦ δεόμενος.

Quod noster addit: *ne differendo videretur negare*, sane otiosum est.

Ibid. *Sæpe cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit.*

Theop. l. e. Ποιεῖν δὲ καὶ τοῦτο πολλάκις, ὁπότε τῶν πολιτῶν τινα ἴδοι κακῶς ἠμφιεσμένον, κελεύειν αὐτὸν μεταμφιέννυσθαι τῶν νεανίσκων τινὰ τῶν συνακολουθούντων αὐτῷ.

Suum amiculum dedisse Cimonem, non ait Theop.: noster vel rhetorem agit, vel hominem se Christianum prodit.

4, 3. *Cotidie sic cœna ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod*

Theop. l. c. δεῖπνον ἀεὶ εὐτελὲς παρασκευάζεσθαι πολλοῖς ἀνθρώποις, καὶ τοὺς ἀπόρους προς-

facere nullum diem prætermittebat.	ιόντας τῶν Ἀθηναίων εἰςιόντας δειπνεῖν. Ἐθεράπευε δὲ καὶ τοὺς καθ' ἑκάστην ἡμέραν αὐτοῦ τι δεομένους.

Exaggerat orationem, ἀπόρους vertens *invocatos*, quos sane domus Cimonis complecti non poterat. Tum displicet, quod pauperes ad cœnam *devocatos* esse ait: ultro venientibus domus patebat. Denique prius *cotidie* male circumscribendo repetitur, invito Theopompo, qui *nullum diem* eum *prætermisisse* ait, quo non egenis beneficia præstiterit. Id noster rhetorice excurrendo sic dilatare videtur: *nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit;* inepte etiam subjicit: *multos locupletavit.*

Ibid. *complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit.*	Theop. l. c. καί φασι μὲν αὐτὸν καὶ εἰς ταφὴν εἰςφέρειν.

εἰςφέρειν cum ἐκφέρειν confudit: dicere oportuit, Cim. ad sepulturam pauperum contribuisse.

Similia habet Plutarchus in Cimone 10, sed ejusmodi, ut sua inde, quemadmodum alia, noster dici non possit desumsisse. Nam apud hunc legimus, Cim. septa prædiorum (non custodes) sustulisse; nec is quidquam de sepultis pauperibus memoriæ prodidit. Tum observari oportet, nostrum ordinem membrorum eum, quem Theopompus et Plutarchus tenuerunt, sine causa invertisse: Theop. enim primum de liberalitate in patefaciendis hortis, deinde de cœna multis apparata, tum de beneficiis universis (ἐθεράπευε), singulatim de pedisequis nummos dantibus, de stipe ad sepeliendos pauperes collata et de largitione vestimentorum disseruit; noster de *hortis*, de *nummis*, de vestimentis, de cœna et de sepultura. Quæ inversio eo minus probanda est, quod Theop. largitiones in hortis et domi factas pro certo affirmat, ceteras in dubio relinquit (λέγουσι — φασί).

Transeamus ad reliquam partem hujus vitæ, quæ cui debeatur, minus constat. Sed Ephorus quoque, quo noster alioquin usus est, prœlium ad Eurymedontem fluvium persecutus est, teste Plutarcho in Cim. 12.

1, 1. Cum de custodia Miltiadis dubitari debeat, magis etiam pietatem Cimonis filii, qui corpus patris ad sepulturam redemturus vincula subiisse dicitur, et magnanimitatem Elpinices sororis a rhetoribus, ut argumentum declamandi haberent, confictam existimare licet. Nam Plutarch. Cim. 4 non modo de carcere Cimonis silet, sed etiam puerum eum (μειράκιον παντάπασιν) a patre esse relictum, et initio tanquam intemperantem et vinolentum male audivisse

dicit. Talem adolescentem vincula publica sibi optavisse non credibile. Tum ii ipsi scriptores, qui id perhibent, inter se discrepant: Diodorus in Excerptis L. XX p. 559, Valer. Max. V, 3, 3. 4, 2, Seneca controv. 24, Quintil. Declam. 302, Libanius (in Declamatione Cimonis pro patre in carcerem ire volentis) et Justinus II, 15, 19 Cimonem sponte corpus suum vicarium custodiæ tradidisse aiunt; noster contra: *Cimon, inquit, eadem custodia tenebatur, neque legibus Ath. emitti poterat, nisi pecuniam solvisset.* Bosius: *dicemus,* inquit, *hos omnes legem illam Atheniensium ignorasse?* Suidas quidem v. Ἀριστογείτων similiter refert, Scydimum, quod ærario pecuniam deberet, in carcere obiisse, posteaque ejus filium Aristogitonem ut illius debiti heredem eodem conjectum esse. Sed proprie lex liberis non vinculorum, sed paternæ ignominiæ hereditatem, donec persolverint, præscripsit, eosque conciones habere et decreta facere vetuit; ut Bosius ex Demosth. or. adv. Androtionem et Ulpiano probavit.

1, 2. 3. Elpinicen Cim. sororem iisdem parentibus natam, neque ejus uxorem fuisse videri, supra §. 10 monuimus. Fuisse quosdam ait Plutarch. Cim. 4, qui narrarent, Calliam divitem, ad multam solvendam paratum, a Cimone ipsius uxorem Elpinicen in matrimonium accepisse. Tzetzes quoque Chil. I historia 22 de Callia simile quid, sed falsis permixtum et male ad Diodorum, comicos et rhetores provocans, perhibet: Calliam, Cimonis et Isodicæ filium, L talentorum multam persolvisse, ne quid mali Cimon ob turpes nuptias cum sorore Elpinice factas acciperet. Cæteroquin rhetores facile certamen quoddam generosum inter Cimonem ejusque sororem comminisci potuerunt, quoniam matrimonii vinculum minus arctum erat; e. g. Pericles uxorem suam ἑτέρῳ βουλομένῃ συνεξέδωκεν, αὐτὸς δὲ τὴν Ἀσπασίαν λαβὼν ἔστερξε διαφερόντως (Plutarch. Per. 24). — Callias iste cognomine λακκόπλουτος non confundendus est cum Callia, Hipponici filio, qui sororem suam Hippareten Alcibiadi vendidisse fertur (Plut. Alc. 8), et proprie ὁ πλούσιος cognominabatur (Plut. Pericle 24), quemque Aristophanes carpere solet. Hujus iste Callias avus fuisse videtur; nam Callias genuit Hipponicum et Hipponicus rursus Calliam (Aristoph. Av. p. 554 Aelian. V. H. XIV, 16 ib. Perizon.). Superior noster Callias is fuit, qui ad Artaxerxem Longimanum legatus missus est (Herod. VII, 151).

Quæ in cetera vita legimus, omnia Thucydides, Diodorus et Plutarchus accuratius tradiderunt. Quæ cap. 2 exhibentur, tam mendosa, incomposita et obscura sunt, ut noster excerpta quædam compilasse et posthac negligenter disposuisse videatur. Simulat quidem

tempora se notare dicens *primum* et *iterum*, sed ne id quidem recte; nam Cim. priusquam in Thraciam profectus est, imperator una *cum* Aristide ad Byzantium fuit (Plut. Cim. 6). Tum Thucyd. I, 98 sqq. Diodor. XI, 60 et Plut. Cim. 7 sqq. contra nostrum conveniunt, expeditionem contra Scyrum factam, antequam ad Eurymedontem *flavium* pugnatum est. Taceo, quod secundum Thucyd. I, 100 X millia colonorum Atheniensium et sociorum Amphipolim missa sunt sub idem tempus, quo Thasii devicti sunt, non quo ad Strymona flumen pugnatum est. Magnopere erravit 2, 2 in loco prœlii *memorando*, quod procul ab Jonia ad Eurymedontem in Pamphylia factum ad unum omnes historici tradunt: noster recordatus, Persas ad *Mycalen* quoque et ad Platæas uno die terra marique fugatos esse, ut ad Eurymedontem, ea de causa utrumque prœlium confudit, licet illud decennio prius duce Leotychide Spartano absente Cimone commissum sit, ut bene monuit Franckensteinius. Præterea 2, 5 *Cyprum*, id quod e vetustis membranis Rothius edidit, eadem oscitantia posuit pro Scyro, de qua agitur.

Brevitate obscurior est et interdum hiat oratio. C. 2, 2 dicere oportuit, ad Strymona Persarum copias fugatas (Thuc. I, 98), et exinde Thraces repulsos esse (Plut. Cim. 7). Neque ad Eurymedontem apparet, Persarum classem devictam esse: illudi se passus est eo, quod Persæ triremes Phœnicum habebant, teste Thuc. I, 100, quod classiarios e Phœnicia et Cilicia cogebant, auctore Diodoro XI, 60, et LXXX naves Phœnicias a Cypro exspectabant, docente Plut. Cim. 12. — CC naves captas esse refert etiam Plut. l. c., sed alias fugisse, alias periisse; Ephorus apud eundem ait, classem CCCL, Phanodemus DC, Diodorus l. c. CCCXL navium fuisse. — 2, 5. *Qua in* re Dolopes Scyri *contumacius se gesserint*, nesciremus, nisi Plut. Cim. 8 nos doceret, eos mare re piratica infestasse. — Quare *Thasii opulentia freti* fracti sint, edocemur a Thuc. I, 100 et Plut. Cim. 14; defecerant enim ab Atheniensibus. — Ferri possunt verba *his ex manubiis*, si ad plures expeditiones referuntur, non ad rem in Thaso gestam restringuntur: nam Plut. Cim. 13 refert, ex manubiis ad Eurymedontem reportatis arcem Athenarum ornatam esse; noster reticet, qua in re ornata sit, cum Plut. dicat, muro versus meridiem.

3, 1. Quod obscure *incidisse in invidiam* dicitur, clarius a Plut. Cim. 15 causa exilii Cimonis perhibetur, utpote qui eversa Areopagi judicia indignatus, licentiam populi cohibere et potentiam optimatium secundum Clisthenem restituere conatus sit. Idcirco inimici populum sollicitare, incestum cum sorore commissum objurgare et

studium ejus in Lacedæmonios vitio vertere cœperunt: quibus artibus effeccrunt, ut in exilium X annorum mitteretur (Plut. 17).

3, 4. Cum CC navibus Atheniensium et sociorum Cimonem in Cyprum contra Persas missum esse, inter Thucyd. I, 112 et Plut. Cim. 18 convenit, tum hic et Diodorus XII, 4 cum nostro consentiunt, complures Cypri urbes in potestatem esse redactas. In eo autem vituperari potest noster, quod *in oppido Cythio esse mortuum* ait, quem Thucydides et Plut. 19 in obsidione Citii, Diodorus l. c. in Cypro morbo obiisse dicunt; quamquam idem Diodor. XII, 3 Citium a Cimone expugnatum esse perhibet.

Vita *Lysandri* inconcinna nihil novi suppeditat. Ejus res gestas *Theopompus* et *Ephorus* persecuti erant, ut e Plutarchi Lysandro c. 17. 25. 30 apparet: iique, præcipue Ephorus, nostri duces fuisse videntur.

c. 1. Ut de ceteris nimio favore, sic de Lysandro iniquius judicat: versutissimum quidem hominem et bonum ex utili æstimantem fuisse accipimus (Plut. Lys. 7), sed eundem Cicero in Catone mai. 17, 2 *virum summæ virtutis*, de divinat. I, 34 *Lacedæmoniorum clarissimum* vocavit. In egestate decessit auctore Theopompo (ap. Plut. Lys. 30), mortui tantum fuit desiderium, ut Pausanias rex capitis damnaretur, quod illi ad Haliartum dicta die cum exercitu præsto non fuisset (Xenoph. Hell. III, 5 Plut. l. c.), ut proci filiarum Lysandri, qui eo post mortem paupere reperto a nuptiis abstinebant, multarentur (Plut. l. c.). — Lys. res ad Notium adversus Antiochum, Alcibiadis gubernatorem, gestas noster præterit, insigne ejus consilium in pugna ad Aegos flumen commissa imminuit, et male primum ne nominato quidem loco, demum c. 1, 4 leviter memorat. Xenophon Hell. II, 1 et Plutarchus Lys. 10 sq. prudentiam viri laudant, qua per quatuor dies Athenienses ad prœlium navale provocantes sustinuit, et deinde in agris palantes speculatus, quinto die e navigio speculatorio signo scuti sublato, imprudentes atque inopinantes oppressit et una hora diuturnum bellum delevit. Id *sexto et vicesimo anno* belli evenisse ait, cum octavo et vicesimo oporteret, chronologis initium Olymp. 87. 1 et prœlium extremum ad Aegos Olymp. 93. 4 ponentibus, et Diodoro XIII, 107 docente, bellum Peloponnesium annos XXVII durasse. Argutius quoque quam verius ait, effectum *apparere*, ut Athenienses clade conficerentur, sed *qua ratione consecutus sit, latere.* Wetzelius: *quo tandem modo*, inquit, *latet, cum luculenter ipse demonstret?* Proponit correctionem *patet*,

et Ernstius jampridem *non latet:* sed invito auctore, qui effectum *et* rationem efficiendi opponit, ideoque etiam verba *apparet* et *latet* sibi opponere videtur.

1, 4. *ut omnes civitates in sua teneret potestate . . . undique, qui Ath. rebus studuissent, ejectis . . nemo admittebatur, nisi qui aut ejus hospitio contineretur, aut se illius fore proprium fide confirmarat.*

Plutarch. Lysandro 13: τρόπον τινὰ κατασκευαζόμενος ἑαυτῷ τὴν τῆς Ἑλλάδος ἡγεμονίαν . . . ἑταιρίαις καὶ ξενίαις χαριζόμενος τὰ πράγματα . . καὶ συνεκβάλλων τοὺς τῶν φίλων ἐχθροὺς, οὐκ ἐπιεικὲς ἐδίδου τοῖς Ἕλλησι δεῖγμα τῆς Λακεδαιμονίων ἀρχῆς.

De decemviris constitutis conveniunt quidem Diodorus XIV, 13 et Plut. l. c. cum nostro; sed Xenophon Hell. III, 5, *Demosth.* de corona p. 275 sq. ed. Schæfer. et Plutarchus addunt, insuper harmosten Lacedæmonium singulis civitatibus præfectum esse. Athenis quidem imperium triginta virorum, in Piræeo decem virorum constitutum est (Xenoph. Hell. II, 3 Plut. Lys. 15).

2, 1. *Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur.*

Plut. Lys. 21. ταῖς ἑταιρίαις τὰς πόλεις κατέχων, διὰ παντὸς ἄρχει καὶ κύριός ἐστι τῆς Ἑλλάδος.

2, 2. Insulsa est sententia, quam quidem recte explicavit Gebhardus, firmissimos solere esse amicos, qui constantes fuissent inimici, eandemque eorum esse constantiam in amicitia, quæ ante fuisset in inimicitia; sed male sibi persuasit, hunc sensum nostro loco quadrare. Nam inde sequeretur, ut Thasum perverti non oportuisset: quod cum nihilominus Lysander fecerit, negatio abesse *non* potest, si sensum sibi constare volumus: scite sane editor Ultrajectinus annotavit: *Fort. ac si non.* Marcianus codex A, qui verba *si. idem* præterit, nescio an viam corruptelæ monstret, scholion nimirum *si idem* supra versum positum causam fuisse infra positam particulam *non* omittendi. E longinquo Lambinus nostrum vel corruptam nostri scripturam defendit interpretatus, Thasios non firmissimos amicos Atheniensium esse habendos, qui eorum fuissent inimici secundum Thucydidem VIII. Verum et obscurissime id dictum esset, cum e nostro superior Thasiorum inimicitia adversus Athenienses suppleri non possit, et verbum *solerent* sententiam communem indicat.

2, 3. Lacuna e Polyæno Strateg. I, 45 et Plutarcho Lys. 21 ita fere explenda est, ut oculi librarii a *rebus suis.* *Itaque his* ad similia verba *regibus. Itaque hi* transiliisse videantur: *Itaque his in fano Herculis impunitatem pollicitus et deum patrium ipsorum obtestatus,*

imprudentes omnes concidit. Cujus sævum imperium invisum fuit Lacedæmoniorum regibus. Itaque hi decemviralem potestatem ab illo constitutam sustulerunt. Plutarchus perfidiam adversus Thasios non attingit, sed reges studuisse decemvirale imperium evertere tradit, quod interpretes nostri latuit, hujuscemodi verbis: *ἔπρασσον, ὅπως ἀποδώσουσι τοῖς δημόταις τὰ πράγματα, τοὺς ἐκείνου φίλους ἐκβαλόντες.* Neque vero id effecerunt, obstante Lysandro, ut et Plutarchus accuratius nostro narrat, et e Xenophontis Hellen. III, 5 liquet, qui legatos Thebanos Athenas missos paullo ante obitum Lysandri imperia harmostarum et decemvirorum deplorantes inducit. Quamobrem ea ratio supplendi potior videri potest, qua *hi* ad Athenienses refertur et *suam* post *decemviralem* retinetur, ita ut post *concidit* pergamus: *Quæ crudeliter facta Lysandro cum domi apud reges, tum maxime apud Athenienses invidiam conflarunt. Itaque hi* etc.

3, 1. In consilio rerum novarum dudum inito confirmatus est Lys. obtrectatione, quæ inter eum et Agesilaum regem intercedebat, teste Plutarcho c. 24. — Secundum nostrum (cf. §. 5) Lys. id egit, *ut reges omnino tollerentur et ex omnibus civibus dux deligeretur ad bellum gerendum.* Ita Aristoteles quoque Polit. V, 1: *ἐν Λακεδαίμονί φασι Λύσανδρόν τινες ἐπιχειρῆσαι καταλῦσαι τὴν βασιλείαν, καὶ Παυσανίαν τὸν βασιλέα τὴν ἐφορείαν.* Sane si ipse rerum potiundi consilium ceperat, Pausaniæ et Agesilao, qui tum reges fuere, magistratus abrogandus erat. Fieri potuit, ut in ipsa oratione, quam pro concione habiturus erat, et quam Agesilaus post mortem Lys. in ejus domo reperit auctore Ephoro apud Plut. 30, in dubio relictum fuerit, utrum regia potestas tollenda, an modus deligendi tantum immutandus esset. Argumentum orationis hocce fuisse ait Ephorus: *ὡς χρὴ τῶν Εὐρυτιωντιδῶν καὶ Ἀγιαδῶν τὴν βασιλείαν ἀφελομένους εἰς μέσον θεῖναι, καὶ ποιεῖσθαι τὴν αἵρεσιν ἐκ τῶν ἀρίστων.* Ephorus, Diodorus XIV, 13 et noster consilium Lys. fuisse id perhibent, ut cuique Spartano aditus ad summam potestatem pateret; Plutarchus Lys. c. 24 mavult, Lys. id egisse, ut omnes Heraclidæ creari possent, exclusis Doribus *). Nam Lacedæmone ex Heraclidis duæ tantum familiæ regiæ fuerunt, *Procli et Eurysthenis*, ut noster XVII, 1, 2 ait. Sed negat Ephorus apud Strabon. VIII, 5, 5 p. 562, eorum posteros dici Proclidas et Eurysthenidas, ut vulgo nuncupant; recte Pausaniæ in Laconicis (III, 7, 1) una familia dicitur *Εὐρυπωντίδαι* (Plutarchi scriptura *τι* pro *π* observatu digna) **)

*) Idem tamen in Ages. 8 Ephorum rursus sequitur.

**) Idem in Lycurgo 2 *Εὐρυτιωντίδας* exhibet, ut quidem codex S. Ger-

ab Euryponte Soi filio Proclis nepote ducta (Herodoto VIII, 131 est Εὐρυφῶν ὁ Προκλέος), altera Ἀγίδαι ab Agide filio Eurysthenis (convenit Herod. VII, 204), quos Hesychius s. v. æque ac Plutarchus Ἀγιάδας vocat.

3, 2. *Primum Delphi (cum) corrumpere est conatus. Cum id non potuisset, Dodonam adortus est. Hinc quoque repulsus dixit, se vota suscepisse, quæ Jovi Hammoni solveret, existimans, se Afros facilius corrupturum . . . non solum corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedæmonem miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset. Accusatus . . absolutus.*

Plut. Lys. 25. Ἔφορος μὲν οὖν φησιν, αὐτὸν, ὡς τήν τε Πυθίαν ἐπιχειρήσας διαφθεῖραι, καὶ τὰς Δωδωνίδας αὖθις ἀναπείθων διὰ Φερεκλέους (Φερεκράτους apud Diodor. XIV, 13) ἀπέτυχεν, εἰς Ἄμμωνος ἀναβῆναι καὶ διαλέγεσθαι τοῖς προφήταις πολὺ χρυσίον διδόντα· τοὺς δὲ δυςχεραίνοντας εἰς Σπάρτην τινὰς ἀποστεῖλαι τοῦ Λυσάνδρου κατηγορήσοντας. Ἐπεὶ δ' ἀπελύθη κ. τ. λ.

3, 4. Erravit noster, proinde ac si Lys. *Orchemenis missus esset subsidio*: imo *Phocenses* adversus Bœotios bellum gerentes auxilia a Lacedæmoniis petita impetrarunt (Xenoph. Hell. III, 5 Diodor. XIV, 81), quo in bello Lysandro Orchomenum oppidum, a Bœotiis abalienatum recepit (Xenoph. l. c. Plut. c. 28): quæ origo erroris fuisse videtur. — Thebani cum Haliartiis conjuncti prope oppidum Lysandrum aggressi eum una cum augure comite interfecerunt (Xenoph. et Plut. l. c.).

3, 5. *Hanc ei scripsisse Cleon Alicarnas dicitur.*

Plut. Lys. 25. Πρῶτον μὲν ἐπεχείρησε καὶ παρεσκευάσατο πείθειν δι' ἑαυτοῦ τοὺς πολίτας, καὶ λόγον ἐξεμελέτα πρὸς τὴν ὑπόθεσιν γεγραμμένον ὑπὸ Κλέωνος τοῦ Ἁλικαρνασσέως. Ages. 20.

4, 1. Male et pro brevitate vitæ prolixius assuitur, narrata jam Lys. morte, res cum Pharnabazo gesta, cum ipse in Hellesponto imperator esset. Neque vero *suspicatus* est, se domi male audire, sed a Pharnabazo ob injurias acceptas accusatus, ab ephoris ad causam dicendam revocatus erat: quare priusquam rediit, satrapam convenit, ut cum eo in gratiam rediret, ab eoque leniores literas peteret (Plut. Lys. 19 sq.). Profecto ridicule fecisset, si a satrapa regio

---

mani et codd. Marciani a me inspecti 384. 385 legunt, editiones perperam Εὐρυτιωνίδας.

imperator Lacedæmoniorum *testimonium de bello administrato sociisque tractatis* poposcisset.

4, 2. *Huic ille pollicetur . . librum conscripsit . . dum signatur, alterum pari magnitudine . . subjecit . . Lys. librum tradidit. Hunc cum ephori cognossent, ipsi legendum dederunt.*

Plut. Lys. 20. Ὑποσχόμενος ἅπαντα ποιήσειν, φανερῶς μὲν ἔγραψεν, οἵαν ὁ Λύσανδρος ἠξίωσεν ἐπιστολήν, κρύφα δ' εἶχεν ἑτέραν αὐτόθι γεγραμμένην. Ἐν δὲ τῷ τὰς σφραγίδας ἐπιβάλλειν, ἐναλλάξας τὰ βιβλία μηδὲν διαφέροντα τῇ ὄψει δίδωσιν ἐκείνην αὐτῷ τὴν κρύφα γεγραμμένην. Ἀφικόμενος οὖν ὁ Λύσ. εἰς Λακεδαίμονα . . ἀπέδωκε τοῖς ἐφόροις τὰ γράμματα τοῦ Φαρναβάζου . . ἀναγνόντες οἱ ἔφοροι τὴν ἐπιστολὴν ἔδειξαν αὐτῷ.

Paullo post, metuens ephoros, tanquam Jovi Hammoni vota soluturus peregrinatus est.


In *Alcibiade* ipse 11, 1 Thucydidem, Theopompum et Timæum duces fuisse testatur; consuluit 2, 2 Platonis convivium; 9, 5. 10, 4 Ephorum, 11, 2 sqq. Satyrum et sæpe Plutarchum respexisse videtur.

1, 1. *Alcibiades, Cliniæ filius.* Plut. Alcib. 1. ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ Κλεινίας.

Cap. 1 epitome eorum esse videtur, quæ Plutarchus pluribus persecutus est. *Summum genus* a patre et matre ductum explicat c. 1, ibique Xylander Demosthenem adv. Midiam et Isocratem περὶ ζεύγους excitat. De ejus *forma* vide ibidem; c. 10 mentionem facit *γένους καὶ τοῦ πλούτου τῆς τε περὶ τὰς μάχας ἀνδραγαθίας*. *Disertissimum* fuisse ait c. 1 et 10. De *patientia* ejus, cum Lacedæmone degeret, agit c. 23, de largitionibus c. 10. 16, de *splendore* curruum et equorum c. 11. Quod *temporibus serviebat,* eum cum chamæleonte comparat c. 23. Luxuriæ et libidinis plura exempla profert c. 6. 8. 16. Ejus *diversam naturam*, *τὴν τῆς φύσεως ἀνωμαλίαν*, persequitur c. 16.

2, 1. Quod *educatum* Alcibiadem in *domo Pericli ejusque privignum fuisse, et a Socrate eruditum* ait, nescio an suo more libere reddiderit, quod Plutarchus in Alc. 1. tradidit, Periclem et Ariphronem tutores et propinquos Alcibiadis fuisse, et Socratis benevolentiam haud parum ei ad gloriam profuisse, et quod Diodorus XII, 38

retulit, apud Periclem avunculum Alcibiadem parentibus orbum educatum esse (τρεφόμενος παρ᾽ αὐτῷ)*). Callias fuit privignus Periclis, filius Hipponici (Plut. Pericl. 24). Periclem avunculum Alc. fuisse, non vitricum, docent præter Diodorum l. c., Valerius Max. III, 1 Gell. N. A. XV, 17 et Suidas v. Ἀλκιβιάδης. Magius quidem ex Plut. Pericle 24 probavit, socrum Alcibiadis postea Pericli nupsisse; ideoque illum hujus quasi generum factum esse: sed notandum est, a nostro Alcibiadem consanguinitate, non ex nuptiis privignum Periclis dici, in cujus domo educatus sit. Jac. Palmerius Annotat. ad Plut. Vit. Pericl. p. 781 T. I ed. Reisk. multa commentus est, quibus Alc. Periclis privignum comprobaret: Dinomachen, matrem Alc., primo Cliniæ, deinde Hipponici et postremo Periclis uxorem fuisse conjecit: qua ratione Hipparete, filia Hipponici, uxor sororque Alcibiadis fuisset; eaque ne soror uterina esset, aliam ac Dinomachen ei matrem fuisse finxit. — Ecce stemma e scriptoribus allatis et Herod. VI, 131 concinnatum:



*) Gellius N. A. XV, 17 *Alcib. Athenis cum apud avunculum Periclem puer artibus ac disciplinis liberalibus erudiretur.* Servorum deterrimum Zopyrum Thracem pædagogum ei præfecit Pericles, auctore Platone Alcib. 1.

Dinomache, mater Alc., consobrina fuit Periclis, sed Pericles, qui consobrinam suam Demareten, sororem matris Alc., uxorem duxit, ideo Alc. avunculus factus est. Suidas quidem minus accurate Alcibiadem *Cliniæ et sororis Periclis filium* facit. Nam si Dinomache soror fuisset Periclis, Agariste vel ante vel post Xanthippum Megacli nupta ejusque consanguinea tantum soror ut fuerit necesse est, ut bene observavit Xylander ad Plut. Alcib. princ. Cæterum de Alcib. genere docte disputasse video Jul. Wiggersium de Nep. Alcib. Quæst. crit. et histor. (Lips. 1833) p. 42 sqq., qui quidem Plutarchum in Pericle c. 24 perhibentem, uxorem Hipponici postea Pericli nupsisse, erroris arguit. Namque Hipponicum Ol. 88. 3 exercitui præfuisse ex Thuc. III, 91 et Periclem jam Ol. 87. 4 e vita decessisse ex eodem demonstravit. Quamquam fieri potuit, ut Demarete divortio facto Pericli nupserit. — De socero Hipponico Plut. Alc. 8, sed ejus eloquentiam nemo, omnes ejus divitias prædicant: noster aut lapsus, aut scriptura corrupta est, et cum Heusingero emendanda: *Græca* (vel *Græcia*, uti VII, 7, 4. XX, 6, 1) *lingua loquentium dit.*

2, 2. Alc. a multis amatum esse, præcipue a Socrate, pluribus persequitur Plut. Alc. c. 4—6.

Ib. *se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit.*

Plato Symp. 34, 9: *οὐδὲν περιττότερον καταδεδαρθηκὼς ἀνέστην μετὰ Σωκράτους, ἢ εἰ μετὰ πατρὸς καθεῦδον, ἢ ἀδελφοῦ πρεσβυτέρου.*

3, 1. De bello Syracusanis Alc. consilio indicto et de ducibus delectis omnia habet Plut. Alc. 17. 18.

3, 2. *Id cum appararetur, . . accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, deicerentur,*

Thucyd. VI, 27. *Ἐν δὲ τούτῳ, ὅσοι Ἑρμαῖ ἦσαν λίθινοι ἐν τῇ πόλει τῇ Ἀθηναίων . . μιᾷ νυκτὶ οἱ πλεῖστοι περιεκόπησαν τὰ πρόςωπα.*

præter unum, qui ante ianuam erat Androcidi. (Itaque ille postea Mercurius Androcydes vocitatus est.)

Plut. Alc. 21. *Ἐν γὰρ ὀλίγοις πάνυ τῶν ἐπιφανῶν μόνος σχεδὸν ἀκέραιος ἔμεινε· διὸ νῦν Ἀνδοκίδου καλεῖται, καὶ πάντες οὕτως ὀνομάζουσι.*

Nemo admodum mirabitur, nostrum more suo omnes Hermas præter unum dicere, quod de plurimis tantum valet, eundemque verbum *περικοπῆναι* *dejectos* significari voluisse, cum ora et genitalia designet præcisa. Oscitanter quoque, qui Plutarcho *Ἑρμῆς Ἀνδοκίδου* est, nostro *Merc. Andocides* dicitur.

3, 3. *magnus multitudini timor est iniectus,* Plut. Alc. 18. Ἡ τῶν Ἑρμῶν περικοπὴ .. πολλοὺς διετάραξεν.

ne qua repentina vis in civitate existeret, quæ libertatem opprimeret populi. Thuc. VI, 27. τὸ πρᾶγμα μειζόνως ἐλάμβανον .. καὶ ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ νεωτέρων πραγμάτων καὶ δήμου καταλύσεως γεγενῆσθαι.

3, 4. Non de Hermis quidem Alc. suspectus fuit secundum Thuc. VI, 28 et Plut. 18 sq., sed ob alia signa per temulentiam lacerata et ob mysteria per contemtionem domi acta. Imo fama manavit auctore Plutarcho, Corinthios Syracusanorum causa colonorum suorum Hermas violasse, quo sinistro ostento populum Atheniensem bello deterrerent. Postea demum inimici Alcibiadis absentis mysteria profanata cum truncatorum Hermarum crimine ὡς ἀπὸ μιᾶς ἐπὶ νεωτερισμῷ συνωμοσίας πεπραγμένα, confuderunt. Noster vero parum accurate, ut assolet, posteriorem criminationem præcepit, ut si Hermarum violatio *convenire in Alcibiadem videretur,* et Eleusiniorum contemtio *non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimaretur* (3, 6).

3, 5. Quantum *obesse et prodesse* tum potuerit Alc., persequitur Plut. 19, quod Argivi et Mantinei milites ejus gratia longinquam expeditionem suscepturi, et eo offenso domum discessuri essent.

4, 1. *postulabat, siquid de se agi vellent, potius de præsente quæstio haberetur, quam absens invidiæ crimine accusaretur.* Thuc. VI, 29. ἕτοιμος ἦν πρὶν ἐκπλεῖν κρίνεσθαι .. καὶ ἐπεμαρτύρετο, μὴ ἀπόντος περὶ αὐτοῦ διαβολὰς ἀποδέχεσθαι.

4, 2. *Inimici vero ejus quiescendum in præsenti, quia noceri non posse intelligebant, et illud tempus expectandum decreverunt, quo si exisset, ut absentem aggrederentur.* Thuc. l. c. Οἱ δ' ἐχθροὶ δεδιότες, τό τε στράτευμα μὴ εὔνουν ἔχῃ .. ἀπέτρεπον .. βουλόμενοι ἐκ μείζονος διαβολῆς, ἣν ἔμελλον ῥᾷον αὐτοῦ ἀπόντος ποριεῖν, μετάπεμπτον κομισθέντα αὐτὸν ἀγωνίσασθαι. Similia Plutarch. 19.

4, 3. De spe Alc. *provinciæ bene administrandæ* agit Plut. 22 quippe Alc. revocatum deditionem Messanæ prohibuisse. Temere eundem Plut. secutus est, ac si Salaminiam navem Alc. conscendisset, quod c. 22 non diserte quidem dicit, sed dicere videtur (εὐθὺς μὲν οὖν ἀποπλέων). Thucydides contra VI, 53. 61 ad recte interpretandum Plutarchum adhiberi debuit, qui Salaminiam navem in Siciliam missam esse ait eo consilio, ut Alc. se purgaturus sequeretur, non tamen comprehenderetur, eumque tradit sua nave conscensa Salami-

niam secutum esse. Falsus igitur est noster, qui *ad eum deportandum trierem missam*, eumque hanc *ascendisse* ait.

4, 4. Alc. purgare male studuit noster, de quo verius Diodor. XIII, 5: εἴτε συνειδὼς ἑαυτῷ τὴν ἀσέβειαν ὁ Ἀλκ., εἴτε καὶ φοβηθεὶς τὸ μέγεθος τοῦ κινδύνου. — Thuriis Alc. aufugisse in Peloponnesum, Thuc. VI, 61, Diodor. XIII, 5 et Plut. Alc. 22 memoriæ prodiderunt, neque vero, id quod noster, *Thebas eum venisse*. Potuit hoc e Timæo, ad quem c. 11, 3 provocavit, vel e Satyro, de quo infra videbimus, depromere, licet res ipsa dubia fide esse videatur. Thucydides enim VI, 88 accurate quidem narrans, Thebas omittit: περαιωθεὶς τότ' εὐθὺς ἐπὶ πλοίου φορτηγικοῦ ἐκ τῆς Θουρίας, ἐς Κυλλήνην τῆς Ἠλείας πρῶτον, ἔπειτα ὕστερον ἐς τὴν Λακεδαίμονα, αὐτῶν τῶν Λακεδαιμονίων μεταπεμψάντων, ὑπόσπονδος ἐλθών. Justinus V, 1 quoque Alc. *Elidem profectum esse, inde ubi non damnatum se tantum, verum etiam diris per omnium sacerdotum religiones devotum cognoverit, Lacedæmona se contulisse* scribit. Plutarchus 23 contra eum Argis degisse ait, cum capitis damnatus fuisset, et inde Spartam abiisse, consentiente Isocrate de Bigis c. 3.

4, 5. Plut. 22 quidem Alc. *damnatum, bonis publicatis*, et ab omnibus sacerdotibus (ἱερεῖς καὶ ἱερείας) præter unam populi scito *devotum* esse ait, eosque c. 33 *Eumolpidas* et *Cerycas* appellat, verum nihil de *pila lapidea* tradit. Quare et hoc Timæo deberi videtur. Thucydide VIII, 53 quoque auctore Eumolpidæ et Ceryces postea prohibere conati sunt, quo minus Alc. in patriam restitueretur. Isocrates l. c. de Alcib. στηλίτην ἀναγράφειν. In eo autem errasse noster videtur, quod pilam *lapideam* finxit: nam Demosthenes adv. Philipp. III p. 130 sq. in pila *ænea* nomen et crimen Arthmii cujusdam perscriptum eamque in arce depositam fuisse docet.

4, 6. Similia prædicat Alc. apud Thucyd. VI, 92, se patriæ quondam amantem adversum inimicos suos contendere, jamque amorem ab eo loco, ubi injuriam acceperit, ad eum, ubi secure degere possit, convertere.

4, 7. De Decelea munita et Jonia ab Athen. abalienata scribit Plut. quoque 23 sq. Noster vero tempora confundit, cum *Lacedæmonios cum Perse rege amicitiam fecisse, dein Deceleam in Attica muniisse* dicat. Thucydides VI, 89 sqq. orationem Alcibiadis apud Lacedæmonios habitam perscripsit, in qua non fœdus cum Dario, sed duas alias res suadet, ut copias cum duce Spartano Syracusanis auxilio mitterent, atque Deceleam munirent. Idque fecerunt Olymp. 91, 3 auctore Thucyd. VII. Biennio post Alcibiades in Joniam pro-

fectus, complures civitates a societate Atheniensium avertit, Lacedæmoniisque persuasit, ut cum rege societatem inirent, quæ inter Tissaphernem, præfectum regis, et Chalcideum, imperatorem Lacedæmoniorum, facta est (Thuc. VIII, 12. 17 sq.).

5, 1. *tempus ejus interficiundi quærere instituerunt.* 2. *Itaque ad Thysaphernem se contulit.* Thuc. VIII, 45. Ἀλκιβιάδης τοῖς Πελοποννησίοις ὕποπτος ὤν, καὶ ἀπ᾽ αὐτῶν ἀφικομένης ἐπιστολῆς πρὸς Ἀστύοχον ἐκ Λακεδαίμονος, ὥστ᾽ ἀποκτεῖναι .. ὑποχωρεῖ δείσας παρὰ Τισσαφέρνην. Similia Plut. 24.

5, 3. Thucydides accurate de Alc. reditu agit; cui cum auctor præferendus esset nullus, non alium præter Plutarchum *noster hic* secutus esse videtur. Sed ubi dissentit, non injuria vitio vertendum erit. Primum non ait Thucyd. VIII, 47 sq., cum *Pisandro* Alc. de reditu suo egisse, sed eum hac de re ad homines potentissimos mandata misisse et ex Samo nonnullos in colloquium cum eo venisse. Pisander autem aliique ex Samo Athenas missi sunt, ut de Alc. restituendo agerent et popularem reip. statum everterent (Thuc. VIII, 49. 53): quare Pisandrum potissimum noster elegit, quocum Alcib. per internuncios collocutus sit. Deinde non satis recte Alc. *populi potentiæ non amicus et optimatium fautor* dicitur. Sed Alc. nil aliud spectabat, nisi qua ratione, immutato præsenti civitatis statu, reverteretur, eoque consilio simulabat tantum, optimatibus se studere (Thuc. VIII, 48); mox ut tempus poscere videbatur, aliter se sentire indicabat.

5, 4. A Pisandro *destitutus* dici potuit Alc. Populiscito quidem Pisander cum decemviris ad Tissaphernem et Alc. missus est, ut, quæ e rep. fore duceret, cum iis transigeret (Thuc. VIII, 54). Sed infecta re et tanquam ab Alc. decepti Samum redierunt (Thuc. c. 56). Athenienses, qui Sami erant, cum Samiis ipsis ad constituendum paucorum dominatum conspirarunt, statueruntque Alcibiadem ut parum idoneum ad ὀλιγαρχίαν missum facere, et Pisandrum ad evertendam popularem remp. cum ad alias civitates, tum Athenas miserunt (Thuc. c. 63 sq.). Is ibi constituit imperium quadringentorum, qui quoties videretur, quinque millia civium congregarent (Thuc. c. 67). Ii propter Alcibiadem exules non restituerunt (Thuc. c. 70). In Samo autem per idem tempus factio popularis, auctoribus maxime Thrasybulo et Thrasyllo, frustra obnitente Pisandro (Thuc. c. 73), prioribus ducibus et si quem trierarchum suspectum habebant, magistratu abdicatis (in quibus haud dubie Pisander fuit),

alios suffecerunt (Thuc. c. 76). Contra quadringentorum imperium Samii et milites Athen. prope Samum constituti conjuraverunt, cum iisque se pacturos esse negarunt (Thuc. c. 75). Tum Thrasybulus ad reducendum Alc. exercitum induxit, ipseque eum Samum deduxit. Milites eum confestim in superiorum imperatorum collegium cooptarunt (Thuc. c. 81 sq.). — *Post populi scito restituitur*, victis ad Eretriam Atheniensibus a Lacedæmoniis, quadringentis viris a rep. remotis, et summa potestate quinque millibus tradita (Thuc. c. 97). *Suffragante Theramene* restitutum esse, accepisse videtur a Theopompo, qui Thucydidis historias continuavit, ad quem c. 11, 1 ipse provocat. Plutarchus c. 33 quidem scribit, legem de ejus reditu ex Critiæ Callæschri filii rogatione perlatam esse: sed suffragari potuit Theramenes, qui licet ex quadringentis esset, tamen jam antea mandatum Alcibiadis e Samo renunciatum de dissolvendo quadringentorum imperio exsequi cœperat et populari factioni favebat (Thuc. c. 89). — *Pari absentem imperio præfectum esse simul cum Thrasybulo et Theramene* ait noster: Thucyd. c. 97 tantum tradit, Athenienses cum Alcibiadem, tum exercitum, qui ad Samum erat, res capessere jussisse. Sed Xenophon Hellen. I, 4, 11 ducem (*στρατηγὸν*) eum ab Athen. electum fuisse scribit, priusquam in patriam rediret. Theramenes, qui jam imperantibus quadringentis dux fuerat (Thuc. c. 92), eundem locum everso eorum imperio obtinuit. Namque in pugna ad Cyzicum facta uni parti classis Alcibiades, alteri Theramenes, tertiæ Thrasybulus præfuerunt (Diodor. XIII, 50). Idem Theramenes ad Byzantium sinistrum cornu tenuit (Plut. Alc. 31). Unum hoc improbandum est, quod et hoc loco et c. 6, 3 tres tantum imperatores fuisse significat, qui haud dubie decem, ut mos ferebat, fuerunt. Præter illos tres memorantur a Thuc. c. 54. 73 Leon et Diomedon, c. 73 Charminus, c. 104 Thrasyllus.

5, 5. Theopompus hic quoque dux nostri fuisse videtur. Justinus V, 4, 4 item Lacedæmonios *fractos pacem petiisse* ait. *Quinque prœlia terrestria* recenset Plutarchus in Alc.: a) c. 28 ad Cyzicum navibus et in terra dimicatum Mindarusque, Spartanorum dux, interfectus est; b) c. 29 ad Abydum una cum Thrasyllo Pharnabazum Alcibiades fugavit; c) c. 30 Chalcedone oppugnata, Alc. Pharnabazum in fugam vertit, Hippocratem, ducem Lacedæmoniorum, profligatum occidit; d) c. 30 Selybriam quidem astu magis quam armis cepit; e) c. 31 in Byzantio recuperando Alc. et Theramenes hostes in fugam verterunt. — Navales victoriæ erant duæ ad Abydum partæ, quarum priorem Thrasybulus (Diodor. XIII, 40), alteram Alcibiades reportavit (Diodor. c. 46 Plut. c. 27); tertia ad Cyzicum facta est

(Diodor. c. 50 Plut. c. 28). Cf. Wiggers. de Alc. p. 77 sq. hac de re paullo secus disputantem. — Naves non minus ducentis captas esse scribit etiam Diodorus XIII, 68, sed accuratius Plut. 32 eum numerum ponit navium partim depressarum partim captarum.

5, 6. Male dicitur Alc. *Joniam recepisse*: satis quidem obscure Justinus V, 4, 17 Athenienses ait, Alc. in urbem ingresso, *non Syracusarum, sed Joniæ Hellespontique meminisse*; verum inde non sequitur, Joniam receptam fuisse. Contra ubi Alc. in patriam reversus ad aliam expeditionem profectus est, tum demum Athenienses Chiorum subactorum et reliquæ Joniæ recuperatæ nuntium exspectaverunt, quæ eos opinio fefellit (Plut. 35). Omnes urbes *Hellesponti* præter Abydum Athenienses in suam potestatem redegerunt (Diodor. XIII, 68). Urbes cum vi tum consilio captæ secundum *Plut.* 28 fuerunt Cyzicus, Selybria (c. 30), Chalcedon (c. 31) et Byzantium (c. 31).

5, 7. Cum Xenophon Hellen. I, 4, 11 reditum modo Alc. memoret, Diodorus XIII, 68 et Plut. 33 pariter duces Atheniensium spoliis onustos, multis et præclaris rebus gestis (*πολλὰ καὶ μεγάλα κατειργασμένοι τῇ πατρίδι* Diodor.), Athenas navigasse tradiderunt.

6, 1. *ut ad ejus triremem vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset.* 3. *quamquam Theramenes et Thrasybulus simul venerant in Piræeum, tamen unum omnes illum persequebantur.*

Plut. Alc. 33. *Ἐπεὶ δ᾽ ἀπέβη, τοὺς μὲν ἄλλους στρατηγοὺς οὐδ᾽ ὁρᾷν ἐδόκουν ἀπαντῶντες οἱ ἄνθρωποι, πρὸς δ᾽ ἐκεῖνον συντρέχοντες ἐβόων, ἠσπάζοντο, παρέπεμπον, ἐστεφάνουν προςιόντες.*

6, 2. *Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores et præsentes secundas res accidisse ejus opera. Itaque et Siciliæ amissum et Laced. victorias culpæ suæ tribuebant. Nam postquam exercitui præesse cœperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerant.*

Plut. l. c. *Πολὺ δὲ καὶ δάκρυον τῷ χαίροντι τῆς πόλεως ἀνεκέκρατο, καὶ μνήμη πρὸς τὴν παροῦσαν εὐτυχίαν τῶν πρόσθεν ἀτυχημάτων, λογιζομένοις ὡς οὔτ᾽ ἂν Σικελίας διήμαρτον, οὐδ᾽ ἄλλο τι τῶν προςδοκηθέντων ἐξέφυγεν αὐτούς, ἐάσαντας Ἀλκιβιάδην ἐπὶ τῶν τότε πραγμάτων καὶ τῆς δυνάμεως ἐκείνης, εἰ νῦν . . οὐ μόνον γε τῆς θαλάσσης τὸ κράτος ἀπέδωκεν, ἀλλὰ καὶ πεζῇ νικῶσαν (τὴν πόλιν) ἀποδείκνυσι πανταχοῦ τοὺς πολεμίους.*

6, 3. Secundum Plutarchum c. 33 Alcibiades et a vulgo coronis (nimirum e frondibus factis) *) redimitus, et publice, oratione habita, coronis aureis donatus est. Utrumque noster suo more perperam conjunxit, ac si Alc. *coronis aureis æneisque vulgo donatus sit:* id quod nunquam usu venit. In Græco auctore, forsitan Theopompo, legisse noster videtur: *στεφάνοις καὶ ταινίαις ἀνέδουν Ἀλκιβιάδην ὥσπερ ὀλυμπιονίκην*, unde coronas aureas æneasque aut ipse aut negligentes librarii fecerunt. Namque coronæ cum tæniis junctæ iis, qui in publicis certaminibus vicerant, in patriam redeuntibus aliisque excellentibus hominibus vulgo dabantur; quare qui in certamine victor exstitit, proprie *στεφανίτης* appellabatur (Plut. Lyc. 22). Ita Periclem, Samo devicta et pro rostris oratione funebri habita, *καταβαίνοντα ἀπὸ τοῦ βήματος αἱ μὲν ἄλλαι γυναῖκες ἐδεξιοῦντο, καὶ στεφάνοις ἀνέδουν καὶ ταινίαις, ὥσπερ ἀθλητὴν νικηφόρον* (Plut. Per. 28). Istud *æneisque* jam Muretum male habuit, qui in var. lect. XV, 7 *tæniisque* legendum esse suspicatus est. Sed errat noster, cum dicit, nemini ante contigisse, nisi Olympiæ victoribus, ut coronis aureis donaretur. Paucis enim annis ante Brasidas, dux Lacedæmoniorum, a Scionæis corona aurea redimitus erat (Thucyd. IV, 121). Quod Magius quidem ex Plutarcho objecit præconem, qui de Thesei adventu et salute nuncium attulerat, ab Atheniensibus plausu coronisque fuisse exceptum; cum Plut. Thes. 22 præconem perhibeat coronis acceptis adornasse caduceum: apparet, ut per se veri simile erat, non aureas fuisse, sed gramineas. Cæterum tantum abest, ut soli Olympiæ victores coronis aureis donati sint, ut hi eo honore omnino caruerint. Muretus l. c. quidem et Faber in agonistico II, 22 e Pindaro Olymp. VIII, 1 et Thucyd. IV, 121 docere conati sunt, olympionicas non oleaginis modo coronis, sed aliquando aureis quoque donatos fuisse. Verum Pindarus Olymp. III, 24. IV, 19. XI, 13 Nem. I, 25 constanter oleæ præmium commemorat, et Ol. VIII, 1 verba *μᾶτερ ὦ χρυσοστεφάνων ἀέθλων Ὀλυμπία* non de aureis coronis intelligi debere conspicuum est Ol. XI, 13 *στεφάνῳ χρυσέας ἐλαίας* et Nem. I, 25 *Ὀλυμπιάδων φύλλοις ἐλαιᾶν χρυσέοις*. Et apud Thucyd. IV, 121 non totus locus, sed alterum membrum periodi tantum ad athletam pertinet; verba hujusmodi sunt: *τὸν Βρασίδαν τά τ' ἄλλα καλῶς ἐδέξαντο, καὶ δημοσίᾳ μὲν χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέδησαν, ὡς ἐλευθεροῦντα τὴν Ἑλλάδα, ἰδίᾳ δὲ ἐταινίουν τε καὶ προςήρχοντο ὥσπερ ἀθλητῇ.* Ad quem l. Wassius cum doceret, quo modo hieronicas in

*) Pindar. Pyth. IV, 426 *στεφάνοισί τέ μιν ποίας ἔρεπτον.*

patriam ingressos honorifice prosecuti sint, recte negavit coronis aureis eos ornari solitos: qui honor eximius principi tantum de rep. optime merito publica auctoritate tribui et in theatro prædicari consuevit, ut in Demosthene, qui coronam decretam contra Aeschinem in oratione sibi vindicavit (cf. Dem. de Cor. p. 284 sq. ed. Lips.). Vel Byzantii una cum Perinthiis, itemque civitates Chersonesi populo Atheniensi coronas aureas decreverunt (Demosth. de Corona T. I p. 273 sq.). Itaque fallitur Lieberkühnius p. 146, qui nostrum contra me *ita defendit*, ut de iis coronis aureis intelligat, quibus Olympionicæ in urbem patriam intrantes vulgo donati sint.

6, 4. *Contione advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrumarit inimicumque his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat.*

Diodor. XIII, 69. *ὁ δ' ἐκκλησίαν συνήγαγε καὶ . . εἰς τοσαύτην εὔνοιαν τοὺς ὄχλους ἤγαγεν, ὥστε ὁμολογεῖν πάντας, τὴν πόλιν αἰτίαν γεγονέναι τῶν κατ' ἐκείνου ψηφισμάτων.* Plut. 33.

6, 5. *Restituta ergo huic sunt publice bona, eidemque illi Olympidæ sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum devoverant; pilæque illæ, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ.*

Diodor. l. c. *Διόπερ αὐτῷ τήν τε οὐσίαν ἀπέδωκαν ἣν ἐδήμευσαν· ἔπειτα δὲ τὰς δίκας κατεπόντισαν· . . ἐψηφίσαντο δὲ καὶ τοὺς Εὐμολπίδας ἆραι τὴν ἀρὰν ἣν ἐποιήσαντο κατ' αὐτοῦ.*

Voc. *δίκας* deceptus, ut opinor, complures pilas fecit *noster*, qui c. 4, 5 unam tantum pilam memoraverat.

7, 1. Cum Diodor. XIII, 69 et Plut. c. 33 traderent, Alcib. imperatorem cum libera potestate terra marique creatum esse, Xenophon Hellen. I, 4 magis cum nostro convenit, *totam remp. domi bellique ei traditam, ut unius arbitrio gereretur.* Dicitur enim huic *ἀναῤῥηθεὶς ἁπάντων ἡγεμὼν αὐτοκράτωρ ὡς οἷός τε ὢν σῶσαι τὴν προτέραν τῆς πόλεως δύναμιν.* — Eundem Xenophontem ducem sequi debuit in nominibus collegarum Alcibiadis prodendis, quos ille Aristocratem et Adimantum filium Leucolophidis fuisse eosque duces copiarum terrestrium creatos esse perhibet, noster *Thrasybulum et Adimantum*, sicut Diodorus l. c. *εἵλετο δὲ καὶ στρατηγοὺς ἑτέρους ἐκεῖνος οὓς ἤθελεν, Ἀδείμαντον καὶ Θρασύβουλον.* Neque veri simile est, Thrasybulum, qui jam dux erat, ducem electum esse, sed alios, qui Alcibiadi idonei viderentur. Imo Thrasybulum mox obtrectatorem habuit Alc. secundum Plut. 36. Non dubito, quin is a Theopompo aliove propterea male substitutus sit, quod eodem tempore ad Andrum et Thasum rem gerebat (Diodor. XIII, 69. 72).

7, 2. *Nihil eum non efficere posse ducebant.*

Plut. Alc. 35. ὕποπτον αὐτοῦ τὸ ἐλλεῖπον ὡς οὐ σπουδάσαντος ἀπιστίαν τοῦ μὴ δυνηθῆναι παρεῖχε.

Perperam *arguisse* ait Athenienses, ac si *corruptus a rege* Alc. *capere Cymen noluisset.* Imo hæc socia urbs fuit, atque noster, ut alibi, ab justa reprehensione eum defendere voluisse videtur. Etenim triplicem causam præbuit Alc. inimicis criminandi: primum, quod victis Andriis et præsidio Lacedæmoniorum, oppidum tamen non cepit (Xenophon. Hell. I, 4 Diodor. XIII, 69), idque primum semen adversus eum communium criminum fuisse ait Plutarch. c. 35. Deinde eo absente Antiochus gubernator Alc. ad Notium, portum Ephesiorum, Lysandro provocato, a Lacedæmoniis pugna navali victus et oppressus est (Xenoph. Hell. I, 5 Diodor. XIII, 71 Plut. 35). Postremum Alc. classe universa e Samo Cumam transvecta, falsa in oppidanos crimina jactans, captivorum turbam irruptione facta in naves suas abripuit eorumque agros vastavit. Quare Cumæi, legatis Athenas missis, actionem in Alc. intenderunt, quod sociam urbem, quæ ipsos nulla injuria affecisset, populando vexasset (Diodor. XIII, 73). Ea tria crimina, quod Andrus non capta et ad Ephesum male res gesta et Cyme intemperantius vexata esset, noster suo more oscitanter ita conjunxit, ut Alc. *apud Cymen minus ex sententia rem gessisse eamque capere noluisse* diceret.

7, 3. *huic maxime imputamus malo fuisse nimiam opinionem ingenii atque virtutis.*

Plut. Alc. 35. ἔοικε δ' εἴ τις ἄλλος, ὑπὸ τῆς αὐτοῦ δόξης καταλυθῆναι καὶ Ἀλκιβιάδης. Μεγάλη γὰρ οὖσα καὶ τόλμης καὶ συνέσεως γέμουσα ἀφ' ὧν κατώρθωσεν κ. τ. λ.

Timebatur.. ne tyrannidem concupisceret.

Diodor. XIII, 73. κατηγόρησαν ἐν ἐκκλησίᾳ κατ' Ἀλκιβ., ὅτι τὰ Λακεδαιμονίων φρονεῖ καὶ πρὸς Φαρνάβαζον ἔχει φιλίαν, δι' ἧς ἐλπίζει .. καταδυναστεύσειν τῶν πολιτῶν.

Omnes quidem conveniunt, *absenti magistratum esse abrogatum*, sed *alium* (Cononem) *in ejus locum substitutum*, solus Justinus V, 5, 4. 6, 1 ait. Xenophon Hell. I, 5 (quocum facit Diodor. XIII, 74) potissimum audiendus fuit, qui alios decem duces creatos esse nominatim perhibet atque in iis Cononem primo loco collocat. Cononi Alc. copias tradidisse ait Diodorus; unde a Theopompo aliove,

quem noster secutus esse videtur, Conon tanquam princeps decemvirorum Alcibiadi principi suffectus dictus esse potest.

7, 4. Cum una triremi Pactyen in Thraciam concessisse Alc. tradit etiam Diodorus XIII, 74, suoque nomine Thracibus liberis bello illato, pecuniæ vim ex præda coëgisse et finitimis Græcis securitatem præstitisse ait Plut. Alc. 36. Quod vero noster de tribus castellis communitis dicit, qua de re aliunde non constat, id forsitan e Theopompo desumsit, neque vero accurate. Namque unum certe castellum antea sibi præparaverat, v. Xenoph. Hell. I, 5, 17 ἀπέπλευσεν ἐς Χεῤῥόνησον ἐς τὰ ἑαυτοῦ τείχη. Plut. c. 36 quoque ait, jam ante ejus fugam inimicos Athenis ei arcem objecisse: ἐνεκάλουν δ' αὐτῷ καὶ τὴν τῶν τειχῶν κατασκευήν, ἃ κατεσκεύασεν ἐν Θρᾴκῃ περὶ Βισάνθην αὑτῷ καταφυγήν, ὡς ἐν τῇ πατρίδι μὴ δυνάμενος βιοῦν ἢ μὴ βουλόμενος. Quod scripturam *Bizam* vel *Byzam* in nostro attinet, conferendus est Stephanus Byz. v. Βῖσα, πόλις Θρᾴκης, ad quem locum Berkelius annotat, idem oppidum videri, quod Stephanus antea v. Βιζύη adduxisset, in nummis enim ejus oppidi reperiri gentile Βιζυηνὸς, Βυζυηνὸς et Βισσηνὸς, idemque memorat, in Actis conciliorum Βύζη inveniri. Proinde cavendum esse velim, ne necessario *Bisanthen* quis corrigendum existimet. Deinde Magius merito miratur, Chersonesum Thracicam hoc loco a Thracia distingui, quippe in quam ex illa introierit. Bosius quidem ita nostrum defendit, ac si dixerit, Alc. non postea, sed in Chersonesum profectum jam primum Græcorum manu collecta in Thraciam introiisse. Verum ita graviorem etiam errorem ei tribuit, cum ipse jam a Miltiade (c. 1) colonos in Chersonesum deductos et Thracum copias ibi disjectas memoriæ prodiderit. Itaque haud est dubium, quin Thraciam arctiore sensu acceperit, quamquam Thraces Chersonesum quoque præter colonos Græcos incolebant. In hoc noster defendi potest, quod Alc. *manu conlecta primum Græciæ civitatis in Thraciam introiisse* refert. Namque Novemviæ vel Amphipolis ad flumen Strymona, ubi *Cimon imperator magnas copias Thracum fugaverat* (verba sunt nostri V, 2, 2 cf. Thuc. I, 98), in Macedonia sitæ sunt.

7, 5. Reges Thraciæ, quibuscum amicitiam contraxit, nominantur a Diodoro XIII, 105 Μήδοκος καὶ Σεύθης.

8, 1. Philoclem tantum imperatorem memorat ad Aegos flumen, atque IX, 1, 2 Cononem tum abfuisse diserte ait, ut more suo hunc culpa liberet. Philocles et Conon secundum Diodorum XIII, 104 communicato inter se imperio bellum administrabant, iique alternis diebus præfuisse videntur; nam Philocles eo die imperium tenuisse

dicitur Diodoro XIII, 106, quo ad Aegos flumen pugnatum est: quemadmodum tempore Marathoniæ pugnæ, cum decem essent imperatores, alio die penes alium summa imperii fuit (Herod. VI, 110). Sed adfuerunt alii quoque imperatores *): Plutarchus Alc. 36 nominat Tydeum, Menandrum et Adimantum, quibus addit Xenophon Hellen. II, 1 Cephisodotum; nec cum uno Philocle, sed cum ceteris etiam imperatoribus egit Alcibiades, et præcipue Tydeum ac Menandrum abire eum jussisse ait Xenophon Hell. II, 1. Conon vero ex prœlio cum octo navibus ad Euagoram, Cypri regem, confugit, et triremem publicam, cui παράλῳ nomen, Athenas misit, quæ cladem nuntiaret (Xenoph. Hell. II, 1, 28 Diodor. XIII, 106 Plut. Alc. 37 Lys. 11). — Lysander quidem magnam pecuniam a Cyro, Darii filio, acceperat (Diodor. XIII, 104 Plut. Lys. 9), neque vero ideo dici potuit *bellum quam diutissime ducere*; sed quatuor dies tantum ad Lampsacum cunctatus est, ut Atheniensibus temere in terra palantibus contemptui esset (Xenoph. l. c. Plut. Lys. 10).

8, 2. Alc. equo vectum ad exercitum Ath. venisse et imperatores eorum vituperasse ait Plut. Lys. 10. Sed id quod maxime reprehendit Alc., classem in littore adversus Lampsacum sine portu et sine oppido stare, et quod Sestum eam traduci suasit (Xenoph. l. c. Plut. Alc. 36. Lys. 10), noster præteriit.

si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere, (spondet.)	Plut. Alc. 37. ἀπῄει καὶ τοῖς προπέμπουσι . . ἔλεγεν, ὅτι μὴ προπηλακισθεὶς οὕτως ὑπὸ τῶν στρατηγῶν, ὀλίγαις ἂν ἡμέραις ἠνάγκασε Λακεδαιμονίους διαναυμαχεῖν αὐτοῖς ἄκοντας, ἢ τὰς ναῦς ἀπολιπεῖν.
8, 3. *sibi esse facile, Seuthem, regem Threcum, deducere, ut eos terra depelleret.*	Diodor. XIII, 105. Ἀλκ. λέγοντος, ὅτι Μήδοκος καὶ Σεύθης οἱ τῶν Θρᾳκῶν βασιλεῖς εἰσιν αὐτῷ φίλοι, καὶ δύναμιν πολλὴν ὡμολόγησαν δώσειν, ἐὰν βούληται διαπολεμεῖν τοῖς Λακεδαιμονίοις.

Seuthes Thraciæ oram maritimam tenuit (Xenoph. Hell. IV). Secundum Diodorum l. c. imperii militaris partem sibi concedi Alc. postulavit, in eaque re noster 8, 4 convenit: secundum Plutarchum Alc. 37 quidam jactantius ab eo dicta ita explicabant, ut si Thra-

*) Plut. in Lysandro 9: ἐστρατήγουν ἄλλοι τε πλείους καὶ Φιλοκλῆς.

cibus ex continenti immissis castra hostium turbare posset. Quare fieri potuit, ut alii fingerent, Alc. auxilia Thracum seque ducem obtulisse.

8, 4. *siquid secundi evenisset, nullam in ea re suam partem fore; contra ea, siquid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum.*

Diodor. l. c. Οἱ δὲ τῶν Ἀθηναίων στρατηγοὶ νομίσαντες τῶν μὲν ἐλαττωμάτων ἑαυτοῖς τὴν μέμψιν ἀκολουθήσειν, τὰ δ' ἐπιτεύγματα προσάψειν ἅπαντα Ἀλκιβιάδῃ, ταχέως αὐτὸν ἐκέλευσαν ἀπιέναι.

Talia cogitare duces potuerunt, si Alc. imperii partem sibi poposcit: quod tamen vix credibile est.

8, 5. *castra habeas nautica:* haud scio an τὸ ναυτικὸν (classiarios) male interpretatus sit. Idem sane dicere oportuit, quod Plut. Alc. 36: duces ab Alc. vituperatos esse, περιορῶντες τὸ ναυτικὸν, ὅταν ἐπὶ τῆς γῆς γένηται, πλανώμενον ὅποι τις θέλοι, καὶ διασπειρόμενον.

8, 6. Lysandrum quinto die *per speculatores comperisse, vulgum Ath. in terram prædatum exisse,* tradiderunt etiam Xenoph. Hell. II, 1 et Plut. Lys. 11.

9, 1. In Thraciam interiorem, Chersoneso relicta, Alc. se abdidisse et inde in Asiam transiisse (9, 3) noster existimat. Sed eum in Bithyniam cum opibus secessisse, ibique a Thracibus, qui partem *Bithyniæ* incolebant, spoliatum esse tradit Plut. Alc. 37. Xenophon Hell. III et Scylax p. 32 sq. *Βιθυνίαν Θρᾴκην* commemorant: quo factum est, ut noster incaute laberetur. Argutius patrocinari conatur Wiggers. l. c. p. 96 sq. verba *supra Propontidem* ita explicans, ac si *trans Propontidem* significarent.

9, 3. *ad Pharnabazum in Asiam transiit, quem quidem adeo sua cepit humanitate* etc.

Plut. Alc. 37. ᾤχετο πρὸς Φαρνάβαζον εἰς Φρυγίαν, καὶ συνδιῆγε θεραπεύων ἅμα καὶ τιμώμενος.

De Grynio ei dato nemo alius auctor est.

9, 4. *ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione.*

Plut. l. c. ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἐπὶ τοὺς πολεμίους ὑπουργήσειν, καὶ δεήσεσθαι τῆς βασιλέως δυνάμεως.

9, 5. *Cyrum fratrem ei bellum clam parare, Laced. adjuvantibus,*

Ephorus apud Diodor. XIV, 11 φησὶ γὰρ .. Κῦρον μὲν καὶ Λα-

sciebat; id si aperuisset, magnam se initurum gratiam videbat. — κεδαιμονίους λάθρα παρασκευάζεσθαι ἅμα πολεμεῖν πρὸς Ἀρταξέρξην τὸν ἀδελφόν· Ἀλκιβιάδην δὲ διά τινων αἰσθόμενον τὴν Κύρου προαίρεσιν ἐλθεῖν πρὸς τὸν Φαρνάβαζον καὶ περὶ τούτων ἐξηγήσασθαι κατὰ μέρος, ἀξιῶσαι δὲ αὐτὸν δοῦναι ἀναβάσεως ὁδὸν πρὸς Ἀρταξέρξην.

10, 1. *Crisias ceterique tyranni Ath. certos homines ad Lysandrum miserant . . nisi Alc. sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset.* — Plut. Alc. 38. *Κριτίας ἐδίδασκε Λύσανδρον, ὡς . . Ἀθηναίους . . οὐκ ἐάσει ζῶν Ἀλκιβιάδης ἀτρεμεῖν ἐπὶ τῶν καθεστώτων.*

Ephorus tradit, Pharnabazum Alc. interfici jussisse, ne is regi patefaceret, quod ipse indicasse videri vellet: Plutarchus c. 39 contra ait, studio gratificandi Lacedæmoniis inductum esse Pharnabazum, ut Alc. necari juberet. Utrumque noster conjungit.

10, 3. *misit Susametrem et Bagæum ad Alc. interficiendum, cum ille esset in Phrygia . . Missi clam vicinitati, in qua tum Alc. erat, dant negotium.* — Plut. Alc. 39. *Ὁ δὲ Μαγαίῳ τε τῷ ἀδελφῷ καὶ Σουσαμίθρῃ τῷ θείῳ προςέταξε τὸ ἔργον· ἔτυχε μὲν ἐν κώμῃ τινὶ τῆς Φρυγίας ὁ Ἀλκ. τότε διαιτώμενος.*

Vici nomen erat Melissa, auctore Athenæo XIII p. 574. Aristoteles contra hist. animal. 6, 29 in Arginusa Alcib. occubuisse scribit.

10, 4. *noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eamque succenderunt.* — Ephorus apud Diodor. l. c. *Τοὺς δὲ καταλαβόντας ἔν τινι κώμῃ τῆς Φρυγίας κατεσκηνωκότα, νυκτὸς περιθεῖναι ξύλων πλῆθος.*

Plutarch. 39 nihil de lignis collatis, sed ait: *οἱ δὲ πεμφθέντες πρὸς αὐτὸν οὐκ ἐτόλμησαν εἰςελθεῖν, ἀλλὰ κύκλῳ τὴν οἰκίαν περιστάντες ἐνεπίμπρασαν.*

10, 5. Ceteri scriptores *hospitem ex Arcadia* ignorant. Neque Ephorus apud Diodorum tradit Alcib. *vestimenta in ignem ejecisse*, quod sane inutile fuisset, neque *flammæ vim transiisse*, sed „defendere se conantem, igne et jaculis confectum, mortem oppetiisse.“ Id fabulæ instar eo modo, ut noster refert de *gladio subducto, telo subalari erepto*, de *transitu per ignem*, de *capite* abscisso et de trunco

in ædificii incendio per mulierem cremato, ab aliis depingi cœptum est. Simplicius Justinus quoque V, 8, 14 scribit: *cum occidi aperte non posset, vivus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est.*

quod in præsentia vestimentorum fuit, arripit. His in ignem ejectis, flammæ vim transiit. 6. *Quem barbari . . telis eminus missis interfecerunt.*

Plut. l. c. *Αἰσθόμενος δ' ὁ Ἀλκ.*, τῶν μὲν ἱματίων τὰ πλεῖστα καὶ τῶν στρωμάτων συναγαγὼν ἐπέῤῥιψε τῷ πυρί· τῇ δ' ἀριστερᾷ χειρὶ τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα περιελίξας, τῇ δεξιᾷ σπασάμενος τὸ ἐγχειρίδιον, ἐξέπεσεν ἀπαθὴς ὑπὸ τοῦ πυρὸς πρὶν ἢ διαφλέγεσθαι τὰ ἱμάτια . . ἀλλ' ἀποστάντες ἔβαλλον ἀκοντίοις καὶ τοξεύμασιν.

10, 6. Propius fidem accedit, quod Plut. l. c. refert, Timandram amicam ejus (Theodotam nuncupat Athenæus XIII, 12) *muliebri sua veste contectum* quanto potuerit honore funerasse: noster fabulosius adjicit, *ædificii incendio crematum esse.*

De Alc. ætate minus recte noster docuit; non XL, sed minimum XLV vel etiam XLVIII annos natus diem obiit supremum. Nam in dialogo Platonis, qui Alcibiades I inscribitur, Socrates Alc. nondum prorsus XX annos implevisse dicit, ibique Pericles tanquam vivus memoratur; item Xenophon Memor. I, 2, 40 Alc. nondum annos XX natum cum Pericle de legibus collocutum ait. Pericles vero obiit a. Chr. 429. Ol. 87. 4. Itaque etiamsi extremo Periclis anno colloquium illud accidisse statuere velimus, Alcib. annorum XLI (a. 408) summus imperator factus esset, annorum XLIV (a. 405) ad Aegos flumen cum imperatoribus Ath. egisset, et annorum XLV (a. 404. Ol. 94. 1 secundum Diod. XIV, 11) obiisset. At rectius ille dialogus ante ponitur, quam ad Potidæam pugnatum sit. Isti pugnæ Ol. 87. 1 Alc. *(μειράκιον ὄντα)* jam interfuisse scribunt Plato Symp. p. 220 Isocr. big. p. 518 et Plut. Alc. 7; atque nihil obstat, quo minus eum tum XX annos complevisse putemus, cum primum stipendium meruit.

11, 1. Scripta contumeliosa in Alc. composita esse testatur Athenæus XII, 4. XIII, 4. Sed nisi Theopompus et Timæus in laudando Alc. magis consenserunt quam Thucydides, parvi æstimandum est, quod noster dicit: Thucyd. certe *summis laudibus* eum non *extulit.* Miltiades, Themistocles, Epaminondas in summis viris numerati sunt (Cic. de Fin. II, 21), neque vero Alcibiades, qui patriam sibi postposuit, cui noster nimium favit.

11, 2 sqq. *cum Athenis natus esset, omnes splendore ac dignitate superasse vitæ; postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset æquiperare . . eundem apud Lacedæmonios . . sic duritiæ se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Laced. vinceret; fuisse apud Thracas, homines vinolentos rebusque veneriis deditos, hos quoque in his rebus antecessisse; venisse ad Persas, . . horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur.*

Satyrus (auctor vitæ virorum illustr. ap. Athen. XII p. 534 B) de Alc. *Λέγεται, ὅτε ἐν Ἰωνίᾳ μὲν ὢν Ἰώνων ἐφαίνετο τρυφερώτερος· ἐν Θήβαις δὲ σωμασκῶν καὶ γυμναζόμενος τῶν Θηβαίων αὐτῶν μᾶλλον βοιωτῶς· ἐν Θετταλίᾳ δὲ ἱπποτροφῶν καὶ ἡνιοχῶν, τῶν Ἀλευαδῶν ἱππικώτερος· ἐν Σπάρτῃ δὲ καρτερίαν καὶ ἀφέλειαν ἐπιτηδεύων, ἐνίκα τοὺς Λακεδαιμονίους· ὑπερῆρε δὲ καὶ τὴν Θρᾳκῶν ἀκρατοποσίαν. Ἐμιμεῖτο δὲ Ἀλκιβιάδης τὸν Παυσανίου μηδισμὸν, καὶ καθομιλῶν Φαρνάβαζον τὴν Περσικὴν ἐνεδύσατο στολήν.*

Dubitari potest, utrum Satyrum ipsum noster exscripserit, an Theopompum et Timæum. Observatu sane est dignum, nostrum et Satyrum solos prodidisse, Alc. Thebis degisse, unde fieri potuit, ut noster 4, 4 Alc. exulem ab Elide Thebas venisse finxerit. Plutarchus in Alc. 23 tantum Lacedæmoniorum, Jonum, Thracum et Persarum moribus apte eum inserviisse, vel potius illorum mores ementitum esse refert.

In *Thrasybulo* non liquet quos duces secutus sit: Theopompum et Ephorum fuisse conjicere licet. Præmium Thras. unus noster 4, 1, quod sciam, refert; ubi a ceteris scriptoribus discrepat, difficile judicatu est, quid ipsi, quidve auctori tribuendum sit.

1, 1. Duos Thrasybulos (ut duos Miltiades) confudisse mihi videtur: vindicem Athenarum *Lyci filium* fuisse perhibet, eundemque in Peloponnesio bello et cum Alcibiade et sine eo rem gessisse. Secundum Thucyd. VIII, 75 sq. Thrasybulus *ὁ τοῦ Λύκου* ad Samum classi præfuit eoque Alcibiadem ad Tissaphernem profectus reduxit. Abs quo probe distinguendus est Thrasybulus *ὁ Θράσωνος*, qui ab exercitu Athenas profectus, Alcibiadem, male ab Antiocho ad Notium re gesta, apud populum criminatus est (Plutarch. Alcib. 36). Aut hic aut alius, certe non prior fuit is, qui exules Athenas reduxit. Namque diligenter eum ab imperatore superiore distinguit Diodorus XIV, 32, a quo ita infertur: *Θρασύβουλος ὁ Τυριεὺς ὀνομαζόμενος, ὢν*

Ἀθηναῖος, ὑπὸ δὲ τῶν τριάκοντα πεφυγαδευμένος. Eumque rectius *Θρασύβουλον τὸν Στειριέα* vocant Aeschines in Ctesiphont. p. 82 et Xenoph. Hell. IV, 8, 25, a pago Attico sic cognominatum. Fieri non potest, ut qui recens inducitur tanquam Atheniensis et cognomine insignitur, notus ille imperator (Lyci filius) sit, cujus multa facta Diodorus ante retulit. Fuit quidem etiam Thrasybulus Stiriensis in exercitu ad Samum, non tantum ille imperator *ὁ τοῦ Λύκου* (ut Thucyd. emphatice dicit): adjuvit enim *Θ. ὁ Στειριεὺς* clamore suo Alcibiadem prohibentem, quo minus milites contra quadringentorum imperium Athenas proficiscerentur; nam antecessisse ceteros magna voce fertur (Plutarch. Alcib. 26). Demosthenes quoque inter duos Thrasybulos, quorum uterque Phylen et Piræeum occupaverat, cognominibus additis distinguit, c. Ctesiphont. c. 64 Stiriensem nostrum inducens post victoriam accusatum et in judicio damnatum, deinde in Timocrat. p. 742 Thrasybulum *τὸν Κολυττέα* nominans. Thrasybulus Stiriensis demum Olymp. 97 primo anno imperator electus et in Thraciam ac Lesbum cum classe missus est (Diodor. XIV, 94).

Amori in patriam nimium tribuit, nec *nobilitas* aliorum huc quidquam facit; sed id tenendum erat, Thras. exulem patriam injuria sibi ademtam recuperaturum fuisse. Sic Xenophon Hell. II, 4 eum perorantem hortantemque socios verius induxit, non ut oppressam patriam liberarent, sed ut sibi eam et domos et libertatem et honores et liberos et uxores vindicarent.

1, 5. Factum Thras. ut ipsi proprium exaggeravit, quasi nihil viribus pugnantium, nihil fortunæ deberetur, *et solus initio bellum indixisset.* Ne indixit quidem, sed Thebanis, a quibus cum sociis profectus est, arma et pecuniam subministrantibus, Phylen occupavit (Diodor. XIV, 32 Plut. Lys. 27), eique fortuna tantopere favit, ut Pausanias rex Lysandro obtrectans pacem reconciliare quam exules opprimere mallet. Verum non curat noster Xenophontem, dummodo sententias suas expromere possit.

2, 1. Non *confugit*, imo occupavit *(κατελάβετο)* Phylen. In numero sociorum finiendo nemo Xenophonti præferendus erat, qui Hellen. II, 4 Thras. cum LXX circiter Thebis Phylen profectum esse perhibet, assentientibus Plutarcho de gloria Ath. p. 345 D et Aristide Orat. T. I p. 556. Pausanias I, 29 numerat LX, Aristoteles Rhet. ad Alex. c. 9 p. 180 recenset L, noster tantum XXX.

2, 2. Tantum abest, ut *contemtus* sit Thras., ut tyranni cum tribus millibus peditum et equitibus castellum cincturi egressi sint, post præsidium Lacedæmoniorum cum equitibus emiserint, auctore

Xenophonte l. c. (cf. Diod. XIV, 32). At noster veritate supersedit, ut proverbia jactaret.

2, 4. Ut aliam sententiam exponeret, denuo invertit historiam. Nam brevi *Thras. auctæ sunt opes*, ita ut cum DCC præsidia Lacedæmoniorum in fugam verteret, et mox cum fere mille sociis in Piræeum descenderet (Xenoph. l. c. Diod. XIV, 33 recenset MCC), ut vel *Lysias Syracusanus orator, exul tunc*, *D milites stipendio suo instructos in auxilium patriæ communis eloquentiæ mitteret* (Justini V, 9, 9 sunt verba).

2, 5. *Munychiam* occupavit Thras., non *munivit* secundum Xenoph. et Diodor., hic collem jam munitum fuisse scribit l. c. — Iisdemque auctoribus semel tantum Munychiæ pugnatum est, et ceciderunt Critias et Hippomachus tyranni. Noster confundens oppugnationem Phyles castelli et Munychiæ, *bis* hanc *oppugnatam* esse et *in secundo prœlio cecidisse Critiam* ait.

2, 6. *Neminem jacentem veste spoliavit; nil attigit, nisi arma.*	Xenoph. Hell. II, 4. τὰ μὲν ὅπλα ἔλαβον, τοὺς δὲ χιτῶνας οὐδενὸς τῶν πολιτῶν ἐσκύλευσαν.

Quæ ad victum pertinebant, in prœlio quidem non adfuisse videntur, sed post quidem prædatum egressi ab equitatu hostium interfecti sunt (Xenoph.).

3, 1. Potius sequi debebat Xenophontem, secundum quem his conditionibus pax facta est, ut unusquisque domum rediret præter triginta et undecim (qui illorum ministri ad jugulandos cives fuere) et decem viros, qui in Piræeo imperium habuerant. Andocides or. de myster. p. 12 commemorat tantum XXX et XI viros ab impunitate exemtos. Valesius Emendat. I, c. 33 confundi a nostro X magistratus, quos Athenienses abdicatis XXX tyrannis creaverant, cum X magistratibus Piræei existimavit, quamvis Justinus V, 10, 8 quoque scribat, Pausaniam *decem tyrannos ex urbe Eleusina migrare ad ceteros jussisse.* — De *reip. procuratione* Pausanias nihil sanxisse videtur; Xenophon enim Thrasybulum dicentem induxit, Lacedæmonios, urbe læso populo Piræei tradita, abiisse, ipsum vero moderatione usum antiquas leges et conciones restituisse.

3, 2. Xenophon, Andocides de myster. p. 12 et Justinus V, 10, 12 nihil de lege, sed tantum de *jurejurando* referunt, quo Ath. *obstricti sint, discordiarum oblivionem fore;* sed Valerius Max. IV, 1, 4 et Schol. Aristoph. Plut. V, 1 *Thrasybulum* aiunt *plebiscitum interposuisse*, ne qua *præteritarum rerum mentio fieret.*

3, 3. Cædes facta est: nam adversus eos, qui Eleusinem abierant et mercenarios comparaverant, egressi, duces eorum ad colloquium

procedentes trucidaverunt, et tum demum oblivionem juraverunt (Xenoph. et Justin. V, 10, 9). Haud scio, an hæc res nostro occasionem dederit narrandi, Thras. cædem prohibuisse, de qua aliunde non constat. Sed Xenophon ait: τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος.

4, 4. Male *ad Siciliam*, ut in vetustis exemplis legitur, *appulisse* dicitur nostro, et male *oppidum*, ex quo *eruptio facta sit*, sine nomine ponitur. Xenophon Hell. IV, 8, 30 et Diodor. XIV, 99 nos docent, Thras. undecim annis post classem ad Eurymedontem fluvium in Pamphylia appulisse, et ab Aspendiis, quorum ager a parte militum ejus devastatus erat, cum aliis quibusdam noctu interfectum esse.

In *Conone* eosdem duces Theopompum et Ephorum nostro fuisse credibile est; Theopompus enim historiam suam usque ad prœlium ad Cnidum commissum perduxit (Diodor. XIV, 84). Duo loca Diodori et alter Plutarchi, quæ adscribam, e communi fonte profecta esse videntur. A nostro nihil novi discimus, nisi Cononem *Tissaphernis accusandi gratia* a Pharnabazo ad regem missum, per *Tithraustem* cum Artaxerxe egisse (3, 2), et ad muros Athenarum reficiendos *L talenta* a Pharnabazo accepisse (4, 6), et quale ejus *extremum* fuerit *fatum* auctore *Dinone* (5, 4). Quamquam affirmari non potest, nostrum ipsum Dinonis libro de Persicis rebus, ad quem 5, 4 provocat, usum esse.

1, 1. Prætorem præfecto classis opponere videtur; neque vero sibi constat, qui VII, 8, 1 præfectos classium Philoclem et Lysandrum prætores vocaverit. — Non *honorem ei habitum esse dici oportuit*, quod *insulis præfuerit*, quas ipse cum Pharnabazo et classe Persarum auctoritate et prudentia in fidem recepit. Quæ res exordii caussa perverso ordine infertur, et tum verbis: *fuit etiam* assuitur res ad Aegos potamos decennio ante gesta. Namque haud dubium est, quin ea, quæ noster ab initio collocat, et ea, quæ Xenophon Hell. IV, 8 Diodor. XIV, 84 et Plutarch. Artax. 21 de insulis et oppidis maritimis post pugnam Cnidiam receptis scribunt, easdem res significent. Antea enim neutiquam Conon *insulis præesse* potuit, quibus Olymp. 96. 2 a Lacedæmoniis abalienatis, classiarios hinc aluit; et Pheras, oppidum Messeniæ, navigans, agrum vastavit, ut Xenophon IV, 8, 7 refert. Quamquam admirandum est, cur hæc res minimi momenti in exordio ponatur, nisi auctor, ex quo hæc desumta, indicare voluerit, quanto contemtui fuerint Lacedæmonii devicti, quorum confinia vastarentur. Sed tum male Pheræ tamquam

colonia eorum, quæ etiam longe abesse posset, significantur. Et certe nusquam alibi colonia Lacedæmoniorum dicuntur, sed eorum ditioni subjectæ erant, et a Xenophonte l. c. et Plinio IV, 8 in ipsa Laconia ponuntur. — Hæc igitur est series rerum, a nostro confusa. Conon e prœlio ad Aegos flumen confugit in Cyprum Ol. 93. 4, Persarum classi præficitur Olymp. 95. 2, ad Cnidum Lacedæmonios vincit Olymp. 96. 2, insulas Con, Nisyrum et Chium, urbes Teon, Mytilenen, Ephesum et Erythras a societate Lacedæmoniorum avertit, Cyclades insulas in suas partes adducit, insequenti vere (Xenoph. IV, 8, 7) Ol. 96. 3 una cum Pharnabazo litus Laconiæ in sinu Messenio depopulatur, ibique *Pheras* non *capit* quidem, ut noster ait, sed vastat earum agros, quo facto Cytheram occupat, et abeunte Pharnabazo solus cum pecunia Athenas dimissus ejus urbis Piræeique muros dirutos reficiendos curat.

1, 2. Quod Cononem prœlio illo funesto abfuisse tradit, non modo errat, sed, quod etiam pejus est, pravo Cononis studio errare voluisse videtur. Adfuisse constat fide Xenophontis, Isocratis, Diodori, Plutarchi, Justini et Aristidis, atque Bosius ludit negans eum adfuisse, quod *vixdum clamore irruentium percepto*, cum octo vel novem navibus *discesserit*. Hac ratione aberant et Philocles ceterique imperatores, denique milites culpa vacabant, aberant enim prædandi caussa. Verum non id quæritur, remotusne paullum fuerit Conon a collegis, sed an de participe omnium culpæ dici possit, *si affuisset, illam Atheniensis calamitatem accepturos non fuisse.* Et dicere quidem audet, *nemini his temporibus* hac de re *fuisse dubium*, cum Isocrates ad Philipp. p. 94 dicat, Cononem domum redire erubuisse.

2, 1. *non quæsivit, ubi ipse tuto viveret, sed unde præsidio posset esse civibus suis.*

Plutarch. Artax. 21. *διέτριβεν ἐν Κύπρῳ . . οὐ τὴν ἀσφάλειαν ἀγαπῶν, ἀλλὰ τὴν τῶν πραγμάτων μεταβολὴν . . περιμένων.*

Plutarchus melius ait Cononem rerum commutationem *exspectasse:* noster Cononis studium exaggerans, eum ultro *se ad Pharnabazum contulisse* dicit. Sed ipse Pharnabazus et Artaxerxi regi persuasit, ut Conon classi præficeretur, et in Cyprum se contulit ad Cononem, cui imperium navale traderet (Diodor. XIV, 39). — Generum Artaxerxis Pharnab. fuisse, Plutarchus quoque in Artax. scriptum reliquit. Noster vero cum eum *satrapen Joniæ et Lydiæ* faciat, ignorantiam historiæ illius temporis prodit. Tissaphernes enim satrapa Lydiæ fuit et Sardibus præfuit (Xenoph. III, 4, 25); successit enim Cyro juniori, qui oræ maritimæ imperium obtinuerat (Diodor.

XIV, 26). Pharnabazo Phrygia et Aeolis parebant (Xenoph. III, 5, 26 et Wessel. ad Diodor. XIV p. 670). Joniæ vero civitates adversus Tissaphernem accersiverunt auxilium Lacedæmoniorum, qui ad tuendam eorum libertatem primum Thimbronem, deinde Dercyllidam, denique Agesilaum cum Lysandro miserunt. Itaque *Joniæ satrapes* non modo Pharnabazus, qui toto cœlo distat, sed ne *Tissaphernes* quidem dici debebat.

2, 2. Lacedæmonii *cum Artaxerxe societatem* non fecerant, *sed* Dercyllidas, illorum dux, cum Tissapherne pactus, adversus *Pharnabazum* exercitum eduxit (Xenoph. III, 1, 9), et cum hoc inducias fecit (Xenoph. III, 2, 1), quas post cum Tissapherne et Pharnabazo denuo sanxit (Xen. III, 2, 20). Male noster scribit, *Laced. in societate non mansisse.* Ii enim certiores facti, regem et *Tissaphernem* magnam classem comparare, Agesilaum in Asiam miserunt, qui primo cum Tissapherne inducias fecit ea conditione, ut a rege libertatem Græcarum civitatum in Asia posceret; sed Tissaphernes *auxit* copias suas et Agesilao bellum indixit, nisi is ab Asia *discessisset.* Qua de re juvat non modo ad *Xenophontem*, gravissimum scriptorem, III, 4, 1. 5. 11 et Plut. Ages. 9 provocare, sed etiam ad nostrum ipsum, qui sui immemor in Agesilao c. 2 eadem narrat. *Non* Cornelius, sed mercenarius scriba Aemilius id committere potuit, ut in eodem libello IX, 2, 2 scriberet, Lacedæmonios *maxime a Tissapherne impulsos esse*, ut cum rege bellum gererent, XVII, 2, 3 Tissaphernem subito adventu Agesilai perturbatum inducias petivisse, in quibus fraude copias suas auxerit. Scilicet Cononem 3, 2 Tissaphernis accusatorem facturus, ne falsum faciat, bis repetit, hunc a rege defecisse, parum curans historiæ fidem.

3, 1. Tissaphernem in prœlio adversus Cyrum strenue pugnasse, memoriæ prodit quoque Diodorus XIV, 23, et addit Xenophon in Anab. I, 2, 4, eum ex quatuor regis ducibus unum fuisse.

3, 2. Eadem fere exhibet Justinus VI, 2, Cononem militare stipendium a rege, quem adorare nollet, per internuntios poposcisse, ut *minister impensæ sibi daretur, quia pluribus id mandare perniciosum esset*, eumque *dato stipendio ad classem remissum esse*, nihil vero de criminatione Tissaphernis infert, sed a Pharnabazo ipso Tissaphernem apud regem accusatum esse ait VI, 1, 4. Tissaphernes enim fuit summus imperator (Xenoph. Hell. III, 2, 13), et inter utrumque obtrectatio intercessit (Xenoph. III, 1, 9). Rex Tissaphernem, quod in prœlio adversus Agesilaum Persis præsto non fuit, a Tithrauste securi cædi jussit (Xenoph. III, 4, 25), et Diodorus XIV, 80 sq. hanc cædem et profectionem Cononis ad regem in eundem

primum annum Olymp. 96, licet illam prius, refert; quare prope fidem accedit, quod noster narrat, Tissaphernis *accusandi gratia Cononem a Pharnabazo ad regem missum esse.* Pausanias III, 9 p. 227 quoque Cononem Timothei filium ad Artaxerxem contendisse prodidit.

C. 4. Noster credere videtur, Agesilao domum revocato 2, 4, Lacedæmonios denuo adversus Persas bellum parasse et Pisandrum ducem misisse 4, 4. Alioquin tempora confundit, et quæ cum adventu Agesilai evenerunt, postea collocat, quam a civibus eum revocatum esse dixit. Nam post reditum Agesilai nulli fuerunt ad Persicum bellum apparatus, imo ab eo in Phrygiam proficiscente Pisander, uxoris ejus frater, classi præficitur, qui a Pharnabazo et Conone ad Cnidum funditur (Xenoph. III, 4, 29. IV, 8, 1. Justin. VI, 3, 1), et ipse cum parte exercitus pedestris Hellespontum trajecit, ut Bœotios aggrederetur, relictis in Asia quatuor millibus peditum cum Euxeno harmosta (Xenoph. IV, 2, 5).

4, 1. *ut ei permiserit, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam . . . se suadere, Pharnabazo id negotii daret. Hinc magnis muneribus donatus, ad mare est missus . . dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat.*

Diodor. XIV, 81. *Ἀρταξέρξης ἐπαινέσας αὐτὸν καὶ δωρεαῖς μεγάλαις τιμήσας, συνέστησε ταμίαν τὸν χορηγήσοντα χρημάτων πλῆθος, ὅσον ἂν προςτάττῃ Κόνων, καὶ τὴν ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ λαβεῖν εἰς τὸν πόλεμον συνηγησόμενον ὃν ἂν προαιρῆται Περσῶν. Κόνων μὲν οὖν Φαρνάβαζον ἑλόμενος τὸν σατράπην, κατέβαινεν εἰς τὴν θάλατταν, ἅπαντα διῳκηκὼς κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν.*

Verbum *συνηγησόμενον* cum verbo *χορηγεῖν* confudisse videtur, cum Pharnabazum, quem Conon militaris imperii collegam sibi adoptavit, ministrum impensæ faciat. Male sane, nam fuisse eum perpetuo et ante et post pugnam Cnidiam et in ea ipsa imperatorem, luculente patet e Xenophonte IV, 1, 20. 8, 1. 6., Dubitari etiam potest, an non fabula sit a Græcis ad Cononem illustrandum inventa, eum sibi elegisse Pharnabazum collegam.

4, 5. Xenophon IV, 8, 9 ait Cononem a Pharnabazo pecuniam ad reficiendos muros accepisse, nec credibile est, eum hanc *civibus suis donasse,* ut noster scribit.

C. 5. Quo magis Cononis in patriam pietatem amplificaret, eum *clam dare operam cœpisse* dixit, *ut Joniam et Aeoliam restitueret*

Atheniensibus. Falso. Victoria ad Cnidum reportata, insulis et civitatibus maritimis libertas reddita est, ejectis magistratibus Spartanis; Conon enim Pharnabazum docuit, fore ut omnes civitates hac ratione sibi conciliaret (Xenoph. IV, 8, 8). Aeolis autem Pharnabazi provincia fuit. Lacedæmonii vero Antalcidam ad Tiribazum, ducem regium, miserunt, apud quem Cononem accusaret, quod ex regis pecunia murum Atheniensibus reficeret, opibus regiis classiarios alens, insulas urbesque maritimas Athenis propitias redderet (Xenoph. IV, 8, 12). Eum vero nihil contra Artaxerxem vere molitum esse, docemur quoque ab Isocrate, qui in Panegyr. 41 inconstantiam Persarum vituperat, qua Cononem pro ipsis pugnantem consilio occidendi in vincula conjecerint (*ἐπὶ θάνατον συλλαβεῖν ἐτόλμησαν*), Themistoclem adversus ipsos bellantem maximis muneribus affecerint.

5, 3. *Tyriabazus, qui Sardibus præerat, Cononem evocavit, . . . cum venisset, in vincla conjectus est, in quibus aliquamdiu fuit.*

Diodor. XIV, 85. *Τηρίβαζος ὁ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν πεζικῶν δυνάμεων ἀφηγούμενος . . πρόφασιν λαβὼν ὅτι ταῖς βασιλικαῖς δυνάμεσι τὰς πόλεις Ἀθηναίοις κατακτᾶται, προαγόμενος δ' αὐτὸν εἰς Σάρδεις, συνέλαβε καὶ δήσας εἰς φυλακὴν κατέθετο.*

Xenophon potius sequendus fuit, qui IV, 8, 13. 16 accurate refert, Cononem una cum legatis Atheniensium eorumque sociorum Tiribazum convenisse, ut Antalcidæ criminanti responderet, Tiribazum autem Lacedæmoniis fidem habentem, illo in carcerem conjecto, ad regem adiisse, ut quid faciendum esset interrogaret.

5, 4. De morte Cononis certo non constat; nam *Dinon*, cui noster *plurimum de Persicis rebus credere* se ait, de Themistocle Xerxe vivo profugo rem antiquis scriptoribus non probatam, ne nostro quidem II, 9, 1 persuasit.

De *Dione* tres historici, e quibus Theopompus et Ephorus alioquin a nostro certo consulti sunt, memoriæ prodiderunt: 1) *Theopompus* Philippicis intexuit tres libros de rebus Siculis, inde a dominatu Dionysii majoris usque ad exilium Dionysii junioris L annorum spatium complexus (Diodor. XVI, 71), et noster 5, 3 sane *L annorum imperium* a Dione esse perculsum ait: tot vero anni numerantur ab Olymp. 93 anno tertio, quo Dionysius pater tyrannidem obtinuit, ad Ol. 106 annum primum, quo Dion Syracusas in libertatem vindicavit. Plutarchus in Dione 28 tantum XLVIII annorum

spatium habet. Wesselingius vero ad Diod. l. c. τὴν ἔκπτωσιν Διονυσίου τοῦ νεωτέρου prave accipiens, ac si is a Timoleonte pulsus Corinthum se contulisse intelligatur, plus LX annos computat. — Idem Theopompus libro XL Dionysii filios, Hipparinum et Nisæum, recenset (Athen. X, 10), non secus ac noster 1, 1, qui alterum *Niseum* nuncupat, idemque Suidæ in Δίων et Aeliano V. H. II, 41 Νισαῖος, Plutarcho in Timol. 1 Νησαῖος et Diodoro XVI, 6 Ναρσαῖος dicitur. Theopompum quoque de portentis Dionysio filio infaustis scripsisse auctor est Plutarch. in Dione 24. 2) *Timæus* scriptum reliquit, medicos Dionysio patri petenti soporem dedisse (Plutarch. Dion. 6): noster 2, 5 ait, a filio jussos dedisse. Præterea idem scriptor excitatur a Plutarcho in Dione 14. 31. 36. 3) *Ephorum* de morte Philisti historici, familiaris Dionysii prioris, scripsisse liquet ex eodem Plutarcho 35. 36.

Nostro debemus narrationem 4, 3 de corruptione filii Dionis et severa disciplina paterna, 5, 3 *post diem tertium*, quam Siciliam attigerit, Syracusas introiisse Dionem, 9, 1 Callippum *consciis facinoris loca munitiora oppidi tradidisse, navem armatis ornasse Philostratoque fratri tradidisse in portu* agitandam, 10, 4 Dionem *circiter annos LV natum obiisse, quartum post annum, quam ex Peloponneso in Siciliam rediisset*. Postremum nescio an e *Nepotis Chronicis* excerpserit. Cetera aut e Diodoro et Plutarcho constant, aut falsa suspectave esse videntur.

1, 2. Minus accurate *come ingenium* Dioni tribuit noster: ipsius magister Plato Ep. 4 ingenium austerum et pertinax et Plutarchus in ejus vita 8 et in libro de discrim. adulat. et amici p. 69 rusticitatem quandam et asperitatem morum in eo fuisse confirmant. Frustra Loccenius et Bosius discrepantiam conciliaturi conjecerunt, erga Platonem eum se comem et facilem, vel modo comem modo durum præbuisse: noster enim de ingenio *ab natura* accepto, quo Dion familiaritatem Dionysii sibi conciliaverit, loquitur.

1, 4. *Legationes omnes, quæ essent illustriores, per Dionem administrabantur. . . Hunc a Dionysio missum Karthaginienses suspexerunt.*

Plutarch. Dion. 5. πρεσβείας τε τὰς μεγίστας διῴκει, πεμπόμενος πρὸς Καρχηδονίους, ἐθαυμάσθη τε διαφερόντως.

2, 2. Mirifice confundit tempora et itinera Platonis. Postquam de matrimonio, consiliis et legationibus Dionis egit, redit ad ejus studia et educationem. Adolescens enim XX annorum Syracusis Platonem audivit, qui Olymp. 97. 4 eo venit (cum Dion LV annos natus Olymp. CVI. 2 mortuus sit). Deinde neque concinnum neque verum est, quod Dionysium dicit ei *negare non potuisse*, *quin Pla-*

tonem accerseret, et tamen *magna eum ambitione Syracusas perduxisse.* Imo sponte sua eo venit, ut montis Aetnæ ignes observaret (Diog. L. III, 16), et cum XXV annis post Ol. CIV. 1 ad Dionysium filium veniret, tum demum hic *vittatam navem misit obviam, ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit* (Plin. VII, 3 Plut. c. 13. Aelian. V. H. IV, 18). Confudit igitur hoc secundum iter Platonis, de quo noster 3, 1, cum priore; Dionysius enim filius, obsecrante Dione, Platonem Athenis arcessivit (Plato Epist. ad amic. Dion. T. XI p. 98 ed. Bipont. Diog. L. III, 15), eumque magna ambitione Syracusas perduxit. Ex collectaneis suis noster inscite vitas compilasse, vel auctorem aliquem breviorem male accepisse videtur. Nam e. g. Diodorus XV, 7, nisi ex aliis explicatur, in ejusmodi errorem inducere potest, cum scribat, Dionysium superiorem Platonem arcessitum primo magni æstimasse, postea offensum XX minis venum dedisse. Quod obscurius dictum quid sibi velit, e Plutarcho c. 4 sq. intelligitur, nimirum Dionem amore philosophiæ incensum precibus effecisse, ut Dionysius quoque Platoni se daret eumque audiret, non Syracusas arcesseret, ubi jam erat. Iterum errat 2, 3, ut si ad eundem Dionysium patrem unquam redierit Plato: rediit ad Dionysium filium, intercedente Dione, quod ipsum narrat noster 3, 1 et Plato Epist. 7. Male tamen additur 3, 1, Dionysium *in aliqua re voluisse patrem imitari*, utpote qui libertate philosophi de justitia disputantis indignatus, eum ut mancipium venum dari jusserit (Plut. c. 5 Diog. L. III, 19 Olympiodor. p. 80 ed. Fischer.). Tertium denique Olymp. CIV. 4 Dionysius Platonem, cum Dion in exilio esset, Syracusas arcessivit, quod iter silet noster, sed memorant Plato l. c. et Plut. 18.

4, 1. ἀκάτιον, qua voce Plut. c. 14 utitur, noster non recte intellexisse videtur; nam ἀκάτιον triremi sæpe opponitur (Scheffer. de milit. nav. II, 2 p. 70). Plato ep. 7 p. 103 Bip. T. XI parvum navigium (σμικρὸν πλοῖον) fuisse ait, cui Dion impositus sit. — Minus accurate ab eventu triremem Dioni datam esse ait, *qua Corinthum deveheretur.* Fugit quidem Corinthum (Diodor. XVI, 6), sed in Italiæ littore eum exponi jussit tyrannus (Plut. 14).

4, 2. *Dionysius omnia, quæ moveri poterant Dionis, in navis imposuit ad eumque misit.*

Plut. 15. δύο δὲ ναῦς παραδοὺς τοῖς Δίωνος οἰκείοις, ἐκέλευσεν ἐνθεμένοις ὅσα βούλοιντο τῶν ἐκείνου χρήματα καὶ θεράποντας ἀπάγειν πρὸς αὐτὸν εἰς Πελοπόννησον.

4, 5. Dubiæ fidei sunt, quæ noster de causa mortis filii Dionis

et 6, 2 de *gravissimo parentis vulnere* inde accepto refert. Namque Plut. 55 de tecto eum præcipitem se egisse scribit dolore quodam et ira e parva et puerili occasione orta. Idem in consolat. ad Apollon. et Aelianus V. H. III, 4 perhibent, patrem re audita nihil commotum, deliberationem de rebus publicis institutam prosecutum esse.

5, 1. E scriptore, qui breviter rem absolverat, hausisse videtur, cum Dionis fugam et reditum conjungeret, licet decennii circiter spatium interesset. Nam quatuor post menses quam Plato a Dionysio recens regnante vocatus Syracusas venit, Dion in exilium missus est, Dionysius vero X vel XII annos regnavit. Plato tertium Syracusis versatus apud Dionysium intercessit, ut Dioni redire liceret (Plato Ep. 7 Plut. 19); unde colligitur, tum eum nondum bellum comparasse.

5, 3. *duabus onerariis navibus L. annorum imperium, munitum D longis navibus, X equitum centumque peditum milibus, profectus oppugnatum.*

Diodor. XVI, 9. Τίς γὰρ ἂν πιστεύσειεν ὅτι δυσὶ φορτηγοῖς ναυσὶ καταπλεύσας περιεγένετο δυνάστου ναῦς μὲν μακρὰς ἔχοντος τετρακοσίας, στρατιώτας δὲ πεζοὺς μὲν εἰς δέκα μυριάδας, ἱππεῖς δὲ μυρίους.

5, 4. Quam *classem operiebatur* Dionysius? Male noster suum ducem assecutus esse videtur. Constat enim, tyrannum cum LXXX navibus ad civitates in Hadria nuper constitutas profectum, eo tempore Caulone in Bruttiis versatum, Philisto imperasse, ut Hadria cum classe Syracusas peteret, quo ipse Dionysius septimo die post introitum Dionis rediit (Diod. XVI, 10 sq. Plut. 26). Verba ante oculos habuisse videtur, qualia sunt Diodori XVI, 11: μετεπέμψατο Φίλιστον μετὰ τῆς ναυτικῆς δυνάμεως. Quamquam eum non operiebatur, neque tum dici potuit *ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum.*

5, 6. Quod de pace non facta silet, in errorem inducit lectorem. Namque populus Syracusanus conditiones rejecit sperans fore, ut arcem vi expugnaret et tyrannum vivum caperet (Diod. XVI, 17 Plut. 37). *Pactiones* ipsæ nec per se veri similes sunt, et Diodoro atque Plutarcho l. c. contradicunt. Neque enim video, quomodo is, qui de arce obtinenda dubitabat, pacisci potuerit, ut Dion victor Syracusis decederet, Apollocrates filius suus eas obtineret. Contra ejusmodi pactiones proposuit, ut ipse arce tradita libere in Italiam trajiceret et fertili regione in agro Syracusano Gyâta dicta frueretur. Itaque ista verba historiam misere contractam continere videntur, quæ ita se habet. Dionysius clam in Itâliam navigavit et Apollo-

crati filio natu majori arcem tradidit; Dion vero, Heraclide maxime auctore, Syracusis cum exteris militibus ejectus Leontinos contendit, unde adversus Dionysii duces, qui Syracusas diripiebant et concremabant, auxilio revocatus, victis adversariis arcem expugnavit.

6, 4. De suo esse videtur, quod Homerico versu Dionem usum ait, cum ipso rogante, populus Heraclidem classi præfecisset (Plut. 33), cumque iterum vindex patriæ summus imperator terra marique creatus, ipse imperium classis tradi Heraclidi passus esset, qui quidem Dionem tyrannidis cupidum esse calumniabatur (Plut. 48). Huius vero consilium fuit mixtum quemdam reip. statum ad exemplum Spartanorum seu Cretensium instituere (Plut. 53).

C. 7 Dion *tyrannus non ferendus* depingitur, neminem Heraclide interfecto *se tutum putasse*, adversariorum bona *militibus* dispertita, amicos, ut *maximis sumptibus* suppeteret, spoliatos, *et tamen militum voluntatem in eum offensam esse.* Non historicum, sed Callippum, hominem sine fide, audire putamus. Dion a Platone omni virtute imbutus, perfido Heraclidi sæpe veniam dedit, ut perversitatem hominis beneficiis vinceret, amicis et militibus ejus mortem petentibus unus obstitit (Plut. 47), quare apud amicos male audivit (Plut. 48); denique passus est virum seditiosum ab iis, quos pridem coërcuerat, occidi, populoque persuasit, alioquin civitatem perturbatam sedari non posse (Plut. 53), postea tamen eum cædis pœnituit dicentem, se mori malle, quam ita vivere, ut sibi non solum ab inimicis, sed etiam ab amicis cavendum esset (Plut. 56). Qua simplicitate cum esset, in insidias perversi Callippi incidit. Cum summus imperator electus, et victor in arcem ingressus esset, partem quidem honoris et munera sociis belli, civibus familiaribus et mercenariis militibus magno animo dispertivit (Plut. 52), sed tantum abfuit, ut alios spoliaret, ut mira clementia, qua injurias pati quam inferre malebat, omnes inimicos criminibus absolveret, suoque exemplo et exhortatione vulgus ad concordiæ studium perduceret (Diod. XVI, 20), ipse vero cultu vestituque eodem uteretur, ac si in Academia Platonis sodalis esset (Plut. 52). Aisne, suos auctores nostrum secutum esse? Eosdem, inquam, qui perperam Cononem prœlio ad Aegos flumen eximunt, Dionem autem vere magnum deprimunt. In nota licentia nostri cave ad alienam confugias.

C. 8: Male *Callicratem* quater vocat, cui nomen Callippi fuit secundum Diod. XVI, 36 Plut. 54 Athenæum XI p. 508 E et Suidam. Neque vero hic *offensionem populi et odium militum* Dioni indicavit, ut in ejus consuetudinem se insinuaret, sed exploratoris partibus excipiendis fidem Dionis frustratus est.

9, 1. A quali *conventu remotus* fuit Dion? Cum amicis ἐν οἰκήματι κλίνας τινὰς ἔχοντι recubuit, auctore Plut. 57. Noster vero 9, 4 illud verbum non assecutus, in lecto cubantem facit Dionem.

9, 6. Ut sententiam de invisa singulari potentia inepte jactaret, oblitus est, illos ipsos custodes, de quibus 9, 1 mentionem fecerat, a Callippo, non a Dione dispositos fuisse. Quo factum est, ut Puteanus et Lambinus ordine inverso legendum censerent 9, 1: *cust. sepsisset, a for. qui non discederent, certos præfecisset: consciis loca mun. oppidi tradit, navem* etc. Ita noster sibi constaret quidem, sed a Plutarcho 57 abhorreret, ut jam Bosius observavit, et audacius correctum esset.

C. 10. Suspectæ fidei sunt, quæ noster tradit de cæde *immerentium* facta, de funere *publico* et *sepulchri monumento* Dionis. Nam parum consentanea sunt iis, quæ e Diodoro XVI, 31 et Plut. 58 constant, Callippum perpetrato facinore ab initio clarum fuisse et principatum per XIII menses obtinuisse. Cæteroquin Rothius bene sicut Lambinus *elatus publice* conjunxit. Ita ii, qui ad Marathonem, Platæas, Salaminem et Artemisium ceciderunt, publice elati sunt, quod ita in consuetudinem veniebat, ut populus suffragiis oratorem funebrem deligeret et epigramma inscribi juberet (Demosth. de Corona p. 317. 342 sq.)

In *Iphicrate Theopompi* haud incerta vestigia sunt. Memorat 2, 1 *bellum cum Thracibus gestum*. Theopompus vero libro XXV ait ab Iphicrate Dryn, urbem Thraciæ, esse constitutam (Harpocrat. v. Δρῦς). Ipse 3, 2 ad Theopompum provocat. Quæ c. 1 de armatura militum perhibet, si non e Diodoro XV, 44, e communi certe auctore exscripta sunt. Uni nostro debentur, quæ legimus 2, 1 de Seuthe in regnum restituto, 3, 1 de corpore et aspectu Iph., 3, 2 de laborum impatientia et 3, 4 de filii dicto.

C. 1. Iphicratem, licet ejus vitam paucis absolvat, nimiis laudibus effert. Rectius certe Justinus VI, 5 prædicat, ejus virtutem *supra ætatem admirabilem fuisse*, cum enim *XX annos natus in auxilium Bœotiorum* contra Lacedæmonios mitteretur, nunquam *ante eum Athenienses inter tot tantosque duces aut spei majoris aut indolis maturioris imperatorem habuisse.* Theopompus similia scripsisse, vel ita prodidisse videtur, ut in illo bello Iphicratem adolescentem inter æquales parem non habuisse, *ne de majoribus natu quidem quemquam antepositum esse* diceret. Sed judicium nostri universum ma-

gnificentius quam verius est, præcipue cum addat, eum *nusquam culpa male rem gessisse, semper consilio vicisse.* Inprimis inspici oportuit Xenophontem, Iphicrati æqualem, qui in Hell. VI, 5, 51 refert, quo tempore ille Lacedæmoniis subsidio adversus Thebanos missus sit, ab eo omnia partim temere, partim infeliciter gesta esse, ejusque culpa hostes domum evasisse, et XX equites periisse. Cf. Diodor. XV, 65.

1, 3. *Cum ante illum imperatorem maximis clipeis, brevibus hastis, minutis gladiis uterentur, ille e contrario peltam pro parma fecit (a quo postea peltastæ pedites appellantur), ut ad motus concursusque essent leviores, hastæ modum duplicavit, gladios longiores fecit.*

Diodor. XV, 44. *Τῶν Ἑλλήνων μεγάλαις ἀσπίσι χρωμένων, καὶ διὰ τοῦτο δυςκινήτων ὄντων, συνεῖλε τὰς ἀσπίδας καὶ κατεσκεύασε πέλτας συμμέτρους, ἐξ ἀμφοτέρων εὖ στοχασάμενος, τοῦ τὲ σκέπειν ἱκανῶς τὰ σώματα, καὶ τοῦ δύνασθαι τοὺς χρωμένους ταῖς πέλταις διὰ τὴν κουφότητα παντελῶς εὐκινήτους ὑπάρχειν . . οἱ μὲν πρότερον ἀπὸ τῶν ἀσπίδων ὁπλῖται καλούμενοι, τότε δὲ ἀπὸ τῆς πέλτης πελτασταὶ μετωνομάσθησαν. Ἐπὶ δὲ τοῦ δόρατος καὶ τοῦ ξίφους εἰς τοὐναντίον τὴν μετάθεσιν ἐποιήσατο· ηὔξησε γὰρ τὰ μὲν δόρατα ἡμιολίῳ μεγέθει, τὰ δὲ ξίφη σχεδὸν διπλάσια κετεσκεύασε.*

Dici oportuit: *hastarum modum sesquiplicem, gladiorum fere duplicem fecit.* Discrepantiam ignorantiæ vocab. *ἡμιόλιος* tribuo.

1, 4. *Idem genus loricarum et pro sertis atque æneis linteas dedit.*

Diodor. l. c. *Τάς τε ὑποδέσεις τοῖς στρατιώταις εὐλύτους καὶ κούφας ἐποίησε, τὰς μέχρι τοῦ νῦν Ἰφικρατίδας ἀπ' ἐκείνου καλουμένας.*

Quod ait *genus loricarum*, ab ipso nuncupatum genus quoddam, idque Iphicratidum nomine usque ad Diodori tempora insignitum, innuere videtur. Nam non solum multa *meliora fecit*, sed etiam *nova attulit* in re militari (§. 2). Proinde sive invitis libris scriptis cum Aldo et plerisque editoribus *mutavit* post *loricarum* inserimus, sive cum Rothio *item* pro *idem* conjiciente superius *mutavit* quasi bis positum intelligimus, dubito, an *genus loricarum* dixerit; simpliciter potius diceretur

loricas mutasse. Sed *dedit genus loric.*, scilicet novum genus Iphicratidarum, quæ quidem calceamenta (*κρηπῖδες*) fuere (Bibl. Coislin. p. 490 Jungerman. ad Polluc. VII, 89), a nostro vero pro loricis perperam accepta esse videntur. Quod vero de linteis additur, bifariam explicari potest: aut ad ipsas Iphicratidas pertinet, copula *et* pro *et quidem* posita, qua ratione arbitrariam interpretationem haberemus Diodori verborum, solutu faciles ac leves fuisse; aut duas loricas intelligi vult, unum genus improprie ita dictum et ab Iphicrate nuncupatum, alterum proprie dictum et ita immutatum, ut pro sertis atque æneis linteæ fierent. Quodsi posterior ratio arridet, origo confusionis calceamentorum et loricarum magis apparet. Cæteroquin notitia et usus loricarum lintearum Iphicrate multo antiquior fuit, ut ex Homero Il. II, 529. 830 liquet.

C. 2. Iph. res gestas et tempore confundit, et nimium celebrat, et commentis corrumpit, et ita jejune compilat, ut quid sibi velit, lateat, nisi consulueris aliorum scripta. Bellum cum Thracibus gestum Corinthio quadriennio posterius fuit et post ea, quæ §. 3 relata sunt, collocari oportuit. Ad Corinthum enim cum adolescens, ut diximus, munus imperatorium auspicatus inde revertisset, cum octo navibus et MCC peditibus, quorum plerique Corinthi dicto audientes ei fuerant, in Chersonesum Thracicam missus est (Xenoph. Hell. IV, 8, 34). — Mora i. e. cohors Lacedæmoniorum, quæ militum erat D secundum Ephorum et Diodor. XV, 32, vel DCC secundum Callisthenem, vel DCCCC secundum Polybium (Plut. Pelop. 17), non tota est cæsa, sed in pugna et fuga circiter CCL ceciderunt, ut accuratissime narravit Xenoph. Hell. IV, 6 17. Cujus rei, licet oratoribus Demostheni, Aeschini et Dinarcho sit celebrata, laudem exaggerat noster historicus. Nec hac re contentus, aliam commentus est, Iph. *eodem bello omnes copias eorum fugasse*: quæ si vera esset, ea Xenophontem nec latuisset, nec ab eo prætermissa esset. — Exercitus adversus Acorim, regem Aegypti, conducti numerus non fuit XII millium, sed XX, si Diodoro XV, 41 fides. In collectaneis suis noster numerum XII millium ad §. 5 notasse et temere præcepisse videtur: tot enim habuit milites, *subsidio Lacedæmoniis* adversus Thebanos *profectus*, auctore Diodoro XV, 63. — Denique contra historiæ fidem noster 2, 5 Iphicrati tribuit, quod Agesilai meritum fuit, de quo ipse XVII, 6, 1 testatur, *nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse.* Item Plutarch. in Agesilao 33: *τοῦ δὲ σωθῆναι τὴν Σπάρτην τότε, πάντες αἴτιον ὁμολογοῦσι γενέσθαι τὸν Ἀγησίλαον.* Iphicrates vero, tantum abest, ut *Epaminondæ retardaverit inceptus*, ut nulla re memorabili gesta, in Atticam se reciperet,

quemadmodum Diodorus XV, 65 refert, atque ego modo e Xenophonte docui. Nam quod Demosthenes in or. de Megalopolit. p. 219 et de Corona p. 276 Lacedæmonios post Leuctricam pugnam ad incitas redactos ab Atheniensibus servatos esse jactat, id gloriabundi censendum est oratoris.

3, 2. Amyntas quidem ex Eurydice tres filios sustulerat: Alexandrum, Perdiccam et Philippum, Alexandri M. patrem, filiamque Euryonen (Justin. VII, 4, 5). Sed Alexander maximus natu *fuit*, et Eurydice minores pueros Iphicratis fidei tradidit, eumque *adversus* Amphipolim tum bellantem in subsidium sibi arcessivit (Aeschines de falsa legat. c. 8 p. 211 ed. Reisk.).

3, 3. Valde dubito, an Iph. judicio absolutus sit: imo in hac quoque re patronum habuisse videtur et nostrum scriptorem *et* Polyænum III, 29, qui quidem pariter narrat, Iph. *proditionis reum*, quod ad Embata prœlium navale non iniisset, territis judicibus stricto gladio et barbaro comitatu, absolutum esse: sed *simul cum Timotheo caussam dixisse* Iph. ait noster, a quo utroque se destitutum in Hellesponto per literas Chares apud Athenienses questus erat, auctore Diodoro XVI, 21. Timotheus vero secundum nostrum ipsum XIII, 3, 5 *judicio damnatus* est; quare cum Iphicratis eadem conditio fuerit, multo verius esse videtur id, quod Diodorus l. c. docet, utrumque multis talentis multatum et ab imperio remotum esse.

Chabriæ vitam jejune ex *Theopompo* compilatam esse, recte judicavit Fr. Aug. Wolfius ad Demosth. Leptin. p. 291, illiusque fragmentum cum iis, quæ in nostri c. 3 legimus, comparabimus. Nihil novi exhibetur; id quod maxime illustre fuit Chabriæ, prima post bellum Peloponnesium victoria navalis Atheniensium ad Naxum adversus Pollim Lacedæmonium Ol. 100. 4 reportata (Diodor. XV, 34 sq. Plut. Phocion. 6), plane omittitur; licet Demosthenes de contribut. p. 185 eam Chabriæ propriam non minus nuncupet, quam Miltiadi Marathoniam, Themistocli Salaminiam, Timotheo Corcyræ expugnationem, Iphicrati moræ internecionem.

1, 2. Corruptus locus participium post *Agesilaum* poscere videtur: *frustratus* igitur, quod ob simile *fugatis* facile excidit, inserendum esse duco. Nihilominus rem male narratam esse puto. Namque si Diodoro XV, 32 fides, Agesilaus nullas catervas fugaverat, Chabrias autem ipsarum conducticiarum (*μισθοφόρων*) copiarum dux fuit, easque, clipeis ad genua dimissis, projectis lanceis, per contemtum hostes sustinere jussit. Noster Diodori verba τὰς ἀσπίδας πρὸς

τὸ γόνυ κλῖναι, seu Polyæni II, 2 τὰς ἀσπίδας πρὸς γόνυ προσερείσασθαι male assecutus ita interpretatus est, ac si genibus flexis in scutis subsederint. Ex quo factum est, ut pugilum statuæ in mentem ei venirent: non enim significare voluisse videtur, gladiatores eodem statu, quo victoriam adepti essent, usos esse, ut habent vulgares editiones; cur id a Chabria disci oportuit, quod rei natura ferebat? Imo statum maxime Chabriæ imitatos esse dicere voluit, ut libri scripti recte habent: *his stantibus statuis pon. ut.*, *cum;* voce *ceteri* autem non *omnes*, sed id genus alii artifices scenici intelligendi sunt.

1, 3. *ut illo statu Ch. sibi statuam fieri voluerit, quæ publice ei ab Ath. in foro constituta est.*	Diod. XV, 33. τὰς εἰκόνας τὰς ὑπὸ τοῦ δήμου δοθείσας αὐτῷ καθίσταυεν ἐχούσας τοῦτο τὸ σχῆμα.

C. 2. Mira temporum et rerum confusio inest. Bis sua sponte Chabrias Aegyptiorum reges adjuvit: primo Olymp. 100 anno quarto Acorim adversus Persas; quo tempore Pharnabazo criminante Athenienses Chabriam revocarunt et Iphicratem Pharnabazo adjutorem dederunt (Diodor. XV, 29). Quindecim annis post Chabrias a Tacho rege contra Artaxerxem auxilio vocatus in Aegyptum rediit, ipse classi præfuit, mercenariis peditibus Agesilaus. Cum vero in Phœnicia Tachus castra haberet, Nectanebus, ejus frater patruelis, regnum usurpavit, ad quem Agesilaus se adjunxit. Confirmato ei imperio, rex Lacedæmoniorum magnificis muneribus honoratus est (Xenoph. Ag. 2, 28 Plut. Agesil. 36 sqq. Diodor. XV, 92 sq. ib. Wesseling.). Noster quod posterius gestum est de *regno Nectanebo constituto*, primo loco §. 1 ponit; deinde §. 2 de Cypria expeditione agit, quæ circiter Ol. 98. 1 evenit, XXVI annis ante auxilium Nectanebo præstitum. Docent Chabriam subsidio Euagoræ missum Xenophon Hell. V, 1, 10 et Lysias pro Aristoph. bonis c. 6. Sed bellum cum Artaxerxe hoc pacto compositum est, ut Euagoras solius Salaminis regnum retineret et annuum vectigal persolveret (Diod. XV, 9). Noster cum dicat *totam insulam bello devictam esse*, confundere videtur, quod Ol. 107. 2 demum accidit, quo tempore Phocion Atheniensis et Euagoras, superioris Euagoræ filius, cum exercitu Persarum Cyprum subegerunt (Diod. XVI, 42. 46). Ad Ol. 100. 4 referri oportet, quod noster 1, 2 de novo pugnæ genere adversus Agesilaum refert. Pergit 2, 3 ad principium Aegyptii belli Ol. 104. 3, cum Chabrias et Agesilaus Tacho auxilium ferrent (XVII, 8, 2); sed male et obscure addit, Agesilaum *ab Aegyptiis*, a quorum partibus stabat, *magnas prædas fecisse.* Aut illud intelligi vult, Mendesium quendam,

qui cum Aegyptiorum manu Nectanebo bellum intulit, ab Agesilao devictum esse (Plut. Ages.), aut magnos quæstus fecisse et dona nactum esse. Posterior interpretatio Bremii, licet locutio ambiguitate vitiosa sit, videtur præferenda, cum ob sequentia, ubi hæ prædæ Chabriam ad proficiscendum impulisse significantur, tum quod *præda* de quovis lucro Horatio Sat. II, 3, 68 Tibullo II, 6, 17 et Plinio N. H. 26, 1, licet minus ambigue, usurpatur. — Denique quod 3, 1 de revocato Chabria ait, ad superius bellum Ol. 100. 4. Acori regnante gestum pertinet; et quod *non diutius Athenis eum moratum esse* scribit, *quam fuerit necesse*, iterum eum exiisse in Aegyptum ad Tachum, apud Theopompum invenisse, sed perverse commemorasse videtur.

3, 2. *Non libenter erat ante oculos suorum civium, quod et vivebat laute et indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam vulgi posset effugere. Est enim hoc commune vitium etc. Itaque Chabrias . . plurimum aberat . . omnes fere principes fecerunt idem . . Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Threcia, Timotheus Lesbo, Chares Sygæo.*

Theopompus Philippicor. *l.* XIII apud Athen. XII, p. 532 b. *Οὐ δυνάμενος δὲ ζῆν ἐν τῇ πόλει τὰ μὲν διὰ τὴν ἀσέλγειαν καὶ διὰ τὴν πολυτέλειαν τὴν αὑτοῦ τὴν περὶ τὸν βίον, τὰ δὲ διὰ τοὺς Ἀθηναίους· ἅπασι γάρ εἰσι χαλεποί· διὸ καὶ εἵλοντο αὐτῶν οἱ ἔνδοξοι ἔξω τῆς πόλεως καταβιοῦν, Ἰφικράτης μὲν ἐν Θρᾴκῃ, Κόνων δ' ἐν Κύπρῳ, Τιμόθεος δ' ἐν Λέσβῳ, Χάρης δ' ἐν Σιγείῳ, καὶ αὐτὸς ὁ Χαβρίας ἐν Αἰγύπτῳ.*

Maledicentius quam verius judicatur, præsertim cum *noster* aliter ac Theopompus *omnes fere principes* maluisse exulare quam Athenis degere dicat.

3, 5. Chares Theopompo quoque l. c. est *νωθρὸς καὶ βραδὺς, καίτοιγε καὶ πρὸς τρυφὴν ἤδη ζῶν.*

4, 1. Cum Plutarchus Phoc. c. 6 Chabriam reprehendat, quod imperatorii muneris oblitus periculis temere se objectaverit, noster consilio purgandi historiæ fidem pervertens, *privatum* Chabriam in bello sociali fecisse videtur (Ol. 105. 3), cum Diodorus XVI, 7 quoque eum classi, Charetem terrestribus copiis præfuisse referat. Idque inepte exponit: *eum magis milites, quam qui præessent, adspexisse, eam rem ei maturasse mortem, ceteras enim naves eum non secutas esse.*

4, 2. *navis rostro percussa cœpit sidere . . At ille præstare ho-*

Diodor. XVI, 7. *Ὁ δὲ Χαβρίας προςπλεύσας τῷ λιμένι ναυμα-*

nestam mortem existimans turpi vitæ, cominus pugnans telis hostium interfectus est.	χίαν καρτερὰν συνεστήσατο, καὶ τῆς νεὼς τοῖς ἐμβόλοις ἀναῤῥαγείσης, κατεπονεῖτο. Οἱ μὲν οὖν ἐπὶ τῶν ἄλλων νεῶν εἴξαντες τῷ καιρῷ διεσώθησαν· ὁ δ᾽ ἀντὶ τῆς ἥττης ἀλλαξάμενος τὸν εὐκλεᾶ θάνατον, ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ τῆς νεὼς καὶ τρωθεὶς ἐτελεύτησε.

In *Timothei* vita plura insunt, quæ aliunde non constant et Theopompo deberi videntur.

Ejus vero res gestas ita exponit, ut quas terra quasque mari gesserit, separet ideoque tempora confundat. *Corcyram* subegit et Lacedæmoniorum classem ad Leucadem fugavit Ol. 101 anno primo (Diod. XV, 36 cf. Demosth. περὶ συντάξ. T. I p. 185 ed. Schæfer.), *Cyzicum obsidione liberavit* Ol. 104. 1 (Diod. XV, 81): noster hoc 1, 2, illud 2, 1 refert. — Samum a Timotheo oppugnatam esse refert Plut. quoque Pelop. 2. Sed prius Ariobarzani auxilio profectus erat, quem cum a rege defecisse vidisse, Samum perrexit, sed non ut *caperet*, imo ut a præsidio regio, quod Tigranes præfectus duce Cyprothemide imposuerat, liberaret (Demosth. de Rhodior. libert. p. 206 ed. Schæf.). — Olynthum Tim. adjuvantibus Macedonibus subegit (Dem. Olynth. II. p. 24 sq.).

2, 2. De victoria ad Leucadem Xenophon. Hell. V, 4, 65, qui eam ab oppido Alyzia nominat, minus magnifice judicat. Timotheus enim navium quidem numero Lacedæmonios anteibat, sed Nicolochus, dux Spartanus, paullo post pugnam ad Alyziam, Timotheo iterum pugnandi occasione frustra data, ibidem tropæum posuit, atque Lacedæmonii Atheniensibus pacem petentibus negarunt et Corcyram oppugnarunt: quo bello gesto, Timotheus magistratu remotus in ejusque locum Iphicrates suffectus est (Xenoph. Hell. V, 4, 66. VI, 2, 1. 3. 4. 13). At Demosthenes or. adv. Philipp. III p. 125 nostro quodammodo suffragari videtur, cum dicat Athenienses LXXIII annos (scilicet ab Aristide usque ad finem belli Peloponnes., ab Ol. 75. 4 usque ad Ol. 94. 1), Lacedæmonios XXIX annos (ab Ol. 94. 1 usque ad Ol. 101. 2) præsides (προστάτας) Græcorum fuisse, pugna vero ad Leucadem ad Ol. 101. 1 referri soleat. Diodorus XV, 38 quoque pacem inter Græcos, exclusis Thebanis, suadente Artaxerxe compositam ad Ol. 101. 2 refert, cujus leges fuisse ait, ut Lacedæmonii principatum terrestrem, Athenienses maritimum obtinerent. Idem tamen

parum sibi constat, quod XV, 47 Athenienses Ol. 101. 3 Timotheum Corcyræis contra Lacedæmonios subsidio misisse ait, et XV, 51 negat Ol. 102. 2 ulli civitati licitum esse Thebanis suppetias ferre, quod pax omnium consensu excepta et constituta esset; item XV, 50 eandem rem ad Ol. 102. 1 repetit, Spartanos prœlio victos imperio excidisse, et instigante Artaxerxe bella composita esse exclusis Thebanis. Itaque potior videtur ratio Plutarchi, qui accuratissime in *Agesil.* 28 tradit, viginti tantum diebus ante Leuctricam pugnam (Ol. 102. 2) pacem Lacedæmone, *quo omnium sociorum convenerant legati* (noster XV, 6, 4), factam esse. Ergo non tam pugna ad Leucadem quinquennio ante commissa, quam complures calamitates mari et terra, imprimis clades ad Tegyras in Bœotia nuper accepta, *effecerunt*, ut *Lacedæmonii de diutina contentione desisterent* (Plut. Ages. 27 Pelop. 20). — Porro errat, quod *tum primum aras Paci esse factas* dicit: id quod jam Ol. 77. 3 victoria ad Eurymedontem reportata et celebratissima illa pace cum Persis composita evenisse ferunt (Plutarch. Cim. 13).

C. 3. In bello sociali plura mendose relata sunt, ut e Diodoro XVI, 21 liquet. Primum enim *Samus* non *defecerat*, sed Chii, Rhodii, Coi et Byzantii Atheniensibus bellum intulerunt Samumque obsederunt. Deinde Timotheus nondum *magistratus gerere desiit*, sed una cum Iphicrate et Charete classi præfuit, quare clade accepta, una cum Iphicrate caussam dixit. Postremum non *Samum* capturi erant, sed Byzantium obsidere in animo habebant, et in *Hellesponto* Chares, tempestate exorta, repugnantibus collegis, male rem gessit. Menestheus contra Macedones cum C navibus ad Tenedum missus est (Demosth. de fœd. Alex. p. 232).

4, 4. Si *post obitum Iphicratis*, *Chabriæ et Timothei nullus dux Athenis fuit dignus memoria*, non intelligo, qui Phocionis vitam adjungere potuerit, ut recte Wetzelius monuit.

De *Datame* supra p. XLIII sqq. monuimus.

Epaminondæ res *Theopompus* et *Ephorus*, quos alioquin noster sequitur, pariter persecuti esse videntur: uterque enim de Leuctrica pugna exposuit (Athenæus p. 605. Plut. de garrulit. 22), et Ephorus non minus quam noster 10, 4 retulit, post obitum Epaminondæ Thebanos principatum amisisse (Strabo IX p. 614). Præterea noster *Plutarchi* Epaminondam jam non superstitem in usum suum con-

vertere potuit. *Complures scriptores* quidem de viris illustribus nostro 4, 6 innotuerunt, sed num aliquis in usum ab eo vocatus sit, non constat. Hieronymo in præf. ad libr. de scriptoribus ecclesiast. memorantur *apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, et longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus; apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos et Tranquillus.* Addo *Amphicratem*, cujus commentarium de viris illustribus excitat Athenæus L. XIII, et *Clearchum Solensem*, qui item *περὶ βίων* scripsit (Athenæus p. 590 C). De Satyro cf. p. CVII.

2, 1. De *genere honesto* Epam. consentiunt Cicero Tusc. Qu. et Plut. Pelop. 3, Aelianus contra V. H. XII, 23 Polymnim fuisse obscurum scribit. — Eidem *πενίαν* fuisse *πατρῴαν* scribit Plut. ib.

C. 6. De conventu Arcadum v. Plut. Apophth. p. 193 et Demosth. or. de Megalopolit. p. 219. De conventu sociorum Spartæ supra ad XIII, 2, 2 monui.

7, 1. Non *locorum angustiis clausi* sunt Thebani, sed per campestria *(διὰ χώρας πεδιάδος)* iter facientes, ab equitatu Alexandri Pheræi (hic enim fuit hostis) vexati sunt (Diod. XV, 71 Pausan. IX, 15, 9 *ἐν δυςχωρίαις λοχήσας ὁ Ἀλέξ.).* Iterum temporis ordinem confundit; nam res in Thessalia anno post gesta est, quam in Peloponnesum exercitum duxit (Diodor. XV, 62. 71), et propterea quod diutius quam lege præfinitum erat, imperium retinuerat, adversus Alexandrum Thessalum privatus numero militis in exercitu fuit.

7, 3. Unum Pelopidam collegam habuit Epam. in expeditione in Peloponnesum facta, ceteris bœotarchis ultro concedentibus (Diod. XV, 62 Plut. Pelop. 24). Fuerunt enim quotannis duodeni bœotarchæ auctore Livio 42, 43, quocum Thucydides IV, 91, licet obscurius, consentire videtur. — Pariter errat in eo, quod ait *populiscito imperium* Epaminondæ collegisque *esse abrogatum*, utpote qui *in invidiam venissent;* idem tamen S. 5 ait, *legi*, quæ certum tempus imperii præfiniebat, non obtemperatum esse, ut rei gerendæ occasione uterentur. Sane ubi Ep. et Pelopidas Peloponnesum invaserunt, ultimi mensis pauci reliqui fuerunt dies, ac mox ineunte primo mense successuri alii, morte indicta iis, qui magistratu non abirent, ut memoriæ prodidit Plut. Pelop. 24, consentiente Pausania IX, 14, 2. Lege igitur, non invidia imperium deponi oportuit, quod per quatuor menses sibi prorogaverunt (Plut. Pel. 25). Cum nostro tamen facit Appianus in Syriacis c. 41, Epam., Pelopidam aliumque collegam in summo magistratu fuisse, et priusquam ea, quæ instituerant, perfecissent, ob calumnias in patriam revocatos *(ἐπὶ διαβολῇ μετεκάλουν)* sex mensibus diutius in imperio mansisse. Uterque

igitur communi fonte usus, noster vero de tempore prorogati magistratus meliores auctores secutus esse videtur.

8, 3. Displicet, quod victoriæ Leuctricæ, non istis quatuor mensibus, sed biennio ante reportatæ mentio injicitur. Melius Plut. in Apophthegm. et Aelianus V. H. XIII, 42 scribunt Epam. postulasse, ut columnæ inscriberetur, Thebanos a se adactos Laconicam D ante annis intactam vastare, Messenam constituere, Arcades in unum colligere et Græcis libertatem reddere. Appianus l. c. nos docere potest, qualis dux nostro præierit et quam depravatus sit. In eo consentit, duos collegas in Epam. culpam transtulisse, quibus absolutis, hunc confessum id unum petiisse, ut suo sepulchro inscriberetur: „hic est, qui ad Leuctra vicit, et cives suos, quibus vel adspectus Lacedæmoniorum terribilis fuerat, sub ipsa Spartæ mœnia duxit. *Hic a* patria morte multatus est, *παρανομήσας ἐπὶ συμφέροντι τῆς πατρίδος.*“ A criticis quoque in usum vocari debuit hic locus, qui cum alias cum nostro concinat, Aldi scripturam *in sepulchro* pro *in periculo* confirmare videtur.

10, 1. Dubium est, an *uxorem Ep. nunquam duxerit.* Plutarchus quidem perhibet in Pelop. c. 3, illum prima ætate cælibem vitam instituisse *(μονότροπον βίον ἀπ᾽ ἀρχῆς ἑλόμενος)*; sed *non* modo Polyænus II, 2 uxorem commemorat, verum etiam Ctesiphon in tertio Bœotiacorum (apud Plut. Parallel. p. 228 Vol. 7 Opp. ed. Lips.) filium ejus Stesimbrotum perhibet. Neque vero quisquam conjiciet, hunc filium spurium fuisse, reputans facete dicta 5, 5. *10, 1.* Cæteroquin dubiæ fidei est, quod Ep. Pelopidæ dixisse de pugna Leuctrica fertur. Nam Diodorus XV, 87 eum moribundum simile quidpiam dicentem inducit, conquerenti cuidam, quod *sine liberis* mortem oppeteret, illum respondisse: imo filias duas, victorias Leuctricam et Mantineensem, se relinquere. — Claudit vitam narratiuncula, quæ tempore ceteras res gestas præcessit, eamque male infert, quoniam Ep. nescius facinoris exulum auxilio esse non potuit; sed simulac fama exierat, polemarchos esse interfectos, armatus cum manu ad Pelopidam accurrit; in Cadmea tamen pugnatum esse non videtur (Plut. Pelop. 12).

In *Pelopidæ* vita nil novi reperimus, nisi forte quod in fine Pel. a Thessalis *statuis æneis liberique ejus multo agro donati esse* dicuntur. 1, 2. Phœbidam Thebarum arcem *suo privato, non publico, consilio* occupasse rectius ait noster, quam Diodorus XV, 20, qui clam id a Spartanis mandatum esse vult. Imo a Leontiade, duce

Thebano, inductus et in Cadmeam immissus est Phœbidas. Quod cum ephori comperissent, ægre ferentes Phœbidam quidem pecunia multarunt, Cadmeam autem Agesilao suadente in sua potestate retinuerunt. (Xenoph. Hell. V, 2, 25 Plut. in Pelop. 5 in Agesil. 23 de genio Socr. p. 275 Vol. VIII ed. Lips.)

C. 2. A tenui initio magna esse perpetrata et majora consecuta, duodecim adolescentulos coiisse, cum canibus venaticis Athenis exiisse, Archiam ebrium ab Archia hierophante de profectione exsulum certiorem factum tabellario dixisse: *οὐκοῦν εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα*, constat e Plut. quoque Pelop. 8 sqq. Xenophon contra Hell. V, 4, 1 septem tantum exsules computat, quorum opera perculsa sit Lacedæmoniorum potentia. Neque vero centum, ut noster vult, sed duodequinquaginta socii in itinere cum exsulibus se conjunxerunt secundum Plut. Pel. 9 et de genio Socr. p. 348 Vol. 8. Deinde dubium est, an *Pelopidas dux* ceterorum fuerit, qui a Xenophonte l. c. ne nominatur quidem. Quamvis prolixe rem narraverit, ait tamen Mellonem exsulem cum Phyllida, scriba Archiæ, conspirasse et cum sex aliis, quorum nomina silet, ad facinus se accinxisse. Fatetur quoque Plut. 7, Pelopidam ex minimis natu unum fuisse, neque est, quod Xenophontem malignitatis accusemus, imo suspicari licet, Pelopidam ob posteriorem gloriam a rhetoribus nobilitatum et Mellonem contra obscuratum esse. Id quomodo paullatim factum sit, patet cum e verbis Plut. 8: *ὑφίσταται δὲ τὴν πρᾶξιν Πελοπίδας πρῶτος, εἶτα Μέλων καὶ Δαμοκλείδης καὶ Θεόπομπος*, tum e Diodoro XV, 81, qui Mellone jam prorsus præterito ait: *ὡμολογημένως ἅπαντες τούτῳ* (Pelopidæ) *τὸ πρωτεῖον τοῦ κατορθώματος ἀπονέμουσι.* Denique confudit noster cultum *venaticum* et *agrestem*: Athenis enim excesserunt *ἐν χλαμυδίοις, σκύλακάς τε θηρευτικὰς καὶ στάλικας ἔχοντες*, sed Thebas ingressi sunt, *ἐσθῆτας τὰς γεωργῶν μεταλαβόντες*, alii per alias portas, ut laterent (Plut. Pel. 8 sq.).

C. 3. Ut sæpius sententiæ interpositæ *sejunctæ a re proposita* sunt, ita hoc loco evenit. Nam Leontidas exsulibus jam Athenis insidias struxit unumque ex iis clam interfici jussit (Plut. 6). Cum vero incertus rumor sparsus esset, exsules in urbe occultari, Archias in ipso convivio vesperi Charonem accersivit, qui adjuvante Phyllida rem dissimulavit. Quod vero idem epistolam Athenis allatam pulvino subjecit, non tam *nimiæ fiduciæ*, quam ebrietati tribui oportuit (Plut. 9 sq.). — Secundum nostrum *vesperascente cœlo* conjurati *Thebas pervenerunt; cum jam nox processisset,* polemarchi *omnes vinolenti* ab iis *duce Pelopida sunt interfecti.* Sed Xenophon Hell. V, 4, 3 auctor est, eos noctu profectos, diem insequentem loco deserto ver-

satos, vesperi tanquam rure redeuntes Thebas intrasse, noctem et proximum diem in domo Charonis delituisse et nocte sequente demum cædem fecisse. Neque vero omnes uno duce in triclinio trucidati sunt. Sed Leontiades jam domum cubitum iverat, quem Phyllidas cum tribus exsulibus adiit et occidit (Xenoph. V, 4, 7). Secundum Plut. 11 Pelopidas cum Damoclida et Cephisodoro in Leontidæ et Hypatis ædes vicinas irrupit, Charon et Melon Archiam et Philippum epulantes aggressi sunt. — *Auctores Cadmeæ occupandæ* Archias, Leontidas ac Philippus fuerunt (Plut. Pel. 5 Ages. 23); male *igitur* noster ait, tanquam non iidem fuissent, illos *partim occisos, partim in exilium ejectos esse.* Haud scio, an male assecutus sit verba, quæ apud Plut. 14 de Atheniensibus contra eos, qui cum Bœotiis faciebant, tum sævientibus legimus: τοὺς μὲν ἀπέκτειναν, τοὺς δὲ ἐφυγάδευσαν, τοὺς δὲ χρήμασιν ἐζημίωσαν. Cæteroquin probo cod. Marc. 1, qui ante *Auctores* distinctionem majorem, licet alias omittere soleat, ponit.

C. 5. Tantum abest, ut *Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere*, ut civitates Thessaliæ bis contra Alexandrum tyrannum auxilium ducemque a Thebanis peterent. Pelopidas primum eo cum copiis profectus, Thessalis securitatem dedit, iterum cum Ismenia legatus missus, fraude in vincula conjectus est (Plut. Pel. 26 *sq.*). Noster male assecutus esse videtur brevitatem ducis sui, fortasse ad modum Diodori XV, 71 locuti, Pelopidam æmulum Epaminondæ, qui res in Peloponneso expediverit, item efficere studuisse, ut *quæ extra* Peloponnesum erant civitates, a Thebarum partibus starent (προςάγεσθαι τοῖς Θηβαίοις). Sane si voluisset injuste Thessalos subigere, hi mortuum non *coronis aureis et statuis æneis donassent*, ut noster sui immemor 5, 5 refert. — Tum non *tyrannos* Thessaliæ *expellere* decreverunt: nam etsi plures tyranni ibi exstitisse videntur (Demosth. adv. Philipp. II p. 77 ed. Schæfer.), uni tantum Alexandro bellum intulerunt, eumque eo adduxerunt, ut Pherarum dominatu contentus Thessaliam liberam relinqueret et cum Bœotiis societatem iniret (Diodor. XV, 80 Plut. Pel. 31). In eo discrepant Diodorus et Plutarchus, quod ille, ut noster, cum VII millibus militum Thebis profectum Pel. ait, hic vero, Pelopidam, exercitu ob solis defectum trepidante, cum parva manu Thessalis se ducem præbuisse, eoque interfecto, demum VII millia peditum et DCC equites ulciscendi gratia Thebis profectos (Plut. 31. 35).

In *Agesilao Theopompum*, ut alias, ducem habuisse videtur. Ter eum Plutarchus in Ages. vita excitat: primum c. 10 eum prodidisse ait, Ages. illustrissimum eorum fuisse, qui sua ætate vixerint (cf. nostrum 1, 1); deinde c. 31 eundem rationem descripsisse, qua Ages. Spartam adversus Epaminondam defenderit; tum c. 32 de reditu Bœotiorum eum tradidisse. Alia ejus loca de Ag. scripta debemus Athenæo p. 609, b. 616, d. 657, b. 676, d. 384, a. Præterea in usum suum convertit *Xenophontis* Agesilaum, cujus ipse ab initio mentionem fecit. Neque vero cum Lieberkühnio dixerim, nostri Agesilaum pæne totum e Xenophonte esse repetitum. Quatuor nonnisi locis eum manifesto secutus est: 4, 3 cf. cum Xenoph. 2, 16: *ἑλόμενος ἀντὶ τοῦ μέγιστος εἶναι ἐν τῇ Ἀσίᾳ, οἴκοι τὰ νόμιμα μὲν ἄρχειν, τὰ νόμιμα δὲ ἄρχεσθαι.* 4, 4 cf. Xen. 2, 1 *ἣν ἐνιαυσίαν ὁδὸν ὁ βάρβαρος ἐποιήσατο, ταύτην μεῖον ἢ ἐν μηνὶ κατήνυσεν ὁ Ἀγ.* (a se ipse discrepat noster II, 5, 3). 4, 7 sq. cf. Xen. 11, 1, cujus verba *ἱκέται θεῶν* nostro vindicanda videntur, ita ut cum Magio et duobus codd. (super linea) *supplicibus deorum* legatur, uti IV, 4, 5 *supplex dei.* Denique c. 5 noster suo modo reddidit Xen. 7, 5 sq. Cetera, quæ noster tradit, non Xenophon, sed omnia fere habet Plutarchus in vita Ag., ut 1, 2 de contentione cum Leotychide, 2, 2 de celeritate, qua in Asiam contendit, 3, 2 de hibernis, in quæ *Ephesum exercitum reduxit* (imo *vere* Ephesi exercitum collegisse Ag. ait Xenoph. 1, 25), 3, 6 Ag. *nunquam in campo sui fecisse potestatem*, 4, 1 Ag. *meditatum esse proficisci in Persas* (ita Plut. 15), de his rebus nil apud Xen. — 4, 6 *templum Minervæ* Itoniæ appellat quidem Plut. 19, sed Xen. 2, 13 loquitur tantum de fugitivis, qui templo (*ὑπὸ τῷ νεῷ*) subessent. 6, 2 de strategemate, 8, 2. 6 de nominibus Tachi et Nectanebi, de Ag. *vestitu humili in acta accubante*, 8, 4 de muneribus apportatis, de *vitulina* prælata, 8. 6 de *talentis CCXX donatis* silet Xen., disserit accurate Plut. 36 sqq. (qui tamen c. 40. CCXXX talenta memorat). Noster non refert, Ag. signis Tachi desertis ad Nectanebum transisse: quapropter Xen. 2, 30 eum excusare tentavit. Quæ de morte Ag. 8, 6 exhibet, credideris e Plut. 40 et Diod. XV, 93 exscripta esse; ille ita: *παρὰ τὴν Λιβύην εἰς χωρίον ἔρημον κομισθεὶς, ὃ καλοῦσι Μενελάου λιμένα, ἀποθνήσκει*, hic: *ἐπανιὼν . . διὰ Κυρήνης ἐτελεύτησε.* Extrema nostri ad verbum iis respondent, quæ apud Plut. 40 legimus: *οἱ παρόντες Σπαρτιᾶται κηρὸν ἐπιτήξαντες τῷ νεκρῷ, μέλιτος οὐ παρόντος, ἀπῆγον εἰς Λακεδαίμονα.* Diodorus l. c. contra melle circumlitum esse scribit pro more Lacedæmoniorum. — Transeamus, ad ea, quæ minus recte dicta videantur.

1, 4. Noster Leotychidem legitimum filium Agidis fuisse significat, cum Agesilaum patruum ejus et Lysandrum, quo suffragante Ages. antelatus est, factiosum hominem dicat. Habet quidem assentientem Pausaniam III, 8, 4: *τῷ Ἄγιδι κατά τινα οὐκ ἀγαθὸν δαίμονα ἐςῆλθεν ἐς ἐπήκοον τῶν ἐφόρων εἰπεῖν, ὡς οὐχ αὑτοῦ νομίζοι Λεωτυχίδην*, Agidem morientem natum agnovisse, controversia Delphos relata et oraculo ambiguo edito, Ages. Lysandro magnopere contendente prælatum esse. Sed proxime fidem accedit, quod narrat Plutarchus Ages. 3 Alcib. 23 Lys. 22, Timæa, Agidis uxor, *cum* ab Alcibiade stuprata Leotychidem peperisset, regem suam prolem esse eum negasse, morientem vero precibus Leotychidis amicorumque inductum esse, ut coram multis eum suum appellaret. Huic rei fidem faciunt cum tempus partus, quoniam Agis terræ motu exterritus e thalamo uxoris discessit et per decem menses ab ejus consuetudine se abstinuit, tum ipsa mater, quæ auctore Duride Samio (apud Plut.) puerulum foris Leotychidem, intus cum ancillis Alcibiadem appellare consuevit, tum pater Alcibiades, qui non libidinis causa factum esse prædicabat, sed ut sua progenies apud Lacedæmonios regnaret. Eo facilius Agis postea natum agnoscere potuit, quod Lycurgi institutis vir partum uxoris, se permittente a probo juvene gravidatæ, sibi vindicare consuevit (Plut. Lycurg. 15).

C. 5. Suo more tempora confundit. Nam illa victoria ad Corinthum, in qua post prœlium ad Coroneam *X millia hostium Agesilao duce cecidisse* ait, ante accidit, cum Agesilaus procul abesset: quo factum est, ut Xenophon Ages. 7, 5 et Plutarchus Ages. 16 illam non in numero rerum gestarum, sed dictorum ejus ponerent. Lieberkühnius quidem p. 170 dissensum ita conciliare studuit, ut Agesilaum ducem esse et tamen per nuntium numerum interfectorum, quos non ipse numeraret, comperire potuisse censeret. Diceret aliquid, si nobis persuadere vellet, nostrum ita Xenophontem interpretatum esse: in quo vehementer erravit. Nam Aristodemo duce illic pugnatum est, et Agesilao modo ex Asia redeunti, priusquam in Bœotiam ingrederetur, rem Dercyllidas nuntiavit Amphipoli Macedoniæ obvius, ut diserte Xenophon Hell. IV, 2, 9. 3, 1 memoriæ prodidit: qui locus nos docet, nostrum, neglectis historiis Græcis hujus scriptoris, tantum Agesilaum ejus obiter consuluisse. — *Calamitas ad Leuctra*, quam particula *interim* 6, 1 male infert, XXIII annis post victoriam ad Corinthum accidit.

6, 1. Exire utique voluit adversus Bœotios bellatum, Cadmea ab exsulibus recuperata. Primo quidem propter ætatem vacatione militiæ usus *exire noluit*, ideoque Cleombrotus rex profectus est (Plut.

Ages. 24). Quem cum minus alacriter bellum gerere videret, ipse in Bœotiam irrupit et vulnera accepit (Plut. Ag. 26 Pelop. 15), ibique Chabriæ occurrit, uti noster ipse XII, 1, 2 scripsit. Sed Thebis Megara contendens altero pede, qui sanus fuerat, cum altero claudus esset, tam vehementer laboravit, ut Lacedæmonem transportatus diu ægrotaret et ad militiam invalidus esset: quo ipso tempore complures calamitates Spartanis terra marique acciderunt (Plut. Ag. 27). — Improbandum quoque, quod Epaminondas Spartam muris non cinctam *oppugnasse* dicitur: qui semel quidem in urbem impetu facto, cum Spartanos ad decernendum frustra provocasset, ad Laconiam depopulandam revertit (Diodor. XV, 65 Plut. Ag. 32 Pausan. IX, 14, 2).

6, 2. Si fides habenda Plut. Ag. 32 et Polyæno II, 14, Ages. non *laudavit consilium eorum*, qui secessionem fecerant, *quod eum locum occupassent*, neque iis quemquam *de suis comitibus adjunxit;* sed inermis cum unico servo eo venit, eosque, quasi imperata male percepissent, non illuc nec unum in locum omnes, sed alios alio convenire jussit. Illi latere se arbitrati, dicto audientes fuerunt; ipse vero accitis aliis locum occupavit, et conjuratorum quindecim comprehensos noctu interfecit.

7, 4. Liberius quam par est Xenophontem Ag. 8, 7 expressit, qui ait fores domus Ag. easdem esse *videri (εἰκάσειε ἄν τις)*, quas *Aristodemus* Heraclida regno Spartæ recuperato struxerit: id quod Plut. Ag. 19 reddidit. Cæterum hæc temperantia non magis Ages. quam Lycurgo tribuenda est, qui ædium fastigium alio instrumento ac securi et fores alio ac serra fabricari vetuit (Plut. Lyc. 13).

In *Eumenis* vita a Theopompo destitutus, *Plutarchum* potissimum, qui ejusdem vitam composuit, collato *Diodoro*, secutus esse videtur. Nam eadem fere, quæ in nostro, in utroque legimus, eademque serie omnia a nostro et Plutarcho concinnantur, res leviores, ut colloquium cum Onomarcho, non minus a nostro c. 11 quam a Plut. 18 fideliter exprimuntur. Neque vero est, quod cum Wichersio p. 79, Hisely p. 102 et Lieberkühnio p. 171 de Hieronymo Cardiano, qui περὶ τῶν διαδόχων ἱστορίας (Diod. XVIII, 42) scripsit, tanquam communi fonte et Plut. et nostri, somniemur. Nam in multitudine scriptorum, in quibus e. g. Agatharchides Cnidius quoque τὰς τῶν διαδόχων πράξεις composuit (Joseph. Jud. XII, 1, 2), ne Heerenio quidem (de font. Plut. p. 69) dandum est, Hieronymum præ aliis ducem Plutarchi fuisse, qui in Eumene ad neminem nisi ad Durim

(c. 1) et ad ipsius Eumenis epistolas (c. 11) provocavit. Tum similitudo, quæ inter Plut. et nostri Eumenem intercedit, ejusmodi *est*, ut, si ex auctore communi explicare velis, Plutarchus præter consuetudinem unum maxime scriptorem secutus eumque tanquam plagiarius, nomine suppresso, exscripsisse censendus sit.

Loca proferamus, in quibus Diodorum aliosve adhibuisse *veri* simile est. Quod 4, 3 de simulata deditione peditum Crateri, *post* ad Antipatrum se recipientium, scribit, non Plut., sed Diod. XVIII, 32 habet. Item 5, 3 Eum. *multos suos amisisse*, antequam in *castellum* confugeret, a Diod. ib. 40 refertur, qui ad VIII millia cecidisse ait: nam secundum Plut. 10 ipse suos abire jussit. Quod c. 6, præcipue de prudenti consilio Olympiadi dato ait, respondet Diodoro XVIII, 58: c. 7 et Plutarcho 13 et Diodoro 50: c. 8 *sq*. Diodoro XIX, 28—38, qui diserte c. 38 cum nostro 9, 3 *convenit*, *pro consuetudine* castrorum prima nocte ignes quam maximos factos, secunda et tertia vigilia minui cœptos esse. Ut noster 8, 7: *iter quod habebat, omnis celat* (sic enim opinor scribendum), ita Diod. 37, Antigonum, fama divulgata, se in Armeniam moturum, præter exspectationem per deserta contendisse.

Ea, quæ aliunde facile fuit compilare, hæcce sunt. C. 1, 6 *et* 13, 1 ab anno ætatis vicesimo annos VII, quos Philippo, XIII, quos Alexandro apparuerit, computat, et annos XLV natum Eumenem *e* vita excessisse tradit, secutus fortasse Chronica Nepotis, quæ ad manum habuit. Quamquam aut Bosii rationem argutiorem amplecti deberemus, qui hinc et illinc annum detrahit, ut ætatem XLV annorum et VI mensium efficiat, aut calculum inepte repetitum in censuram vocari oportet. Supervixit enim Alexandro Eum. *annos* VIII: ergo aut XLVIII annos natus obiit, aut ab anno decimo septimo in aulam Philippi pervenit. Nec veri simile est, *peradolescentulum* statim *scribae* regii munere functum esse, ut noster vult; rectius Plut. 1 ait eum post mortem Philippi apud Alexandrum hunc locum (*ἀρχιγραμματεύς*) obtinuisse. Neque tamen XIII annos integros, si accurati esse volumus: namque regnavit Alexander XII annos VII menses secundum Diodor. XVII, 117, XII annos VIII menses secundum Arrian. de exped. Alex. VII, 28. — C. 2, 2 de annulo Perdiccæ dato res est pervulgata, cujus etiam Diod. XVII, 117 facit mentionem: noster dupliciter interpretatur ita: *ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commisisse, vel commendasse, quoad liberi ejus in suam tutelam pervenissent.* Gebhardus posterius *commendasse*. Bosius alterum *commisisse* glossema esse male judicarunt: imo vel regnum *committendo* Alexander Perdiccam successorem designavit

(cf. VI, 1, 5 summum imperium al. committere), vel *commendando* tutorem liberorum suorum fecit. — C. 4, 4, Plut. 7 quidem scribit, Eum. fatum Crateri semivivi commiseratum esse, unde haud scio an noster *amplum funus* fecerit, *ossaque uxori ac liberis remissa esse* dixerit, quemadmodum Antigonum in Eumenis funere fecisse perhibent Plut. 19 et noster 13, 4. — C. 8, 7 de *utribus* et *culleis comparatis* nihil habent Diod. et Plut., sed Polyænus IV, 6, 11: *προςέταξε δὴ ῥάψασθαι μυρίους ἀσκοὺς καὶ πλῆσαι τούτους ὕδατος, καὶ σιτία δέκα ἡμερῶν πέψαντας* (ita cum Casaubono legendum) *ἔχειν*. Diodor. XIX, 37 *δέχ᾽ ἡμερῶν ἄπυρα σιτία* habet, quæ quidem monente Wesselingio non sunt cibaria *cocta*, sed quibus, ut edantur, igne non est opus. — C. 10, 2 exercitum Eum. *ter* fidem jurasse, non alibi invenitur, nisi quod Justin. XIV, 4, 3 Eum. inducit expostulantem: *quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis*. — C. 11, 2, quod Plut. 18 simpliciter perhibet Antigonum veniam dedisse, ut amicorum quicunque vellet, Eum. conveniret, noster fortasse ex suo ingenio de duobus generibus hominum, qui ad eum venerint, prolixius narrat. Tum locus 11, 5 de *figura* Eum. præcedentibus male cohærens, nostro proprius, utique suspectus est.

Restat, ut ea in medium proferamus, in quibus fides et diligentia desideratur. C. 1, 3 suspicetur quispiam, nostrum, qui Eum. *domestico summo genere* esse vult, eum cum altero, filio Attali regis Pergami confudisse, æque ac Suidam, observante Reinesio Var. III, 2. Duris enim apud Plut. 1 scriptum reliquit, Eum. patrem in Chersoneso propter rei familiaris angustias ex vehiculis victum quæritasse, et Aelianus V. H. XII, 43, 8 prodidit, patrem ejus in funeribus canere solitum esse (*τυμβαύλης*). Verum idem Plut. 1 ait, Eum. adolescentem ob paternam familiaritatem a Philippo rege esse susceptum: unde fieri potuit, ut domi nobilis vel esset, vel a nostro crederetur. — C. 2, 5 Eum. Leonnato diffidens noctu ad Perdiccam in Macedoniam effugit secundum Plut. 3: unde noster Leonnatum *interficere conantem* inducere videtur. — C. 3, 4 Eum. veritus est, si copiæ suæ Craterum cognossent, non modo ne *dilaberentur*, sed ne ad hostem gratia pollentem transirent, ut auctor est Plut. 7. — C. 5, 1 perperam Perdiccas interfectus dicitur *a Seleuco et Antigono*, imo ab equitibus suis occisus est (Diodor. XVIII, 36 ib. Wessel.). Obscurius quoque ait, eos, *qui deseruerant, capitis absentes damnatos esse, in his Eum.* Quemnam deseruerunt? Exercitus Macedonum in Aegypto ægre ferens, quod Eum. alienigena Craterum et Neoptolemum Macedones debellaverat, ipsum et L nobilissimos viros, qui apud eum

fuere, capitis damnavit (Diod. XVIII, 37 Plut. 8). — C. 5, 3 *Nora* castellum non in *Phrygia*, sed in finibus Lycaoniæ et Cappadociæ situm fuit (Plut. 10). — C. 8, 1 *acie instructa* cum Antigono conflixit Eum. (Diod. XIX, 28—34). — C. 8, 5 via per loca deserta dierum erat IX, longior autem dierum XXV (Diod. XIX, 34). — C. 12 Antigonum rem ad consilium retulisse, omnes mortem poposcisse, illum usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquisse, hæc amplificatio liberior brevitatis Plutarchi esse videtur, qui c. 18 scribit, Antigonum de Eum. complures dies deliberasse, et Nearchum ac Demetrium filium suum audivisse, qui Eumeni vitam condonari cupiverint, ceteris repugnantibus.

Phocionem nostri a Phocione Plutarchi pendere eo minus apparet, quod ille compendiario genere scriptus est, quamvis nihil contineat, quod non Plutarcho debere videri possit, nisi narratiunculam in extrema vita de Euphileto Phocioni obvio. Ne hanc quidem plane ignorat Plut., quem in libro de sui laude p. 541 C simile aliquid exhibere ait Buchnerus. Neque vero Longolio assentior suspicanti, Probum verba Græca ἔμφυλός τις (tribulis) in nomen Emphyleti (variant enim codd.) depravasse. Occurrit enim nomen hominis Atheniensis Εὐφίλητος apud Thucyd. III, 86 et Demosth. in Neær. p. 1353 Reisk. Græcum exemplar nostro ante oculos obversatum esse, jam inde intelligere licet, quod 3, 2 formam non latinam *Cassandrus* (Κάσσανδρος) introduxit. Plutarcho (c. 10. 30. 26 sqq.) usus esse commode existimabitur. Quemadmodum solet historiam depravando aliorum laudes minuere, ut Lysandri, Dionis, aliorum augere, ut Cononis, malevolus Phocioni fuit. Primum 1, 2 ejus militiæ memoriam ullam esse negat, qui sæpius quam alius quisquam, quinquies et quadragies, exercitibus præfuit (Plut. 8), summa laude cum Chabria ad Naxum vicit (Plut. 6), Eretriam, Philippi copiis fugatis, liberavit (Plut. 12 sq.), et Byzantio in subsidium missus, Philippum regem ab Hellesponto removit (Plut. 14). Deinde 2, 2 honestissimo viro notam inussit, ac si *cum Demade de urbe tradenda Antipatro consenserit ejusque consilio Demosthenes in exilium expulsus sit.* Imo post pugnam ad Cranonem Antipater Athenas oppugnaturus erat, nisi Phocion ceterique legati in ejus castra missi conditiones a victore impositas de præsidio Macedonum Munychiam recipiendo æquo animo passi essent (Plut. 27). Demosthenes vero cum aliis oratoribus, cum Antipater et Craterus Atticæ appropinquare dicerentur, sua sponte fuga sibi consuluit, et *Demadis* consilio

populiscito absens capitis damnatus est (Plut. in Demosth. 28 in Phoc. 26). Postremo 2, 4 Ph. immerito Piræeum prodidisse accusatur. Cum enim Nicanor in Piræeo Atheniensibus persuadere vellet, ut Cassandro quam Polysperchonti studere mallent, Phocion illi securitatem promisit, Dercyllus autem, dux Atheniensium in Piræeo, eum comprehendere conatus est. Nicanor effugit, et Phocion negans, ab eo periculum imminere, rem militarem neglexit, donec ille Munychia profectus Piræei muros et claustra occupavit. Tum Phocion *ad arma vocavit, præesse voluit*, sed a civibus contemtus est (Plut. 32 sq. Diodor. XVIII, 64).

Non magis consilium peccandi vituperari oportet, quam oscitantiam in aliis rebus. Quod 1, 3 *a rege Philippo munera repudiasse* Ph. ait, ab Alexandro M. dicere debuit (Plut. 18 Aelian. V. H. I, 25. XI, 9). Tum brevitatis quam veritatis studiosior aliam rem, quæ multo post accidit, huc transfert. Menyllo enim, præfecto Macedonum Munychiæ, pecuniam muneri offerenti et hortanti, ut Phoco filio prospiceret, respondit Phocion: Phoco, si ad sanam mentem rediturus est, satis erunt bona patris; uti nunc est, nil ei erit satis (Plut. 30). — Absurde 3, 2 *duces adversariæ factionis capitis damnati patria pulsi* dicuntur: aut capitis damnatos, aut patria pulsos dici oportuit. Ita Diodor. XVIII, 65 ait, populum Atheniensem, cum Alexander Polysperchontis filius ad Piræeum castra haberet, magistratus oligarchicos abrogasse, eosque partim capite partim exilio et publicatione bonorum multasse. Accuratius etiam Plut. 33 rem persequitur, primum in concione turbulenta Phocionem magistratu abdicatum, deinde eum una cum amicis ab Agnonide proditionis accusatum, ad Polysperchontem et Philippum Aridæum regem in Phocidem abiisse, eoque ab Atheniensibus legatos missos esse, non quo ipsorum *decreta confirmarentur*, sed accusandi gratia. Ibi Ph. atque amici non *in custodiam conjecti*, sed custodia circumdati, a Clito Athenas curribus devecti in concionem deducuntur (Plut. 34). Noster 4, 1 inepte observat, Ph. vehiculo portatum esse, *cum propter ætatem pedibus jam non valeret*. Concio Ph. cum quatuor amicis, atque absentem Demetrium Phalereum cum aliis exulibus capitis damnavit (Plut. 35).

In *Timoleonte* ad Timæum, Theopompum et Ephorum nostrum respexisse putat Lieberkühnius p. 172 sq. Plutarchus quidem in Timol. 4 testatur, eos tres historicos de Timophanis cæde memoriæ prodidisse. Sed Theopompus secundum Diodorum XVI, 71 res Si-

culas tantum usque ad Dionysium a Dione expulsum persecutus est, ut supra ad Dionem monuimus. Ephorusne historias Siciliæ perscripserit, non constat. Timæum res gestas Timoleontis celebrasse perhibent Polybius XII, 23 Cicero Ep. Fam. V, 12 et *Plut.* Tim. 36. A nostro autem ipso Timæum inspectum esse, ex VII, 11, 1 effici nequit. Verum in Plut. Timol. vel minutas res, quas in nostro, reperimus: cf. 1, 5 Plut. 5: *ἡ δὲ προςιδεῖν οὐχ ὑπέμεινε τὴν ὄψιν, ἀλλὰ τὴν οἰκίαν ἀπέκλεισε· τότε δὴ .. συνταραχθεὶς τὴν διάνοιαν ὥρμησε μὲν ὡς διαφθερῶν ἑαυτόν.* 3, 2 Plut. 35 *ὥςπερ οἰκιστὴς ἠγαπᾶτο.* 3, 3 Plut. 22 *οὐ μόνον τὴν ἄκραν, ἀλλὰ καὶ τὰς οἰκίας καὶ τὰ μνήματα τῶν τυράννων ἀνέτρεψαν καὶ κατέσκαψαν.* 3, 5 Plut. 35 *οὐ πολιτείας διάταξις ἐδόκει καλῶς ἔχειν, ἧς ἐκεῖνος μὴ προςάψαιτο.* 4, 1 Plut. 37 *ἤδη πρεσβύτερος ὢν ἀπημβλύνθη τὴν ὄψιν, εἶτα τελέως ἐπηρώθη . . . ὑπομείναντα τὴν συμφορὰν ἀλύπως.* 4, 2 Plut. 38 *κομιζόμενος δι᾽ ἀγορᾶς ἐπὶ ζεύγους πρὸς τὸ θέατρον ἐπορεύετο καὶ τῆς ἀπήνης, ὥςπερ ἐτύγχανεν καθήμενος, εἰςαγομένης.* 4, 3 sq. Plut. 36 *πολλάκις ἔφη τῷ θεῷ χάριν ἔχειν, ὅτι βουλόμενος σῶσαι Σικελίαν ἐπεγράψατο τὴν αὐτοῦ προςηγορίαν. Ἐπὶ δὲ τῆς οἰκίας ἱερὸν ἱδρυσάμενος αὐτοματίας ἔθυσε.* 5, 2 sq. de Laphystio et Demæneto ad verbum pæne ex Plut. 37 excerptum est. 5, 4 de funere et gymnasio Timoleonteo ex Plut. 39. Nihil denique noster, quod Plut. non copiosius exhibeat, præter unam rem dubiæ admodum fidei 5, 1, Tim. *prœlia maxima natali die suo fecisse omnia.* Haud scio an eo decipi se passus sit, quod Syracusani in memoriam mortis (non diei natalis) certamina anniversaria musica, equestria et gymnica instituerunt (Plut. 39). — Cum eadem in nostro et Plut. insint, juvat commemorare, quem uterque ordinem rerum tenuerit. Apud Plut. Timophanis cædes, Dionysii abitus, Icetæ fuga, Syracusarum expugnatio, arcis demolitio, coloni deducti, legislatores Corintho arcessiti, Carthaginiensium ad Crimesum flumen clades, Icetas Leontinorum tyrannus captus et occisus, Mamercus, deditione facta, a Syracusanis supplicio affectus, Tim. gratus erga deum animus et sacellum domi exstructum, censura duorum concionatorum, cæcitas et funus se excipiunt: noster Timophanis cædem subjungit sententiæ 1, 2, T. *sapientius tulisse secundam, quam adversam fortunam,* c. 2 rem militarem, c. 3 reip. administrationem persequitur, c. 4 cæcum et de vehiculo dicentem inducit; post dictum, neminem id *illi tribuisse superbiæ,* fortuito nexu ponit pietatem erga deos et sacellum automatias, ad quam vocem c. 5 *mirabiles casus* in mentem veniunt; subsequuntur dicta, quæ modestiam prodant, et in fine vitæ exitus.

Etiamsi non est, quod alium quempiam præter Plut. consultum esse a nostro credamus in Tim. vita compilanda, insunt tamen quædam, in quibus discrepant et noster negligentiæ argui debet. C. 1, 4 unusquisque *aruspicem communemque affinem* eundem esse putaret, nisi Plut. 4 nos doceret duos fuisse, illum nomine Satyrum vel Orthagoram, hunc Aeschylum; neque vero huic soror Timophanis, ut noster vult, sed hujus soror Timophani nupta erat. Tum si Tim. *fraternum sanguinem aspicere* noluit, parum congruit id, quod ex ingenio noster addit, eum *procul in præsidio fuisse, ne quis satelles posset succurrere:* multo melius Plut. ait, Tim. paullum recessisse et obvoluto capite stetisse lacrymantem. Item 2, 2 ex suo adjicit*: cum interficere posset*: non sine perfidia potuit, in cujus fidem Dionysius se arcemque permiserat, quam inexspectatam occasionem Tim. amplexus est (Plut. 13). — Non sine vaniloquentia 2, 4 ait Carthaginienses *satis habere coactos, si liceret Africam obtinere:* imo pax ea lege facta est, ut regionem eam Siciliæ, quæ intra Lycum flumen (Halycum intellige, v. Cluver. Sic. ant. I p. 219) est, obtinerent (Diodor. XVI, 82 Plut. 34). — Mamercus 2, 5 quidem Plut. 13 quoque πολεμιστὴς ἀνὴρ καὶ χρήμασιν ἐῤῥωμένος dicitur, æque ac nostro; neque vero *tyrannos adjutum in Siciliam venerat*, sed ipse tyrannus Catanæ fuerat (cf. etiam Diodor. XVI, 69). Plut. 34 quidem tradit, Mamercum in Italiam navigaturum ad Lucanos contra Tim. sollicitandos, a suis proditum esse: unde noster fortasse aliquid in collectanea sua congesserat, post prave illum *Italicum ducem* fecit.

Appendicem *de Regibus*, quorum *res gestas separatim esse relatas* 6, 1 ait, e *Nepotis* scripto Probum excerpsisse prope fidem accedit. Quæ tamen res non impedivit, quo minus noster 8, 4, sicuti jam Bosius suspicatus est, Ptolemæum Philadelphum cum Ptolemæo Philopatore confundens, parricidam faceret. Hic enim patrem Euergetam, unde Philopatoris nomen traxit, non ille patrem Lagidem, sustulit (Justin. 29, 1, 5).

In *Hamilcare* et *Hannibale*, si Wichersium p. 126 et Lieberk. p. 174 audimus, *Polybius* maxime dux fuit, quem noster ipse in Hann. 13, 1 excitavit. At dubium est, rectene ad Polybium provocarit; namque non hic, sed Valerius Antias Hannibalem Aemilio Paullo et Bæbio Tamphilo Coss. a. u. 570 decessisse auctor fuit (Liv. 39, 56), ut jam Perizonius Animadv. Historic. c. 9 p. 369 sq. monuit. Non magis Polybium quam Livium adhibuisse dici potest:

eum utroque ita convenit, ut alterutro eum usum esse non liqueat. E contrario complura noster habet, quæ apud Polybium et Livium desiderantur, in pluribus dissentit. Navale prœlium, quo Carthaginienses a Lutatio victi sunt, Livius in Epitome XIX quidem, ut noster Ham. 1, 3, *ad Aegates insulas*, Polybius I, 61 autem circum Drepana ad *Aegusam* insulam accidisse tradit. Nihil apud Polybium legitur de Hamilcaris contra Catulum pertinacia (1, 5), de ejus amore in adolescentem Hasdrubalem, a præfecto morum reprehenso (3, 2), de Vettonibus, adversus quos pugnans occisus sit (4, 2).

Passim fontes deteriores Polybio et Livio improbatos a nostro adhibitos esse videmus. Deprecatum esse Hamilc. sub jugum mitti, Zonaras tradit; simile aliquid, sed minus ignominiosum noster 1, 6. Neminem cum exercitu ante Hannibalem præter Herculem Graium Alpes transisse, Hann. quidem jactat apud Appian. Syr. 10, noster narrat 3, 4, sed Polyb. III p. 200 et Liv. 5, 34 pro fabula habent. Solus Zonaras VIII, 23, ut noster 4, 1. 6, 1, narrat, Scipionem ad Rhodanum cum Hann. conflixisse et Romanos initio inferiores victores discessisse: suspicatus est Bosius, nostrum confudisse Eridanum, quod est nomen poëticum Padi, cum Rhodano; at Zonaras non confundit, sed conjungit res apud utrumque flumen gestas, Hannibalem Scipione ad Ticinum victo, ad Eridanum venisse: quare Græculus quidam sive confusionis auctor fuit, sive Scipioni consulto tribuit, quod Gallis ad Rhodani ripam ab Hann. victis evenit (Polyb. 3, 43 Liv. 21, 28). — Quod prœlium ad Ticinum commissum aiunt *Polyb.* 3, 64 et Liv. 21, 39, minus accurate noster 4, 1 et Appianus Hannib. c. 5 a *Pado* appellant: quo factum est, ut in errorem inductus *Clastidi* in Gallia cispadana, non in transpadana, pugnatum esse putaret. *Clastidi* enim cum cod. colleg. Rom. legendum est, neque mihi probatur conjectura Puteani *de Clastidio*, id est propter Clastidium: namque nec propter hunc vicum Hann. ad Ticinum decertavit, neque omnino de hoc pugnavit, sed victoria illa parta Clastidium proditione recepit (Liv. 21, 48). — 4, 3 C. Centenius nunquam præturam gessit, a Zonara στρατηγὸς vocatur, a Livio 22, 8 proprætor, utpote legatus Servilii consulis, a nostro minus recte *prætor.* Eum in Umbriam ad Plestinam paludem ad occupandas fauces missum esse scribit Appian. Hann. c. 9, quocum facit noster, licet nihil de saltibus, nihil de obitu Centenii Polyb. 3, 86 et Liv. l. c. prodiderint. Haud temere suspicatur Dukerus ad Liv. l. c., ab Appiano et nostro ea, quæ Livius de duobus Centeniis tradiderit, ad unum relata esse. Namque Liv. 25, 19 scribit, quinque annis post M. Centenium Penulam, cui patres octo millia militum dederant,

in Lucanis ab Hannibale interfectum esse: totidem vero militibus illum Centenium præfuisse et post pugnam ad Trasimenum fugatum esse vult Appianus l. c., cum C. Centenio tantum quatuor equitum millia Polyb. et Livius tribuant; tum *delecta manus*, de qua noster, ad Centenium Penulam, qui a patribus milites sibi poposcit, potius convenit quam ad superiorem Centenium, qui a consule cum equitibus ad collegam in Umbriam missus est. — Quantopere noster se ad Appian. applicet, maxime apparet ex c. 6, 3, quæ ad verbum pæne cum Appian. Pun. c. 47 concinunt, nisi quod is Hann. *Hispanorum* et *Bruttiorum* infidelitatem extimuisse scribit. Alibi rectius ab Appiano discrepat: Hamilcarem (3, 1) ait cum Polybio II, 1 imperatorem in Hispaniam missum esse, quem Appianus Hann. c. 1 privatum, Zonaras invitis magistratibus profectum scribunt; Scipionem noster (Hann. 4, 1) in prœlio ad Padum (vel potius Ticinum), ut Livius 21, 46, vulneratum facit, Appianus Hann. c. 7 in pugna ad Trebiam.

Cum multi de Hann. memoriæ prodiderint, quorsum respiciendum sit, ipse 13, 3 indicat, ad *Silenum* et *Sosilum*, Hann. contubernales. Priorem Cicero de Divin. I, 24 judicavit diligentissime res Hann. persecutum esse, sed Dionysius Hal. Ant. I ex fortuitis rumoribus historiam composuisse. Sosilus, Lacedæmonius secundum nostrum, Iliensis secundum Diodorum Eclog. 26, 3, res Hann. septem libris perscripsit, cui Polybius III, 20 loquacitatem tonsoriam et vulgarem vitio dabat. His forsitan cum illa, quæ diximus, debentur, tum quod 6, 1, ipso Nepote (apud Plutarchum) repugnante, ait Hann. invictum in patriam revocatum esse, tum quod in fronte vitæ jusjurandum Hamilcari datum ponit, quam rem Livius magis sobrie ita refert, ut famam esse dicat 21, 1, ipsum tamen Hann. eadem verba facientem apud Antiochum inducat 35, 19. Cæteroquin dubium est, utrum Silenum et Sosilum ipsos, an secundarium aliquem auctorem ignotum noster consuluerit.

Ad *Atticum* et *Sulpicium* in definiendo anno mortis Hann. 13, 1 provocatur. Ille annorum septingentorum memoriam (ergo ab urbe condita) in annali suo colligavit (Cic. Orator. c. 34), atque iisdem consulibus, quibus Atticus, Livius 39, 51 quoque (anno 569) Hann. obiisse tradidit. Sulpicium eundem illum avum Galbæ imperatoris, qui secundum Suetonium (in Galba c. 3) *multiplicem nec incuriosam historiam edidit*, fuisse mera est conjectura Vossii de Histor. Lat. I, 18 sæpe repetita. Alium historicum nomine Sulpicii, sed non e familia Galbæ, subministrat Suetonius, Claudium Cæsarem (c. 41) narrans *historiam in adolescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero*

Flavo etiam adjuvante scribere aggressum esse. Hunc Sulpicium autem, quem noster intellexisse videtur, Nepote posteriorem fuisse veri simile est. Claudius enim ætatis *qainquagesimo anno imperium cepit* (Sueton. c. 10), itaque primo anno Tiberii demum viginti annos natus erat, Nepos autem principatu Augusti obiit. In calce vitarum cum carmine Probus se detecturus erat, persona ab Nepote assumta supersedere cœpit, excitans cum Atticum *in annali suo*, ut si non is esset, cui libellum dedicasset, tum Sulpicium, qui Tiberio imperatore floruit.

Reliquum est, ut quæ oscitantiæ sive licentiæ tribuenda esse videantur, exponamus. *Hannibal* (3, 2) *minor V et XX annis natus imperator factus*: qui vero si novem annorum cum patre in Hispaniam profectus est (Hann. 3, 1), ibi novem annos cum patre fuit (Ham. 4, 2 Polyb. II, 1), sub Hasdrubale octo annos militavit (Polyb. II, 36), VI et XX anni efficiuntur. *Proximo triennio gentes Hispaniæ bello subegit* (3, 2), XVI annos in Italia versatus est (Appian. Hannib. 1), itaque major annis XLV secundum Polyb. XV, 19 Carthaginem rediit. *Prætor factus est, postquam rex fuerat anno secundo et vicesimo* (7, 4),*) anno post præturam M. Claudio L. Furio coss. (a. u. 556) domo profugit (7, 6), ergo secundum nostrum annorum XLVIII. Mortuus dicitur 13, 1 anno 569—571 anno septuagesimo, sed non amplius efficiuntur LXI—LXIII annis. Apparet, nostrum sibi non constare, sed quatenus illorum annorum computatio profectione Hannibalis novem annos nati nititur, ipsa incerta est. Nam Livius 21, 3 sq. a fabulis alienus Hannibalem tradit *vixdum puberem ab Hasdrubale literis arcessitum*, triennio sub hoc imperatore meruisse. Si famam de tirocinio pueri novem annorum aspernamur, fieri potuit, ut Hann. XXI annos natus Carthagine in castra Hasdrubalis pervenerit et minor V et XX annis dux declaratus sit. — C. 4, 2 Hann. per Apenninum in Etruriam transisse ait; sed secundum Liv. 21, 58 sq. 22, 1 sq. conatus transcendere Apenninum et tempestate prohibitus Placentiam regressus est, inde in Ligures concessit et viam in Etruriam per paludem petivit. Male ad Sil. Ital. IV extr. et Oros. IV, 14 provocant, quibus noster tueri se possit: quorum ille nihil de Apennino, hic *in summo Apennino Hann. tempestate correptum esse* ait, æque ac Livius. — C. 4, 3 Hann. æger oculis elephanto vectus est (Polyb. p. 231 Liv. 22, 2). — C. 4, 4. 5, 1 prœlium

*) Contra Heusingerum observo, *regem* hic idem valere quod *imperatorem*: in Livio quoque me legere memini de Hannib. regium nomen eodem sensu positum.

nobilissimum ad Cannas, quas ne suo loco quidem, sed leviter 5, 4 memorat, prave præponit dictaturæ Fabii: hic anno superiore 535 per sex menses prodictator, anno 536 Terentius Varro et Aemilius Paullus coss. fuerunt (Liv. 22, 8. 35 Appian. Hann. 16 sq.). — C. 5, 3 ferri posset, si Sempronium Gracchum *bis* consulem appellaret, ut Tacitus 14, 56, 1 Vitellium *ter consulem: iterum* consul ille fuerat a. u. 539, sed *proconsul* a. 540, imperio ei in Lucanis prorogato, a Magone interfectus est (Liv. 23, 30. 25, 3. 16 Appian. Hann. 35). — C. 6, 1 fœde errat confundens P. Scipionem Africanum cum patre, qui in Hispania ceciderat: nam vix dubitari potest, quin scriptura paucorum librorum *P. Scipionem filium ejus quem* ex correctione illata sit; quo factum est, ut in cod. d ob insiticia verba germana *quem ipse primo* exciderent. Auctor ipse, qui *cum hoc* pergit, ostendit de uno eodemque agi. — C. 7, 2 male in unum annum 552 conjicit, quæ duobus acciderunt: nam a. 551 legati Carthaginienses Romam venerunt, qui pacem peterent. Quam consecuti, „gratias patribus egere,“ atque petiverunt, ut sibi e captivis quos vellent redimendi potestas fieret. Ducenti eorum sine pretio, postquam pax convenit, redditi sunt (Liv. 30, 43). Cornelio Lentulo et Villio Tappulo coss. a. 553 Carthaginienses argentum in stipendium impositum primum Romam advexerunt et simul de obsidibus reddendis egerunt. Pars reddita, ut ceteri *ab Norma, ubi parum commode essent, Signiam et Ferentinum transirent, concessum* (Liv. 32, 2). Livius nihil de *corona aurea*, quæ in fabularum numero ponatur oportet, nihil de Hannibale et Magone revocandis. Iisdem forte diebus ad Hannibalem et ad Magonem legati ab Carthagine venerant vocantes in Africam, sed ante prœlium ad Zamam a. u. 549, et Mago a sinu Gallico profectus, vixdum superata Sardinia, vulnere mortuus est (Liv. 30, 19). Appianus Pun. c. 54 certe in conditionibus pacis a Scipione præscriptis fuisse scribit, ut Mago e Liguria decederet: qua re noster permotus esse videtur, ut posteriore tempore utrumque revocatum, ideoque Hann. bis revocatum (6, 1. 7, 4) et bis a Romanis incusatum (7, 3. 6) faceret. Magonem autem 8, 2 vel a. 559 superstitem et exilio multatum fingit, deceptus fortasse eo, quod plures fuerunt Magones. — C. 7, 6 M. Claudius et L. Furius a. 556 coss. fuerunt, sed Livius 33, 47 L. Valerio Flacco M. Porcio Catone coss. a. 557 Hann. ad Antiochum profugisse auctor est. Item quod noster 7, 7 de duabus navibus comprehendendi causa missis et de domo disjecta tradit, incerta fide est. — C. 8, 1 L. Cornelio Q. Minucio coss. a. 559 flagitavit quidem Hann. ab Antiocho classem, qua primum Africam, deinde Italiam peteret, at

non ipse profectus est, sed ad conciliandos popularium animos Aristonem, Tyrium mercatorem, Carthaginem cum mandatis misit (*Liv.* 34, 60 sq. Appian. Syr. c. 8). — C. 12, 1 *L. Quintium Flaminium* vocat, qui fuit T. Quintius Flamininus, si credimus Livio 39, 51, Plutarcho in Flamin. p. 380 et Eutropio 4, 4. Alius L. Flamininus circiter eadem tempora Romæ fuit (Liv. 39, 42). Quæ porro de cœna apud Flamininum facta et de nuntio ad senatum delato ait, fabulæ similia sunt: namque Appianus Syr. c. 11, consentientibus Livio et Plut., diserte scribit, Flamininum ob aliam causam legatione functum, injussu Romanorum per Prusiam veneno Hann. sustulisse. Deposcendi Hann. gratia missos a senatu legatos esse, scribunt Justinus 32, 4, 8, Eutrop. IV init., Orosius 4, 20 et Zonaras. Ad horum agmen pertinet Probus, qui magis etiam amplificavit.

§. 15.

Noster suis fontibus (Thucydide, Xenophontis Agesilao, Theopompo, Ephoro, Satyro in Alcibiade, Sileno et Sosilo in Hannibale, ut videtur) negligenter usus est*), cum Plutarcho et Diodoro non minus quam cum illis scriptoribus ad verbum sæpe concinit, præcipue in Timoleonte a Plutarcho pendet, qui consensus e communi fonte explicari non facile potest, quia Plutarchus auctores, quorum vestigia premit, indicare solet. Nepotis Chronica, ut videtur, in Hannibale Pomponii Attici et Sulpicii Flavi sub Tiberio vigentis annales consuluit. *Nihil magis est cavendum, quam ne aut subtiliter fontes indagasse Cornelium, aut magnum scriptorum, e quibus hauriret, numerum perlegisse arbitremur* (verba sunt Wiggersii de Nep. Alc. p. 42): quare incertum est, quantum illis historicis ipsis debeat, quantumve Satyro et Plutarcho scriptoribus vitæ illustrium, unde commodius quam e continua historia sua depromere licebat.

Græcos auctores interdum servili modo sectatur: IV, 5, 3 *dicitur matrem vixisse*, ipsa verborum constructione ex Diodoro XI, 45 translata; bonis scriptoribus cum accusativo et infinitivo tantum verba *creditur* (Liv. 40, 29 Tacit. Hist. I, 50), *nuntiatur* (Cæs. b. civ. I, 51 Cic. p. Mil. 18), *traditur* (Liv. 5, 33) usurpantur. II, 4, 1 *accessit astum*, male quidem pro *astu*, quod nomen ævo Plutarchi certe de Athenis, quemadmodum πόλις de Alexandria, dici consuevit: sed boni scriptores, uti Demosthenes, Athenas τὴν πόλιν appellare solent,

*) Wiggers. de Nep. Alcib. p. 33 nostrum non sine magna levitate turbidos fontes secutum, liquidis autem non satis diligenter usum esse mecum convenit.

et ἄστυ tantum partem urbis præter arcem et Piræeum. Ita Accius apud Nonium c. 4 astu opponit arci, Cic. Lgg. II, 2 opponit agris, Terent. Eun. 5, 5, 17, Demosth. de Cor. p. 254 sq. 347 et Probus VII, 6, 4 opponunt Piræeo. IX, 3, 3 προςκύνησιν *illi vocant*, male de Persis enunciat, quod quidem in Græco scriptore invenerat. Nomina propria mire depravantur, nec amanuensibus id semper vitio vertendum est: II, 10, 3 *Myntam* pro *Myuntem* scripsit; jam vetus Scholiasta Bobiensis (in Cic. pro Sest. p. 312 Orell.) *Myndam* in nostro legebat; et Vitruv. IV, 1 *Myunta* in nominativo exhibet. Forma *Peloponensus* et *Peloponensius* semper utitur, uti Justinus *Peloponnensis*.

Auctoribus, quibus debuit, non usus est, Herodoto, Charone, Thucydide multis in locis, Xenophontis Hellenicis, Polybio, discrepantes non ponderavit, haud raro conjunxit, sibi ipse velut ingenium immemor contradixit, prœlia, tempora, Miltiades, Thrasybulos, Dionysios, Ptolemæos, Scipiones patrem et filium, Calliam cum Alcibiade confudit, Cyprum pro Scyro, Siciliam pro Pamphylia, Thraciam pro Bithynia posuit. Modo *præconem effusa laudandi libidine elatum* (Wiggers. p. 29), modo obtrectatorem egit: quo in studio facta vel silentio omittit, vel mentitur. In tot tantisque erroribus quid refert, unum alterumve interpretando aut librarios accusando tollere? Conjecturas tales experiri licet, ubi cetera nitent, pauca incommodant. Qui vero in historia antiqua tam parum versatus est, eum vel Nepotem, a quo *docta et laboriosa* Chronica profecta sunt, vel Nepotis epitomatorem esse posse negamus.

§. 16.

Ordo vitarum tam prave dispositus videbatur Nicol. Titzio (introd. de Corn. N. vita et scr., inserta ed. Bardil. T. I p. CVIII), ut eum ab indocto chronista ævi medii invectum esse temere judicaret. Lieberkühnius p. 81 sqq. patrocinatur nostro: audio quidem, sed probare nequeo, quod XX, 6, 1 legimus: *Hi fere fuerunt Græciæ gentis duces*, et tamen præcesserant vita Datamis, quem ipse XIII, 4, 5 in barbarorum numero ponit, et vita Eumenis, Cardia in Thracia oriundi, cujus incolas ipse I, 2, 1 barbaros nuncupavit. Ultro vetat nos verbis suis fidem habere. XX, 6, 1 in opinionem inducit, de regibus *Græciæ gentis* agi, sed barbaros reges persequitur, iisque *Agesilaum*, cujus vitam prolixe jam scripserat, male assuit. XIII, 4, 4 negat *post obitum Iphicratis, Chabriæ, Timothei quemquam ducem Atheniensem fuisse dignum memoria*, neque meminit, a se mox de Phocione, qui post illos inclaruit, expositum iri. Qui si non dux memoria dignus fuit, omnino prætermittendus erat.

Ut corpus vitarum parum scite dispositum est, ita nexus singularum rerum et ratio disserendi insulsum scriptorem, non familiarem Ciceronis, produnt, cui opinio aureæ ætatis et dedicatio ad Atticum data famam immerito conciliavit. I, 2, 5 Lemnii et dicto suo et secunda fortuna adversariorum capti dici possent, sed *non dicto capti* dicuntur. II, 1, 4 Themistoclem ait *celeriter quæ opus essent reperisse, facile eadem oratione explicasse, in rebus gerendis promptum fuisse;* exinde dictum Thucydidis, quod non ad prompte agentem, sed ad celeriter reperientem pertinet, inepte subjicit. III, 1, 1 *Aristides æqualis fere fuit Themistocli: itaque cum eo de principatu contendit*: male, etiamsi *itaque* pro *et ita* dictum intelligamus, ut usurpari solet. IV, 3, 1 *Pausanias non mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit*: Curtius VI, 6 quidem *patrios mores* et *civilem habitum* connectit (cf. Liv. XXIV), sed incommode sane *mores* et *cultus* sibi opponuntur, et cultui vestitus supervacuo additur: namque cultus vestitum quoque comprehendit, ut apud nostrum VII, 11, 4 *victus* et *cultus* (cf. Cic. ad Fam. IX ep. 3 ib. Manut.). Ita si VII, 1, 3 *vitam* et *victum* (vitæ genus et cibum, quo alimur quotidie) conjunxisset, ferri posset, sed vitiose opposuit: *splendidus non minus in vita quam victu;* quamvis idem X, 4, 5 *victum* sensu *vitæ* usurpet (ut Cic. de Invent. 25 Cæs. B. G. I, 31 med.). Nihil moror, quod VII, 1, 1 Alcibiadem *excelluisse vitiis* ait, namque Cicero de Lgg. I, 19 quoque *excellere* in malam partem sumit; sed *naturam* in eo vitia et virtutes effecisse, dici non oportuit. Ibid. 2, 1 commemorat *bona, quæ vel fortuna vel natura tribuerat*: at X, 1, 2 uni *naturæ nobilem propinquitatem, ingenium docile et divitias* adscribit. Cave urgeas opposita nostri, qui IX, 1, 1 *prætorem* pedestris exercitus *præfecto classis* opponit, sed VII, 8, 1 prætorem classi præficit. VII, 2, 3 Alcibiadem ait, *quo ad licitum est, odiosa multa delicate jocoseque fecisse.* Quid odiosa, et tamen licita? Desideramus *sanctitatem morum*, quam in Corn. Nepote fuisse Plinius V ep. 3 prædicat. IX, 2, 4 posterius membrum orationis priori non congruit; namque abitus Agesilai neutiquam Cononem ad discedendum permovere poterat, ut hic *nihilo secius* remansisse dici posset. X, 1, 3 inconcinna est periodus: *erat intimus Dionysio priori, neque minus propter mores quam affinitatem*: si meliorem scriptorem in manu haberemus, suaderem, ut *neque* expungeretur; nam statim dissimilitudinem morum, Dionysii crudelitatem, quæ Dioni displicebat, et necessitudinem, propter quam salvum studebat, commemorat. Similiter hiat oratio in Pelopida 1, 1, quem *magis historicis quam vulgo notum* ait. Quidni vulgo notus is, cujus plenæ sunt historiæ, in

quo *satietatem lectorum* veretur? Si non Probi ingenium esset, mallem scribere *non magis.* Non melius X, 6, 2 uxorem Dionis præmittit, cum de filii casu agatur. XV, 3, 1 *fortis manu* perperam in *animi bonis* recensetur. Displicent transitiones XII, 3, 4: *neque vero solus ille aberat, sed omnes fere principes fecerunt idem*; XV, 7, 3: *nec vero hoc semel fecit, sed sæpius*; sed quod sequitur de accusatione Epaminondæ, incongrue tanquam testimonium animi patientis et injurias ferentis profertur, quamquam in Plutarchi Pelopida c. 27 memini me legere, Epaminondam non ægre tulisse, quod in jus vocatus sit. Similis transitio XVII, 4, 7. XVIII, 2, 4: *neque vero hoc ille solus fecit, sed ceteri quoque omnes.* Iisdem verbis infertur transitio IV, 4, 3 et VI, 4, 1: *non est prætereunda hoc loco.* Si quis longior ambitus brevibus propositionibus intermiscetur, orationis partes male ligantur, et logicam, quæ Latinis propria esse solet, desideramus: VII, 8. 1. 2. XVIII, 2, 1. 2. 7, 1. 2. 12, 1. 2. Verba XVII, 6, 1: *quo ne proficisceretur, cum a plerisque ad exeundum premeretur, . . . exire noluit,* sensu carent. Propositiones principales et adjuvantes non satis distinguit: e. g. in Hannib. 2, 1 *Philippum hostem reddidit Romanis: omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit; hunc tanta cupiditate incendit bellandi*; intelligens dicendi scripsisset: Antiochum, qui pot. fuit, cup. incendit. Adde IV, 2, 4. 5, 3. XVII, 5, 3 (ubi Nepos scripsisset *multis hortantibus*). Constructio XV, 10, 1, in qua subjectum inepte mutatur, pennam discipuli potius quam eruditi prodit. Eadem ratione peccatur VI, 4, 2. VII, 4, 3 (*essetque* pro *quamvis esset*). XIX, 2, 4 *cum apud* (Phocionem) *summum esset imperium, et* (Phoc.) *moneretur — et* (Dercylus) *postularet — huic Phocion negavit.* Item Hann. 11, 3. Cf. contra Nep. Att. 2, 2.

In sterilitate rerum expositarum, quæ vivam imaginem virorum illustrium non exprimunt, agnoscimus tempora declinantis historiæ Eutropii, Justini, Ampelii, Aurelii Victoris, non Livii, non Nepotis, non agnoscimus auctorem fragmentorum, quæ de Nepote supersunt neque tantum rerum summas attingunt; longe dissimilis est non modo Attici vita, sed etiam Catonis, cujus epitome in distincte concisa brevitate nihil omittit, omnia luculente concinnat. Noster in brevitate modo longus est, modo obscurus: interdum eadem repetit, in rebus gravioribus parcus, in levioribus multus (X, 10, 1. XII, 3), loquitur XV, 2, 4 de palæstra Epaminondæ, silet de Pelopidæ, quamvis hunc magis illo palæstræ operam dedisse ex Plut. Pelop. 4 constet, supervacanea verba facit e. g. XV, 3, 6: *priusquam acciperet pecuniam,* quam quidem Epamin. nunquam accipiebat, si cui opus

erat, ipsi numerabatur. Pleonasmi notandi: IV, 3, 3. VI, 1, 5 (*summum imperium potestatemque omnium rerum committere*), VII, 1, 4. VIII, 2, 4 (*tum illis temporibus*), X, 3, 3. XV, 6, 4. XVII, 4, 2 (*dicto audiens fuit jussis magistratuum*), XVII, 7, 1. XVIII, 1, 5: *at apud illos contrario nemo admittitur* (insolentius *contrario* usurpatur quoque Vitruvio 8, 1). Hæc tempora Justini redolent, qui in præfatione *obtrectationis invidiam* memoravit. XVIII, 5, 5 *deinde post*, ut Vitruv. V, 12 *deinde tunc*, Ulpianus *deinde postea*, *post deinde* Comicus Andr. 3, 2, 3 Gell. 7, 3, 11. 7, 12, 5, *tum postea* Terent. Eun. 2, 3, 78. *Rursus resacrare* (VII, 6, 5) et *potius malle* (IX, 5, 2) apud bonos quoque scriptores occurrunt. Vitiosa brevitate II, 4, 3 *regem* appellat Xerxem intelligens, paullo ante regis Lacedæmoniorum mentione facta; XIII, 3, 4 in dubio *relinquit*, utrum Menestheus Charesne *temeraria usus sit ratione*, ita ut Bosius priorem significari perperam putaret. Ibid. 3, 5 duo accusantur, Timotheus damnatur, *ille Calchidem se contulit* (idem Tim.). Paupertas est dicendi, quod et de Miltiade 1, 1 et de Cimone 3, 1 eadem verba repetit: *cum unus maxime floreret*. Ineleganter vel eadem vel similis soni verba cumulantur V, 1, 3. VI, 3, 2. 3. VII, 3, 1. 4, 7. VIII, 1, 3. 2, 3. 4. XVII, 6, 1. XIX, 2, 1. XX, 6, 3.

§. 17.

Dictio, ad quam perlustrandam per singulas vitas jam descendimus, plerisque elegantior, quam pro sordibus ævi Theodosiani, multis etiam castissima visa, doctrinam quidem Grammatici, sed et multam asperitatem ostendit, et sæpe Justini et Ampelii ætatem refert, præsertim cum Rothius correctionibus superiorum editorum rejectis genuinam scripturam codicum restituerit.

Præfatio inchoat verbis *non dubito* cum accusativo et infinitivo, itaque I, 3, 6. VI, 3, 5. VII, 9, 5. IX, 1, 3. XVII, 3, 1. 4. XVIII, 2, 3: bis *quin* in Hann. 2, 5. 11, 2. Terentius, Cicero semper et Cæsar (B. G. VII, 16. 25) *non dubitare* conjunctione *quin* construunt: sed etiam Asinius Pollio ad Cicer. Ep. Fam. X, 31, Trebonius ad eundem Ep. Fam. XII, 16, Cicero filius Fam. XVI, 21, auctor belli Alex. c. 7, Livius 22, 55 (ib. Drakenb.), Tacitus Ann. 2, 36. 14, 43, Plinius et major N. H. 2, 39. 10, 2 et junior VI ep. 27 accusat. cum infinitivo ponunt. Latine dici oportuit *persona* pro *personis*, sensu dignitatis, ut XV, 1, 2 nec non apud Cic. de Fin. I, 1 (quem locum imitatus est) et in Phil. VIII, 10: *quam magnum est personam in republica tueri principis!* Significat quidem

et hominem (ut nostrates hac voce utuntur), talem præsertim, qui personam quandam (munus, dignitatem) in vita civili gerat, quo sensu noster XVI, 4, 4 usurpat, aliaque exempla Forcellinius s. v. profert (quibus adde Cic. Fam. V ep. 12); sed tum *virorum personæ* ferri non possent. — §. 5 *tota Græcia* sine præpositione *in*, ita in Ham. 2, 5 et Cic. Phil. XI, 2 et pro lege Man. 3 *tota Asia*, in Verr. II, 49 *tota Sicilia*. —

In *Miltiade* 1, 4 displicet, quod *id facere* pro *se dedere* ponitur. — Solœcismum nota 2, 4: *Chersoneso constituto:* non minus XIII, 1, 2 *Samus* secundum optimos codd. genere masculino usurpatur. — 3, 1 *Principes* absolute, ut hic et XII, 3, 4, sub Imperatoribus ii dici cœpti sunt, penes quos summa rerum fuit: Nepos in Att. 8, 3 contra *principes ordinis equestris*, et Cæsar B. G. VII, 16. 27 de principibus Aeduorum et Gallorum, ut recte noster V, 3, 1. Liv. 45, 40 extr. tamen Aemil. Paullum *Romanum principem* appellat. — 3, 4 *transportaverat*, II, 5, 1 *fecerat* male pro conjunctivo, ut Curt. 10, 26. — 4, 2 *Is est ab oppido*, ut XII, 3, 4 *tantum se ab invidia putabant futuros*, genus dicendi rarius: Cic. Verr. V, 25, 63 *locus non longe est a Syracusis*, Donatus in vita Virgilii initio: *Andes est a Mantua non procul.* — Ibid. et in Hann. 6, 3 *milia passus* pro *passuum*, ita posterioris ævi scriptores, e. g. Lampridius, sed etiam Virgil. Ae. IX, 132, Varro de r. r. II, 1, 22. III, 16, 14. 17, 4, Vitruv. de Arch. I, 4 p. 20, Plin. N. H. II, 73, 183. VI, 15, 45 et Columella III, 3. V, 1. Nepos Dat. 8, 3 contra *hominum mille*. — 4, 3 Male *ut* pro *qui* (v. p. XLIV). — 4, 4 *defendere* tanquam verbum neutrum; invitis libris scriptis in editionibus *se* intrudebatur, ut habet II, 4, 2. — 4, 5 Male *audere dimicari*. — 5, 3 *tegere* sensu *defendere* bene: Cæsar B. G. VII, 23 *silvæ montesque texerunt*, et Hirt. B. G. VIII, 2. — 5, 2. Lieberk. p. 115 provocat ad similitudinem cum Nepotis Attico, ubi 3, 1. 4, 2 non minus locutione *quo* (*quibus rebus*) *factum est* copulatur: sed hic subsequitur *ut* cum imperfecto, noster tanquam fucatus Nepos *ut valuerit* scribit.*) Lieberk. quidem ex Attici vita plura exempla consuetudinis profert, post *sic, ita, adeo, talis* perfectum conjunctivi usurpandi. Sed subtilius distinguendum esse censeo. Imperfectum et plusquamperfectum sunt tempora relativa, cetera absoluta: quæ principalis significatio imperfecti cognoscitur et in stilo epistolari et in propositionibus conditionalibus et in incisis dependentibus. Unde existit regula generalis, in narratione rei præteritæ membris, quæ conjunctione *ut* cum aliis

*) Neque tamen sibi constat I, 7, 4 et alibi.

arcte cohærent, imperfectum impertiendi: contra quam noster, ut Justinus et Frontinus, peccavit I, 5, 2. 5. II, 4, 4. IX, 4, 1. X, 4, 5. 5, 3. XVI, 3, 1. XIX, 4, 4. Ham. 2, 3 Hann. 2, 1. 5, 2. Ubicunque vero incisum cum *ut* non tam alii subjungitur, quam absolute vel indefinite cogitatum annectitur, perfectum, non imperfectum ponitur. Idque dupliciter fieri potest: aut incisum præcedens, quamvis causam sequentis contineat, tamen magis ad præsentiam scribentis refertur (ut in Nep. Att. 1, 4. 10, 3. 14, 2 Prob. VI, 1, 3. X, 1, 5 propter additum *umquam*, 3, 3. XI, 1, 2. 2, 4. XIII, 2, 2. XVII, 6, 1. XX, 1, 6. Hann. 4, 3), aut hoc non nexu causali cum illo junctum, potius a particulis *sic* etc. pendet, eoque facilius absoluta perfecti significatione accipi potest: quo sensu vel Cicero nonnunquam perfecto utitur, ad Fam. I ep. 1: *sic egit causam tuam, ut neque eloquentia majore quisquam, neque gravitate agere potuerit.* Recte; nam *potuerit* sensu non ab actione causæ pendet: ita et *Cic.* p. Mur. 9 Nep. Att. 2, 4. 6, 4. 9, 4 et Probus III, 3, 2. VII, 6, 4. XI, 2, 1. XII, 1, 3. XV, 2, 2. 3, 4. 6, 4. XX, 1, 3. 4, 1. Ham. 2, 1 Hann. 1, 3. Præcipue ea constructio tum ponitur, cum e duobus incisis unum imperfectum, alterum perfectum conjunctivi sensu diverso habet: Cic. Fam. III ep. 3 *tantus consensus senatus fuit, ut mature proficisceremur, parendum ut fuerit;* itaque Nep. Att. 5, 1. 7, 3 Prob. XVII. 2, 2 Ham. 1, 5. — 7, 6 Male *classes* plurali numero (ut Rothius edidit), cum de una classe 7, 1 mentio sit; imitari videtur poëtas Virgil. Aen. VI, 334, Stat. Achill. I, 31 et Paulin. *Nolan.* poëm. 21 ad Cyther. v. 79, quibus *classis* de una navi dicitur. Pariter XVII, 2, 1 *classis* in plurali. — 7, 5 *quoniam* cum conjunctivo, ita Justin. I, 5, 5. — 7, 6. II, 8, 4 *in præsentia* pro *præsenti tempore*, ut et Terent. Cæs. Cic. Liv. (v. Forcellini Lex. s. v.). — Ibid. syncope *vincla*, ut Rothius edidit, occurrit etiam apud Catonem, Cic. et Liv. (v. Forcell.) — 8, 3 Male *Chersoneso;* dici oportuit vel *Chersonesi*, ut I, 2, 4, vel *in Chersoneso*: idem solœcismus XII, 3, 4 *Lesbo* . . *Sigeo*: ita Justinus.

In *Themistocle* 1, 1 aspera forma *emundare vitia* utitur, qua Columella tantum de bubili, de segetibus et de vino (v. Forcell.). — 1, 2 Them. durius dicitur *ordiendus;* res quidem et oratio ordienda dici potest. — 2, 4 Cum codd. classis C post copiis *venit* addi malo quam ineptum anacoluthon *cum tantis copiis quantas* statuere. — 3, 4 Cum verbo *discedere*, quod etiam cum ablativo sine præpositione ponitur (Sallust. Jug. 20, 1 *Africa discessere*), in urbe vel promontorio præpositio male jungitur *ab Artemisio*. — Ibid. *apud Salaminam*, IV, 1, 2 *apud Platæas*, et ita constanter plurimis

locis: boni scriptores in hoc genere dicendi promiscue *ad* et *apud*, sed tamen rarius *apud* usurpant; Cic. Fam. XV, 4 *apud oppidum Cybistra castra feci*, sed ep. 2 *castra ad Cybistra locavi*, XVI, ep. 3, 1 *apud Alyziam;* Sallust. Jug. 19, 3 *ad*, 20, 1. 58, 1 histor. IV *apud;* Nep. Att. 9, 1 Cat. 1, 2 *apud;* Cæsar centies *ad*, nunquam *apud;* Tacitus et Ampelius c. 14. 15. 16 *apud* (e. g. *Coroneam*) frequentant. — 5, 1 Displicet *habebat;* nam oratio procedit (tres quidem codd. præbent *habuit*). Ibid. unum cod. a nolim probari *tum* pro *cum* habentem. — 7, 2 Ad eosdem ephoros pertinent in eadem linea pronomina *eos* — *his* — *illos*. Pariter XVIII, 1, 1 *hujus* — *ille* (Marc. A habet *illo*, quod notatu dignum est). — 8, 2 Solœcismus est: *cum propter multas ejus virtutes magna cum dignitate viveret*. Contra I, 1, 1 male *cives sui*, V, 3, 1 *pater suus*.

Aristid. 2, 2 *simul cum Pausania:* recte quidem, sed tamen observatu dignum est, nostrum *una* ne agnoscere quidem, quod adamat Cæsar, uti B. G. VII, 26 *una pugnatur omnibus in partibus:* noster *simul* VII, 5, 4. 6. 6, 3. X, 8, 1. XI, 3, 3. XXII, 6, 4, cf. Nep. Att. 8, 5. Secundum Charisium II p. 197 *una* locum, *simul* vero spatium designat.

In *Pausania* 1, 2 *gener* sororis maritum denotat; nam Mardonius Darii filiam, Xerxis sororem, duxerat (Herod. VI, 43): quo significatu apud *Justinum* 18, 4, 8 tantum *gener* occurrit. Noster IX, 2, 1 veram vim *genero* tribuit. — Ibid. *Græcia* tanquam adjectivum a *manu* pendens doctior videtur esse scriptura: similiter VII, 7, 4 *Græcia civitas*, XX, 6, 1 *Græcia gens* occurrit, in Festo *Græcia gens*, in Vellejo I, 4, 3 *magna vis Græciæ juventutis*. Ita IV, 3, 3 de *agro Troade*, V, 1, 1 de *legibus Atheniensibus* (non Atticis), VII, 4, 7. 9, 5 de *Perse rege* loquitur. — 1, 3 *quod cum* perperam cumulatur sensu *quod;* nam sensu *ut* et *cum* latine dicitur *quod ut* et *quod cum* jungendi gratia. — Ibid. recte *donum dedisse*, ut VIII, 4, 2 ib. Intpp., Liv. 4, 20 *donum posuit*. — 1, 4 *versus exculpserunt* (ἐξεκόλαψαν Thucyd.) pro *delerunt* vel *abraserunt*, nemini alias usurpatur. — 2, 5 *quæ pollicetur* in oratione obliqua: cf. Cic. Leg. Agr. III, 3 *promulgare ausus est, ut, quod quisque possidet, id eo jure teneret*. Cic. de Fin. III, 6. — 3, 1 *cognita* male pro *consilia* vel *cogitata*. — 3, 4 *lava* nihili est, nec *lana* neque *lancea* ferri possunt. — 4, 2 *litteras ephoris tradidit:* recte, ut VI, 4, 3, sin ad Artabazum *pertulisset*, sollemnis de statore locutio fuisset *literas reddere*, e. g. Cic. Fam. II ep. 17 Cæs. B. C. I, 1. — 4, 5 Ineleganter *venit eo*, sicut I, 1, 1. VII, 8, 1. — 5, 2 *Chalciicos*, quod in *Chal-*

cidicos correctum, manus Probi esse videtur: jotacismum enim sequitur etiam 3, 6, ubi *Ilotæ* magis quam *Illotæ* placet.

In *Cimone* 2, 2 Tzschuckius mavult *colonos* quam *in coloniam*, sed et Liv. 4, 49 *in coloniam mittere aliquos.* — 2, 5 *sessores* sensu incolarum alioquin inauditum est. — 3, 1 *testarum suffragiis, quod illi ὀστρακισμὸν vocant:* aut *quas* aut *quem* requirebatur. Aliter se res habet, si pronomen relativum diverso numero ad nomina collectiva refertur, e. g. Sallust. Cat. 56, 5 *servitia, cujus,* Sueton. Cæs. 22 *Galliæ, cujus.* Item distinguenda sunt ejusmodi exempla, in quibus pronomen relativum in neutro non vere ad nomen antecedens pertinet, sed notionem generalem exprimit, e. g. Ovid. Met. II, 263 *siccæ est campus arenæ, quod modo pontus erat,* Senec. ad Marc. I *qui velit scire, quid sit vir Romanus,* Cic. de Sen. 3 (a Perizonio ad Sanctii Minerv. II, 9, 4. IV, 4, 80 excitatus), ubi *quæ* in neutro plurali longius distat a *querelis.* Eo Probum quodammodo defendere possis, quod pronomen nec ad testas, neque ad suffragia commode refertur, sed ad utrumque. Rectius tamen IX, 3, 3 *venerari te regem, quod προςκύνησιν illi vocant:* ita Cic. Off. II, 5 cum in inciso relativo nomen græcum infertur, pronomen ad præcedens refert: *motus animi, quos Græci πάθη nominant;* contra de Fato 1 *mores, quod ἦθος illi vocant,* quemadmodum Cicero assolet. — 3, 3 Scriptura complurium codd. *satis* pro *satius* arridet: cf. Cæs. B. G. VII, 21 *satis ad Gallicam ostentationem minuendam factum existimans.* — 4, 2 *offensum fortuna* pro *fortuito obvium* insolenter dictum, nec sine ambiguitate, cum adversa fortuna perculsum denotare posset: utroque sensu usurpat noster XVII, 2, 2. X, 7, 3. — 4, 4 *minime est mirandum, si fuit;* pariter IX, 3, 1, Plaut. Pseud. I, 5, 27 *idne tu miraris, si patrissat filius?* Cic. de Amic. 15. Fam. III ep. 8. V ep. 1. XI ep. 3. In incisis, quæ a *mirari* magis pendent, vel accusativus cum infinitivo vel *quod* sequi solet.

In *Lysandro* 1, 1 *in* ab *enim* absorptum in plerisque codd. unus coll. Rom. recte servavit. — 1, 4 *dictassent,* pariter Cic. Off. 3, 14, 2 e codd. restituendum *dictabat* pro *dictitabat:* cf. Zumpt. ad Cic. Verr. 3, 57, 132. — Ibid. *classis est potitus*: quinquies genitivum huic verbo jungit, ut Sallust. Cat. 47, 2 Jug. 25, 10. c. 74 extr. Cic. Fam. I ep. 7 *regni potiri* Cæs. B. G. I, 3 B. Afr. 61 Vellej. 2, 25: XVIII, 3, 4 *summam imperii potiri*, ut Næv. Pacuv. et Acc. ap. Non. 7, Cic. Tusc. I, 37 B. Hisp. 13 Lucr. 3, 1050 Tacit. XI, 10 Justin. 6, 4. 9, 7: potiri cum sexto casu construit quinquies: cf. Serv. ad Aen. III, 278. — 1, 5 *decem delegerat in unaquaque civitate,* male pro *denos in singulis civitatibus.* — Ibid.

e duobus incisis particula *aut* junctis unum in conjunctivo, alterum in indicativo positum est: quoniam prius in imperfecto arctius ab *admittebatur* pendet, posterius in plusquamperfecto laxius jungitur: cf. Cic. in Verr. II, 2, 5. — 3, 1 *tollere*, ut Cæs. B. G. VII, 26, 2 *consilium ceperunt ex oppido profugere*.

In *Alcibiade* 1, 1 *possit* absolute de vi naturæ, ut Cæs. B. G. VI, 20 *hic quantum in bello fortuna possit, cognosci potuit*, Cic. Mur. 15. p. Deiot. 1. et noster XV, 3, 4. — 1, 2 *summo genere* pendet a *natus*, ideoque nulla distinctione segregandum: cf. X, 1, 1 Cæs. B. G. VII, 27 *summo in Arvernis natus loco*. Genus et patria jungantur oportet, quoniam illud extollitur, quod non patriam obscuram habeat. Post *plenus* virgula sufficit. — 2, 1 Insolenter *reminisci* pro *excogitare* usurpat, alias solito sensu res præteritas cogitandi, e.g. IX, 3, 1. — 3, 1 *Nicia*, Ham. 1, 1 *Barca*, Hann. 12, 3 *Prusia*: ita Justin. I, 2 *Ninya*, II, 11 *Leonida*. — 3, 2. XVII, 3, 2 *bellum apparare* insolentius, *parare* dicere assolet Cæsar, e. g. B. G. VII, 22 Hirt. B. G. VIII, 1 noster VII, 9, 5: latine dicitur quoque *bellum comparare*, X, 5, 1. XVII, 2, 4. XVIII, 7, 1 Cic. Attic. X ep. 4, sed minus usitatum *iter comparare*, uti VII, 10, 3, imo *se ad iter comparare* Liv. 28, 33, *se ad eruptionem comp.* Cæs. B. G. VII, 28, seu *profectionem parare* Cæs. B. C. I, 14. — 3, 5 *in publicum prodire*: Cæs. B. G. VII, 12 *in publ. procurrere*, noster XIII, 1, 2 *in publ. retulit*, Cæs. B. C. I, 17 *in publ. conferunt*. — 3, 6 Male *in domo sua*, rectius XX, 4, 4 *suæ domi* (et XIII, 1, 3 *domum suam*): *domi* enim jungitur cum genitivis *meæ*, *tuæ*, *suæ*, *nostræ*, *vestræ* et *alienæ*; neque est, quod nostrum defendamus Plauto Amph. I, 1, 253 *eo in nostram domum*, qui etiam ib. II, 2, 7 *experior domo* (pro *domi*) ait (ut fere Virgil. Georg. III, 96 *abde domo*). Contra Cæsar B. C. I, 23 *concursus domum ad Pompejum fiebant* (potuisset dici etiam *ad domum Pompeji*), Cic. Verr. II, 9 *domum ad illum ut venirent* (recte etiam *domum illius* vel *in domum illius*, ut noster VI, 3, 5 *in domo ejus*, XX, 1, 5 *domum ad se*, Nep. Att. 13, 6 *domum suam*). — 4, 1 *præsente* de personis dicitur (ut 8, 2), *præsenti* de rebus, ut mox *in præsenti*: in vulgaribus codd. priore loco male est *præsenti*. — 4, 2 Rescribe e Leid. et Marc. 1 *quo*, *si exisset*, *absentem aggr.* Pronomini *quo* superscriptum esse videtur *ut*. — 4, 6 Insolens est nominativus pluralis *eidem* et hic et 6, 5. X, 10, 2. — 5, 2 Solœcismus est: *id Alcibiadi celari non potuit*; dici oportuit: *id Alcibiades celari n. p.* Paulinus Nolanus carm. 18 v. 295 quidem ita: *fures non tibi celantur*; Hirt. B. Alex. 7 *quod neque celari Alexandrinis possent* (sed incerta scriptura); Ovid. Fast. 4, 149 *celetque viris*, ubi alii legunt *viros*. — 5, 3 *optimatium* scri-

ptura non constans est: noster VIII, 4, 2 *sapientum*, ubi unus cod. —*ium* habet, IV, 1, 4 *civitatum*, in Hann. 10, 5 inter *serpentium* et *serpentum* fluctuant libri. — 6, 2 *amissus* est nomen Latinis inauditum; *amissio* occurrit apud Cic. Fam. IV, ep. 3 in Pison. 17. 18.— 6, 3 *persequi* est non desinere sequi, ut in Cic. Verr. 7, 35 de Orat. I, 23 de clar. Orat. 90 Terent. Andr. 5, 4, 32. — Ibid. *reminisci* infinitivus historicus durior quidem, sed ita XVIII, 9, 1 *conveniunt duces, quærere — intelligebant.* — 7, 2 *loqui* pro *dicere* vel *famam spargere*, uti X, 7, 3 in Ham. 3, 2 et Cic. Verr. VII, 30 ad *Att.* 16 ep. 10 *vulgo loquebantur.* — 7, 5. 9, 3 Plusquamperfectum loco imperfecti, et 10, 1 (*miserant*) X, 10, 3 loco perfecti, contra VIII, 3, 3 *fuerunt* pro *fuerant*, XV, 8, 1 *obedirent* pro *obedissent* male ponitur. — 8, 6 *bellum totum delevit*: usitatius est *bellum conficere*, ut II, 4, 4; sed Cicero quoque de amic. 3 et Vatinius apud *Cic.* Fam. V ep. 10 *bella delere* eodem sensu usurpant. — 9, 5 rege *Perse*: ita Justinus loqui solitus est. — 10, 2 Conjectura Moschii *societatem huic ergo renuntiat, quæ regi c. Lac. esset* mihi non probatur; nam *ergo* pravum locum teneret, atque *essent*, in quo plurali omnes libri consentiunt, *societatem* excludere videtur. Sane postremam hanc vocem e glossa superscriptam esse existimo, ut eleganter dictum *quæ regi cum Lac. essent* explicaretur, eoque infra posita verba *irrita futura* in plerisque codd. excidisse, glossam vero alieno loco contextum occupasse. *Mihi cum quoquam nihil est*, loquuntur Sallust. Jug. 43 Cic. Fam. XV ep. 10 ad Att. XIV ep. 15 Phil. II, 31 Liv. 8, 25. Itaque scripturam nonnullorum codd. et vulgarium editionum revocandam esse censeo. — 10, 4 *vicinitas* insolenti significatu pro *κώμη*, ut Diodor. et Plutarchus tradunt: alias denotat vel viciniam vel homines in vicinia habitantes (Sallust. Cat. 37 Cic. pr. Rosc. 6).

In *Thrasybulo* 1, 1 *dubito an ponam* sensu affirmativo usurpatur, quam Gebhardus elegantiam parum recte appellavit. Tripliciter res dubitativa latine exprimitur: primum *non dubito quin* dubitationem pæne excludit, ita ut quasi *sciamus;* deinde *nescio* vel *haud scio an* dubitationem admittit, cum in negando pro *fortasse non* (Cic. Læl. VI, 20 Orat. II, 4, 18 Lgg. I, 21, 56 Cæs. B. G. V, 54), tum in affirmando sensu *fortasse* (Cic. Planc. 27 init. Mil. 34, 92. Fam. IX ep. 15). Rarius *haud scio* cum negativa jungitur, uti Cic. Fam. IX ep. 14 *contigit tibi, quod haud scio an nemini;* contra L. IX ep. 9 *nescio, an ulli acciderit imperatori* (ut noster XX, 1, 1). *Dubito an* denique pro *nescio an* vim negandi habere solet: locus Ciceronis de Off. III, 12 *dubitat an turpe non sit*, incerta est scriptura, omittitur enim *non*, v. Pearcium ad h. l. Curtius quidem *dubitare*

an modo in affirmatione 4, 59 (15), modo in negatione 9, 7 (2) usurpat, Sueton. Claud. 35 quoque in affirmatione; sed Plinius VI ep. 27 accuratius illo sensu *num*, hoc *an* ponit; *dubito num idem tibi suadere, quod mihi, debeam*, et ibidem *dubito, an idem nunc tibi, quod tunc mihi, suadeam*; priore loco sensus est: *tibi suaserim*, posteriore: *non tibi suaserim*. Pariter Cicero p. Sulla 24 *dub. num* affirmative utitur; itaque nostro loco aut *dubito num* aut *nescio an* dici oportuit. — 1, 4 Non dubito amplecti Claudii Puteani facillimam emendationem Bosio quoque probatam *vices vimque*, æque ac Gronovius in Senecæ Controvers. 1 vulgarem scripturam *vires* in *vices* emendavit. *Nam ex iis, quæ præcedunt et sequuntur, colligere est, requiri hic aliquid, quod ad fortunam, et aliquid, quod ad milites pertineat* (verba sunt Bosii). Negant quidem Tzschuckius, Bremius et Bardilius, *vices* sic absolute usurpari; sed falso. Justinus VI, 5, 11 (*versa vice*) aliique mediocres scriptores *vices* pro sorte accipiunt, Seneca in Octavia v. 48 *dubias Martis vices* commemorat; in singulari sæpius absolute pro adversa fortuna ponitur, e. g. Sueton. Aug. 66: *vicem suam conquestus est;* itaque Terent. Cic. Liv. Phædrus. — Ibid. corrupte legitur *seque his* etc. Etiam in hoc inciso miles et fortuna imperatori opponuntur, illique plus valere quam hujus prudentiam dicuntur; quare corrigendum: *atque hos — prædicari* (*prædicari* in quatuor certe codd. reperitur), vel *seque hi vere possunt prædicare*. — 2, 1 *non plus habuit secum XXX*, ita Terent. Ad. 2, 1, 46 *plus quingentos colaphos infregit mihi*: usitatius est *non amplius*, e. g. Cæsar. B. G. VIII, 10, 4 *non amplius erant quingenti*, Cic. ad Att. VI, 2, 8 Hirt. B. afr. I, 1. — 3, 3 *cædem facere eorum*, item XV, 9, 1: cf. Sallust. Jug. 31, 13 *cædem in vos fecisse*, Cæs. B. G. VII, 18 *cædes facere*, Cic. p. Cæc. 14. — 4, 1 *et non* sensu adversativo pro *non*, ita Liv. 2, 38, 5 *profectio et non fuga*, Cic. de Or. III, 144 sensu copulativo. — 4, 2 *et* ante *agri* ejiciendum.

In *Conone* 1, 1 Puteano *opera* pro *opere* emendanti nonnulli codd. suffragantur. Ibid. e compluribus libris scriptis *res* ante *magnas* inserendum est. — 2, 1 *generum regis et propinquum* ferri quidem potest, si modo verum sit, ut Pharnabazus consanguinitate propinquus Artaxerxis fuerit. Nam quod Pauflerus *propinquum* familiarem hic denotare existimat, nullo exemplo firmatur; imo Cic. p. Mur. 35 ait: *virgo Vestalis hujus propinqua et necessaria*. Propinquitas late patet, ita ut modo affinitati, modo consanguinitati opponatur: Cic. Fam. II ep. 13 *propinqui, affines, amici* (*propinqui* sanguine, *affines* nuptiarum jure, *amici* familiaritate conjuncti); Cic. p.

Planc. *vinculis et propinquitatis et affinitatis conjunctus;* Cic. Fam. III ep. 10 Cæs. B. G. II. VII, 29 cf. c. 27: rursus affinitas propinquitatis nomine appellatur cum a nostro X, 1, 2 tum a Cic. p. Rosc. 34 *tot propinqui cognatique,* Cæs. B. G. VII, 27 *propinqui consanguineique nostri.* — 2, 2 Plene diei oportuit: *Pharnab. quidem habitus est imperat., re autem vera:* ita quoque XIX, 3, 3 et in Hann. 2, 6 *cum quidem* pro *sin;* pariter in Cic. p. Cluent. 19 *verbo ille reus erat, re quidem vera Oppianicus,* id. de resp. Harusp. 28 Verr. VI, 53 Off. III, 5 Orat. I, 11 Tusc. II, 17 in Pis. 7 p. Marc. 9 (alii ibi omittunt *quidem*). — 3, 1 Displicet insolentius *etiam cum* pro *etiam si.*

In *Dione* 1, 2 male *commendatur* pro *celebratur,* ut hodieque Itali, quo sensu demum Gellius VII, 3 s. fin. *nunc commendat nunc objurgat: commendatio* quidem nonnunquam sensu laudandi occurrit, Cic. Fam. I ep. 7 med. *magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis,* de Fin. II, 12. — 1, 4 E codd. *tegebat* pro *tenebat* rescribendum. — 2, 4 *se habere* pro *valere,* ita et Cic. Att. VII ep. 2 *graviter se habere.* — 2, 5 *potestas* a *facultate* ita distinguitur, ut hæc nonnisi facilitatem faciendi denotet; contra *mihi potestas non est* idem valet ac *non possum* (Cic. Att. VIII ep. 3). Ita Cicero de Inv. II, 7 ipse probe inter utrumque vocabulum distinguit, atque Nepos Att. 2, 2. 11, 1. 12, 1 utroque utitur. — Ibid. *sopor* pro potione soporifera usurpatur tantum sequiori ævo Senecæ ep. 83 Quintiliani decl. 246 et Frontini 2, 5, 12. — 4, 3 *manum comparare,* ita Cic. in Orat. 66 *compar. copias contra al.* — 4, 5 *usque eo ut* insolentius et hic et XII, 1, 3. XVI, 3, 1 occurrit: Cicero p. Flacco 23 et Nepos frag. II, 2 *usque adeo ut,* et Virgil. Ecl. I, 12 *usque adeo* pro *in tantum,* uti Servius explicat. — 6, 3 *qui, quod* e duobus codd. rescribendum; varietas e compendio scribendi orta. — 8, 2 Melius dixisset *nisi cuiquam*; etsi et Hirt. B. G. VIII, 1 ait *non esse alicui civitati.* — 9, 2 Displicet *triremem armatis ornat:* navem hominibus *complere* est locutio proprie nautica (Serv. ad Aen. XI, 327 Cæs. B. C. I, 25), uti Græcorum *ναῦς πληροῦν* (Demosth. de fœd. Alex. p. 232 Plut. Pericl. 35 Alcib. 28): contra *naves adornare* apud Cæs. B. C. I, 13 idem valet, quod *naves armare* apud eundem B. C. I, 17. IV, 31, id est *armamentis instruere,* quæ est phrasis Columellæ IV, 3. — 9, 5 *singularis potentia* et XX, 7, 2 *singulare imperium* insolenter dictum est: Lactantium fortasse legerat noster, ille enim sec. ineunte IV de vita beata c. 15 *singularis imperii* nomine *μοναρχίαν* appellavit.

Iphicratis principium imitatio loci Ciceronis videri potest, qui

apud Nonium c. 4, 64 ita legitur: *neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut anteposuissem, aut etiam comparassem.* — 1, 4 Male *peltam pro parma fecit,* ac si hæc maximus clipeus fuerit, quæ e contrario breve scutum et rotundum fuit, quo levis armaturæ pedites equitesque utebantur*): peltastæ latine *cetrati* dicuntur Livio 31, 36. — Ibid. *postea* confundit cum *abhinc;* namque si proprio sensu acceperis, *appellati sunt* pro *appellantur* dici oportuit. — 2, 5 Male *inceptus* pro *incepta*: occurrit quidem apud poëtam Val. Flaccum VI, v. 124. — 3, 4 Nota solœcismum *plus facere,* ut optimi codd. exhibent pro *pluris f.* — Ibid. *utrum — ne* contra usum latinum est: Nepos Att. 5, 4 ait *Cicero an Hortentius,* ib. 12, 5. 15, 1 *utrum — an.* — Ibid. *genuit* glossam esse Bremius et Bardilius recte judicarunt: scribendum *me creavit,* ut Liv. 1, 3 de patre, Virgil. Aen. 10, 705 de matre usurpat.

In *Chabria* 3, 1 *diem certam præstituerunt*: dies certa aliquam contradictionem continere videtur, namque *dies* generis feminini tempus indefinite potius cogitatum denotat, masculini vero diem certum: Cæs. B. G. VII, 13. 27 *præterita die, qua suorum auxilia exspectaverant,* Cic. Fam. I ep. 2 ep. 6 *die quæ debilitat cogitationes,* V ep. 16: Cæs. B. G. I, 6 fin. *diem dicunt, qua die omnes conveniant. Is dies erat a. d. V. Kal. Apr.* Noster V, 4, 3 *nullum diem,* XIV, 11, 2. XVI, 2, 2. 5. — 3, 3 scriptura editionum vulgarium *quoad* auctoritate codd. destituta est. Margo Marciani B *qūo* unice verum habet, simulque viam monstrat, unde scriptura codd. *quo* orta sit, scilicet ex compendiato *quom.* Jam vero Quintilianus I, 7 ait multos adverbium temporis *quom,* causalem conjunctionem *quum* et præpos. *cum* scribere solere. Similiter X, 6, 1 *que* pro *quem* vitiose scribitur.

In *Timotheo* 2, 1 displicet *circumvehens Peloponensum* sensu præteriti: Suetonius quidem in Jul. Cæs. 37 in notione præsentis rectius *Velabrum prætervehens,* Cic. N. D. I, 28 *Triton invehens* beluis, in Bruto 97 *quadrigis vehens.* Cum casu dandi construit Cæsar B. G. VII, 45 *collibus circumvehi,* cum accusandi Hirt. B. Al. 14 *Cæsar Pharon classe circumvehitur.* — 4, 3 *capitis periculum adire*: ita Cic. p. Rosc. 38. — 4, 6 *gesta* et in Hann. 13, 3 *belli gesta* pro *res gestæ* insolenter dictum est: Nep. Att. 18, 6 *facta.*

In *Datame* 6, 5 codex leid., qui *cum* pro *dum* habet, et codd. c schott., qui *tantum* omittunt, ad emendandum locum viam monstrant. Ita enim legendum censeo: *persequitur: qui cum ad.* Verba *tantum dum* interpretamentum redolent, ideoque infra scripta *qui*

---

*) Facciol. Lex. III p. 326.

cum modo ejecta modo cum illis conjuncta *tantum qui dum.* Correctio Lambini *qui tantum quod ad* cum a librorum auctoritate recedit, tum *pervenit* quam *pervenerat* potius dixisset Nepos. — 8, 5 Bosii sententiam probo, qui, quod cod. leid. *in amicitiam rediret* exhibeat, verba *pacem amicitiamque* glossema ad *gratiam* adjectum esse censet. — 10, 2 *partim — partim* e codd. scribendum, ut Liv. 26, 46: *pariter,* quod altera vice in duobus codd. est, glossa ad *pari modo* esse videtur.

In *Epaminonda* 1, 4. 10, 4. XVI, 1, 1 Hann. 12, 5 displicet *virtutes* pro rebus gestis accipi. Neque XVII, 8, 1 satis latine dictum esse videtur de *animi virtutibus* a natura tributis pro dotibus, quas rectius XV, 1, 4 *ingenii facultates* appellat. — 6, 4 *legatio* pro ipsis legatis, uti Cic. Fam. I, ep. 4 Cæs. B. G. II, 35. B. C. I, 23 Liv. 45, 13. — 9, 3 *quoad* triplicem sensum habet, modo pro *quatenus* ponitur VII, 2, 3. XII, 3, 3 Cic. Tusc. IV c. ult., modo pro *quamdiu* Nep. Cat. 2, 4 *quoad vixit, laude crevit,* Nep. Att. 11, 5 Cic. Off. I, 1 Prob. XVI, 4, 1. XVIII, 12, 2, modo pro *donec,* sed ita ut præcedens verbum continuitatem temporis exprimat, quo sensu noster XV, 9, 3. XVIII, 2, 2. 6, 2 Justinus XI, 9. XVI, 1 alibi, Cæs. B. G. V, 17 (9) Cic. Fam. I ep. 9 fin. VI ep. 19. ep. 20 *opperiri quoad scire possis, quid tibi agendum sit,* L. VII ep. 26. XVI, ep. 4. Nonnunquam *donec* quoque cum *quamdiu* confunditur: Ovid. Trist. I, 9, 6 *donec eris felix, multos numerabis amicos,* Horat. Od. I, 9, 17 Liv. 2, 24 fin. 6, 13. 25, 19. Particula *dum* modo *donec* (Terent. Eun. I, 2, 126 Heaut. I, 1, 54 Liv. 4, 21 Prob. IV, 3) modo *quamdiu* (Cic. Lgg. I, 1 Cæs. B. G. VII, 20 *abite dum est facultas,* c. 27) significat. — 10, 3 *pugnari cœpit,* incerta quidem scriptura: ita Varro de re rust. III, 9 *cœpit incubari,* Justinus VI, 4, 2 *contemni cœpere,* id. XIV, 5. Horat. Ep. II, 1, 149 Ars. p. 29. Cic. (Brut. 27) tantum cum *fieri* jungit *cœpit,* alioquin cum infinitivo passivi *cœptus sum,* ut noster alias XIII, 3, 1. XV, 7, 1 Hann. 11, 5.

In *Pelopida* 1, 1 *quantum potuero,* quemadmodum Nep. Att. 19, 1: namque τὸ *posse* exactum cogitatur, *occurram* rem continuo futuram exprimit. Probe et in Hann. 2, 6 inter tempora futura distinguit, ut Cic. Fam. X ep. 13 *qui Antonium oppresserit, is bellum confecerit,* ep. 14 *quod si erit factum, et remp. divino beneficio affeceris, et ipse æternam gloriam consequere:* ubi tertium tantum verbum durat. — 2, 1 *eo* pro *ex eo* (loco) vel *inde* dubito an rectum sit: Cic. ad Brut. ep. 2 quidem *eo* pro *ibi* usurpat, et Nep. Dat. 7, 3 *dimicare eo* et noster XVII, 8, 2 *eodem* pro *ibidem.* — Ibid. *ut quemque* Rothius bene connectit, quod Heusingerus distinctione

interposita separabat: *ut quisque est quicunque*, ut Cæs. B. G. VII, 10 *quæ ab quoque* (pro *quæcunque*) *traduntur.* — 2, 5 *vesperascente cœlo*: in Tacito Ann. II, 49. XVI, 34 demum *vesper. die* invenitur, sed Cæsar B. G. VII, 22 *sub vesperum* ait. — Ibid. *et tempus et dies*: Sallust. Cat. 51, 25 Liv. 2, 26. 22, 39 per tautologiam *tempus* et *dies* conjunguntur; sed illic est *diei tempus*, uti Cæs. B. G. VII, 25 appellat, vel c. 28 absolute *tempus*, vel c. 29 *diem* et *horam* jungit, Sallust. Jug. 108, 2 *colloquio diem, locum, tempus ipse dilegeret.* — 3, 1 *usque* pro *usque eo* scriptura est codd., sed non recte latina. — 4, 3 Argutius ludit in verbis *altera, secunda* et *proxima*: boni scriptores non eandem personam alteram et secundam appellare solent, sed illa est una e paribus, hæc autem inferior, prope tamen accedens, proxima est nonnunquam longiore quam secunda intervallo accedens, ita ut nemo secundus intersit. Cicero de Virgilio, cum eclogas audiret: *magnæ spes altera Romæ* (Donat. vit. Virg. p. 5): Curt. III, 12, 16 *Hephæstio alter Alexander*: Cic. Fam. IV ep. 9 *Marcello aut par aut certe proximus*: idem in Bruto 47 init. *Crasso et Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo, itaque eum neque secundum neque tertium dixerim.* Similiter Horat. Od. I, 12, 18. — 5, 1 *conflictatus est cum adversa fortuna*: Terent. Phorm. III, 2, 20 *conflictare cum malo*, et sine præpos. Cæs. (B. C. I, 23 *conflictari inopia*), Cicero, Tacitus, Celsus, noster XX, 1, 2. — 5, 2 *recuperavit* rarius de personis occurrere Gebhardus in indice Bosiano censuit: locis ab eo prolatis addo Cic. Fam. I ep. 9 Cæs. B. G. VII, 18.

In *Agesilao* 5, 2 *si sana mens esset* imitatio Virgilii Ecl. I, 16 videri potest, qui poëta sæpissime a posterioribus exprimebatur: Cæs. B. C. I, 17 *mentes sanare*, B. G. VII, 18 *ad sanitatem reverti.* Pariter Græci ὑγιὴς et ὑγιαίνειν usurpant, e. g. Demosth. sæpe, Herod. I, 8 τίνα λέγεις λόγον οὐκ ὑγιέα. — 5, 3 *esse* a compluribus codd. abest: non male, uti X, 8, 2.

In *Eumene* 2, 2 *aberat Crateros et Antipater*, itaque 4, 1. XIX, 3, 1. Cæs. B. G. I, 15 *Orgetorigis filia atque unus e filiis captus est*; id. VII, 16 *quorum erat princeps Litavicus atque ejus fratres.* — 2, 4 *prædestinavit* male pro *constituit*: Liv. 45, 40 s. fin. quidem utitur sensu ante destinandi. Christiana locutio illa esse videtur (uti 1 Cor. 2, 7). — 3, 3 *copiæ firmæ*: Cæs. B. G. VII, 22 *cohortes minime firmæ ad dimicandum*, Cic. Fam. XI ep. 10. — 4, 1 Male *cum esset oppugnatum*, absolute pro *depugnatum* vel *dimicatum.* — 5, 7 *conclusio* pro *obsidione* etiam occurrit in Cæs. B. C. II, 22 Vitruv. V, 9 et c. ult. — Ibid. scriptura *hiemps* in aliquot codd. ob-

via observatu digna est: Ang. Maius sic in Frontone bis invenit et p. 277 edidit, itaque est in fragm. Calendarii ap. Gruter. CXXXVI; quidquid contra dicit Scaurus in Putschio p. 2256: cf. Putsch. p. 2292. — 6, 1 Male *utrum* pro *num* ponitur: Cic. Verr. IV, 69. VI, 16 Topic. 4 extr. quidem *utrum* et Liv. 37, 17 extr. *utrumnam* nulla subsequente particula usurpant, sed ita ut facile subintelligatur *nec ne;* noster vero locus propterea vitiosus est, quod alterum incisum *an in Epiro maneret*(ita Lambin. correxit) non reticetur, sed male in parenthesi collocatur *nam tum in Epiro habitabat.* — Ibid. *repetitum in Macedoniam* insolenter quidem dictum; attamen Liv. 25, 27 fin. *missis nuntiis, qui onerarias retro in Africam repetere juberent,* Virgil. in Cul. v. 103 *ima repetebant ad vada.* — Ibid. *eas* friget, judice Tzschuckio. — 8, 5. 9, 6 *anfractus:* Cæs. *B. G.* VII, 19 *si nullus anfractus intercederet.* — 9, 2 *celeritatem adhibere:* Cæs. B. C. I, 17 *adhibita celeritate.* — 9, 3 Nihil moror temporis enallagen *mittit* — *præcepit,* uti X, 8, 3. XIV, 4, 4. 6, 3. 4. XVIII, 4, 2, sed subsequens præsens *ut faciant, minuant* etc. admodum displicet. Consimilis locus pravus in Hann. 10, 5 *convocat* — *præcepit, ut concurrant.* — 9, 6 *imprudentem* durius noster ad *Eumenem* refert, cum de *adversariis* ante locutus sit. — 11, 3 *deuti* pro *abuti* verbum est nemini quod sciam auditum et nostro proprium, neque vero a veteribus Grammaticis notatum, quod nescio an omisissent, si a Corn. Nepote profectum esset.

In *Phocione* 2, 4 *apud eum summum imperium* male: *penes* quidem pro *apud* ponitur a Terent. Adelph. III, 4, 24 Cic. p. Mil. 22, non vero contra. — 3, 3 Pleonastice *hoc eodem profectus est:* in Dat. 9, 5 melius *hoc idem.* — 4, 1 *Huc ubi* e codd. rescribendum.

In *Timoleonte* 2, 2 *utrorumque Dionysiorum* pro *utriusque,* uti in Hann. 4, 2, contra usum Ciceronis est, sed tamen Liv. 30, 8. 42, 54 Curt. 7, 19, 4 pari modo. — 2, 4 *possessionem Siciliæ tenebant* male pro *provinciam in Sicilia ten.,* nam non totam Siciliam tenebant Carthag., sed ἐπικράτειαν (Plut. Timol. 25). — 4, 3 Aut *quod cum* interpungi, aut cum Marc. 1 *eum se* scribi oportet. — 6, 3 *quoque* insolito sensu pro *scilicet.* — 8, 2 *ab Seleuco,* in Ham. 2, 3 *ab Romanis,* Hann. 12, 2 *ab rege:* Cæs. B. G. VII, 14 *ab se natu,* c. 21 *ab se,* c. 13 *ab reliquis.*

In *Hamilcare* 2, 3 *extremo:* utitur Cic. in Pison. ap. Ascon. fragm. T. VI p. 489 Bip. Id. Fam. VII ep. 16 *in extremo,* cæteroquin amant Cic. (de Or. II, 19) et Cæs. (B. G. VII, 21) *ad*

extremum. Nep. Dat. 10, 1 *extremo tempore.* — 4, 2 Male *in Italiam bellum inferre*, pro *transferre.*

In *Hannibale* 2, 4 *dum conficiebatur: dum* cum perfecto apud Cic. ad Att. I, 16, cum imperfecto apud Tacit. Agric. 41 — 2, 6 *te ipsum:* melius dixisset *ipse* ut IV, 4, 3 *se ipse,* namque Hann. non se Antiocho opponit. — 3, 4 *ornatus* est scriptura incerta, Gell. 5, 2 quidem ait *ornatus armatusque ad prœlium equus*, sed dubito an eodem sensu *ornatus* absolute dici possit. — 5, 2 *objectus* hodierno sensu non satis latine usurpatur, apud bonos scriptores *objectionem* significat. — 8, 1 Scriptura cod. monacensis mihi probatur: *Antiochi incitare posset spe fiduciaque: cui.* Qua ex verborum transpositione intelligitur, cur alii codd. verba *inducere posset* post *fiduciaque* rejecerint, alii plane omiserint, unus *excitare posset* in margine exhibeat. — 8, 2 *memoria prodita est:* ita Cic. Off. II, 18, 6. — 9, 1 *Cretam venit* sine præpositione, non probatur Zumptio Grammatico §. 398, etsi in Cic. p. leg. Man. 12 reperitur: *Sardiniam venit,* et in Datame 4, 1 *Aegyptum proficisci.* — 10, 6 *ut scirent se facturum:* nota consecutionem temporum. — 12, 5 *vitam alieno arbitrio dimittere:* si *arbitrio* esset dativus, insolens usus verbi *dim.* pro *permittere* esset, sed h. l. *dim.* est pro *deponere, deserere,* uti in Martial. I, 78 *dimittere animam,* Cic. p. Cæc. 26 extr. *dim. patrimonium,* Hirt. B. G. VIII, 5.

§. 18.

Stilus nostri eandem inconstantiam, quam narratio historica, præ se fert: regulas latinitatis doctrina percepit, sed ne una quidem vita nævis vacat. Genus dicendi posteriorem grammaticum prodit, qui antiquos scriptores procul imitatus est. Elegantiam sæpe deprehendimus *Vitruvii,* qui *dicitur* II, 8 cum accus. et infin. usurpat (cf. nostrum IV, 5, 3), item *videtur* I, 1. 2, 3. V, 1, elegantiam *Ampelii,* qui æque ac noster (II, 1, 2 Themistocles *ordiendus*) c. 32 *Tigranes jam scriptus est,* item c. 33. 37.

Nolim vero malignus Probomastix videri: simul vindex existo Corn. Nepotis, cujus merita libellum nostrum longe antecedunt. Miram quidem similitudinem inter vitas ducum exterarum gentium atque Catonis et Attici Lieberkühnius p. 114 sq. deprehendere sibi visus est, sed quæ affert, cum quoque bono scriptore communia sunt, non proprietatem quandam indicant; utrobique occurrit *cum quo* pro *quocum,* sed etiam apud Ciceronem promiscue, e. g. p. Sull. 3 *cum quibus,* nec non Liv. 4, 24 Plin. 19, 3 et passim. Affert *quum*

et *quum quidem* pro *quamvis*, sed est Ciceronianum quoque, e. g. p. Mil. 35. Nec non usus perfecti post *sic* et formulæ copulandi *quo fiebat*, *neque minus* ubique inveniuntur. Contra in toto Attico nativus est lepor., quo Probi vitæ carent, si illic aliquot menda ducibus vetustis libris correxeris.*). Hæc potius redolent genus dicendi in epigrammate ad Theodosium obvium, ut in eodem terminetur nostra oratio, unde orsa est.

In præfatione ad Atticum noster imitatur locum Ciceronis de Fin. I, 1, qui ita se habet: *aliquos futuros suspicor, qui genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personæ tamen et dignitatis esse negent.* Idem in dedicatione ad Theodosium data vestigia Ovidii premit, qui Tristia incipit in urbem ire jubens, in quam domino eorum ire non liceret: ita Probus libellum ad *fatum melius*, scilicet in conspectum Imperatoris, mittit; quam interpretationem potiorem habeo ea, quam p. V proposui, ut si sortem libri sui volumini deperdito Nepotis opposuisset. In primo hoc versu displicere potest, quod *memento* non cum genitivo vel accusativo, sed cum ablativo struitur: verum et Plautus Asin. 5, 2, 84 et Cic. Att. 15 ep. 27 extr. cum ablativo et præpositione *de* construunt. Ut versu quinto *sed* transponitur, ita in Virgilio Aen. I, 23. 357 et Horat. Od. IV, 4, 35 (adde Zumpt. Gr. §. 358). Ut v. 6 *vincit* in cæsura ultimam syllabam producit, sic Virgil. Ecl. IV, 4 *venīt*, Ecl. X, 69 *amōr*, Hor. Serm. I, 5, 90 *soleāt*, Serm. II, 3, 260 *agīt*, Ovid. Met. 3, 114 *solēt*, de arte am. 3, 63 *præteriīt*. Uti versu penultimo *meāque* occurrit, ita præter Prudentium supra productum Ausonius epigr. 92, 2 *utrāque* usurpat.

Ad extremum id tenendum est, Nepotis nomen ex mera conjectura invectum esse. Etsi adversarii probassent, fieri posse, ut Nepos scripserit, nihil tamen probassent: ego vero si probavero, fieri posse, ut Probus auctor sit, vicero, cum testimoniis externis confirmatus sit. Nec vero id solum, sed etiam Nepotis fama et ætate libellum nostrum inferiorem esse demonstrasse mihi videor.

---

*) Attic. 8, 1 unice rectam scripturam habet cod. monac. *illud tempus occiso Cæsare', quo:* c. 9, 4 *distineretur* e cod. coll. Rom. duobusque aliis legendum: c. 9, 7 *ejus* expungendum cum codd.: c. 10, 4 ante *Canum* e cod. monac. addendum *causa*, quod propter superscriptum *Gellium* excidit. c. 11, 1 *emersit* ex cd. coll. Rom.: c. 12, 3 ex eodem addendum *Athenis* ante *habitabat:* c. 12, 4 *quem* ante *post proscr.* e superioribus male repetitum ejiciendum: c. 13, 1 cum ed. coll. Rom. *minus* ante *ille* addendum: c. 15, 3 verba *Marci Q.* tamquam glossa ad *Ciceronum* suspecta sunt: c. 17, 1 *esset* post *cum* adde ex codd. monac. et coll. Rom. — In Catone 2, 2 Pighium sequor *iratus, consulatu peracto* scribi jubentem.

COMPENDIORUM ET SIGLORUM PER EDITIONEM OBVIORUM RATIO.

Litteræ maiusculæ A B C, quas per sex primas Aemilii Probi vitas in adnotatis posuimus, non singulos quosdam libros, sed librorum ordines tres designant, de quibus p. 252 sqq. dictum est. Postea cum lectorum iudicio satis prospectum videretur, brevitatis causa omisimus, ita ut ex. gr. dan. idem sit quod A dan., a idem quod B a, f quod C f.

Littera E maiuscula perpetuo per totam editionem ad distinguendas editiones impressas usi sumus, ut E v sit Editio veneta et sim.

Singulis litteris codices signavimus eos, quorum æquabiliter collatorum per omnem librum auctoritas citatur, contra pluribus litteris eos, quorum hic illic fit mentio, ut de illorum scriptura constare etiam debeat non monito lectore, de horum non nisi monito.

Uncis inclusimus compendia iis locis, quibus de codicum lectione non testimonio, sed solo silentio iudicare licebat, addito etiam interrogandi signo, cum silentium dubiæ videbatur fidei. Sine uncis signum interrogandi appositum est, si quando de lectione diserte laudata dubitandi causa fuerat idonea. Itaque ut exemplo utar, c (quod est siglum codicis Leidensis) nude positum significat lectionem diserte proditam, c? proditam quidem sed dubiam, (c) non testatam neque tamen suspectam, (c?) neque testatam et suspectam.

Bini unci aversi)(designant scripturam eam, quæ in verborum ordine superne legitur.

om. i. e. omitit *vel* omittunt.

spl. i. e. super lineam.

Cum superesset aliquid spatii vacui, pauca quædam addenda censuimus.

p. 172 sqq. med. quo compendio per Catonis vitam usi sumus, ubique Mediceum codicem LXIII, 30 significat. Nam quod Cat. 1, 1. ad v. *Tusculo* adducitur Mediceus alius LXVII, 25, eum librum semel et ad eam solam vocem (fide Catalogi Bandiniani) citari intelligendum est.

p. 240, not. 31. Quæ ad hunc locum p. 262 addi iussimus, ea inducenda sunt et sic scribendum: «Neque *his omnibus*, quod Schefferus Att. 11, 2 in ea editione vidit, ad quam codicis Leidensis collationem instituit, et pro quo vulgatum *his omnia* etiam in hoc codice recte scriptum erat, est in prima Lambiniana, a Lambino ipso a. 1569 curata, sed in repetitione Francof. 1608, quæ tamen et ipsa Eum. 9, 2 *transisse* habet; ut nescias, ad quodnam potissimum exemplum collatum fuisse codicem Leidensem iudices.»

p. 242, not. 34. Postea cognovi, iam in prima Keucheniana editione, quæ a. 1658 vulgata est, de codice Sluiskenii eadem verba, quæ in posterioribus, legi, tamen ita, ut pro *rubrico lemmate* melius *rubricato lemmate* (i. e. titulo rubro colore exarato?) exstet. Tum id quoque addendum, vix ab ipso Keuchenio, quippe quem a. 1675 in præfatione Frontino præfixa Tennulius memoret naturæ concessisse, postremam Aemilii Probi editionem Keuchenianam a. 1675 posse curatam videri. Denique de collatis ab eodem Keuchenio membranis iudicium simile nostro Oudendorpius fecit ad Frontinum.

p. 250, not. 48. Keuchenius quoque Savaronianam editionem nonnumquam consuluit, sicut ad Alc. 4, 2. Epam. 2, 2. Hann. 1, 3.

INDEX CODICUM MANUSCRIPTORUM.

INDEX EDITIONUM IMPRESSARUM.

ÆMILIUS PROBUS

DE

EXCELLENTIBUS DUCIBUS

EXTERARUM GENTIUM.

ÆMILIUS PROBUS
DE
EXCELLENTIBUS DUCIBUS
EXTERARUM GENTIUM.

Hunc titulum præferunt codices et plurimi et optimi: Guelferbytanus, Urbinas 436, Sangallensis, Fæsulanus 181, Parisinus 5826, Monacensis, Thottianus, Harleianus 2580, Lucensis, Vossianus A., Chisianus B., Schottianus. Item Vaticanus 3170 et Bœclerianus, nisi quod ordine inverso nomen exhibent *Probus Emilius;* tum Urbinas 505, Angelicus, Gaddianus, Axenianus, in quibus est *Emilii Probi* et in postremo *externarum.* Paulo liberius Chisianus A.: *Emilii Pr. de excellentissimis duc. ext. gent.*; Cantabrigiensis: *Æm. Pr. de excell. exterarum nationum Viris;* Florentinus 67, 25: *Æmilii Probi de Excell. Viris et Ducibus gent. ext. Liber;* Harleianus 2601: *de exc. Græciæ et ext. gent. ducibus;* Arlenianus: *Æmylii Probi de imperatoribus ext. gent. liber.* In codice Danielino index hic erat: *Incipiunt capitula in librum Æmilii Pr. de exc. duc. ext. gent.* et titulus: *Liber Æmilii Probi de laudibus ext. gent.*

Postrema verba *exterarum gentium* non comparent in Lugdunensi Segusianorum, Cæsenati, Escurialensi, Valentiano. Absunt eadem a reliquis, quorum nonnulli in alia omnia discedunt. Parisinus 5837: *Æmilius Probus de ducibus illustribus;* Claromontanus: *Æm. Pr. de viris illustribus;* Uffenbachianus: *Æm. Pr. de claris ducibus;* Parisinus in armamentario: *Æm. Pr. de viris excellentibus;* Ottobonianus 1909: *Libellus de vita excell. Imperatorum Probi Emilii;* Vaticanus 5262 et Hænelianus: *Æm. Pr. de Clarorum Imperat. vita;* Leidensis alter: *Probi Hæmylii de vitis claror. imperat. liber;* Vratislaviensis: *Æmilii Pr. vitæ exc. imperatorum;* Marcianus prior: *Æmilii Pr. Vitæ Plurimorum Excell. Imperatorum;* Parisinus 6143: *Probi Em. vitæ Atheniensium liber;* Vaticanus 3412: *Em. Pr. de vita. XXII. Virorum illustrium grecorum;* codex collegii Romani: *Probi Æm. vitis illustrui virorum libellus aureus hac emendatissimus;* brevissime Marcianus alter: *Æmilius Probus.*

Denique editorum codicum tituli sic habent. In editione principe Veneta legitur: *Æmilii Probi viri clarissimi de vita excellentium liber incipit feliciter;* in Argentoratensi: *Æm. Pr. v. cl. de v. exc. imperatorum ad Titum Pomponium Atticum;* in Ultraiectina: *Excellentium Imperatorum Liber Autore Æmilio Probo. ad Atticum;* in Parisina Savaronis: *Æmilius Probus de vita exc. Imp.*

Cornelii Nepotis nomen præferre dicuntur Vindobonensis unus, Harleianus 2601, Parmensis, Madritenses duo, Toletani duo.

Inscriptum est præfationi varie in libris quibusdam. *Prologus* est in Danielino, Vossiano A., Axeniano; *Procemium* in Leidensi altero, Angelico, Chisiano A., Edit. Ultraiectina; *Præfatio* in Hæneliano, Vaticano 5262, Florentino 67, 25. Ceteri magno numero ea vocabula ignorant. Vulgatum *Præfatio* est ab Longolio.

1. Non dubito, fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturæ leve et non satis dignum summorum virorum personis iudicent, cum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminundam; aut in eius virtutibus commemorari, saltasse eum commode scienterque
5 tibiis cantasse. 2. Sed hi erunt fere, qui expertes litterarum Græcarum nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putabunt. 3. Hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari, non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. 4. Neque enim
10 Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio: quippe cum cives eius eodem uterentur instituto. At id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducitur adulescentulis, quam plurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni vidua tam est nobilis, quæ non ad scenam eat,
15 mercede conducta. 5. Magnis in laudibus tota fere fuit Græcia, victorem Olympiæ citari; in scenam vero prodire ac populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. 6. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ
20 apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet, uxorem ducere in convivium? aut cuius non materfamilias primum locum tenet ædium atque in celebritate versatur? 7. Quod multo fit aliter in Græcia. Nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum;

3. Epaminondam.

1. *Dubium* C i. — *qui Atticæ* B schott. arlenianus. *Attice* om. B c. — *quum* B d. *quom* C f. — *qui mu.* B schott. — *examinandam* B e C f. *Epaminondam* B c C i E u s. — *commorati* B d e. schott. savar. *commemorati* E v. — *scierintque* C f.

5. *Tybiis* B a b. — *hii* B a. *ii* C f h i l. *nichil* B a b. (semper) — *quod* om. B e. — *ipsorum virtutibus conv.* C h. — *putabant* B a. — *Hii* B a e C f. *ii* B b c d oxon. C l. — *eandem* B e. — *institutis maiorum omnia* C i. — *sequutos* B d.

10. *Cymoni* C f g h. — *habuisse* B c (nisi ad v. 13 spectat) — *quum* E u (quæ sæpe sic habet.) — *eius cives* C l (?) *eius* om. C h — *id quod non* B c — *Græcia datur ad.* C f. — *adulescentulis* om. B oxon. *adolescentulos* B c. *adolescentulis* B b E v a s. — *habuisse* A dan. E u — *Lacedæmone* C f E u. — *vidua tam est nobilis* B a b. *femina vidua nobilis* C monac. *tam est nob. vidua* reliqui. — *scenam* spl. *l'ce* B a.

15. *Fere* om. E v a. — *Græcia fuit* C i k. — *olimpiæ* B a b C f. — *ac populo* B b c. *a populo* B a *et pop.* reliqui. — *turpitudini fuit* C i. — *partim infamia* om. B oxon. — *ab* om. C i. — *ea* om. E u.

20. *Cum enim* B e. — *uxorem* om. C f. — *at cuius* B a c e. schott. *ac cuius* C f. — *mater familias non* E s. (ab Aldo) *matrifamilias* B c. — *versatum* C k. — *convivium a patre* B c.

neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione coniunctus. 8. Sed hic plura persequi magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum. Quare ad propositum veniemus et in hoc exponemus libro de vita excellentium imperatorum. 8

1. *In* om. C h E v. — *interiori* C f. — *gynæconitis* C h k E v a u s; omitt. in lacuna C g *gynechonites* B d. *gynecorites* B b. *gynechorites* B c schott. *gynethorites* B e. *gynecherites* C f. *cinechoritis* B a. *γυναικωγῖτις* C i. — *appellantur* B c. — *hic* om. B e C f E v a s. *Sed hæc* B a b c C g h k l. *Sed hic* A dan. leid. E u (B oxon. C i ?) — *prosequi* C i. — *pers. cum magnitudo* B d C l E v a. *pers. tum magn.* E u s.)(B a b c e C f g h i k. — *explices* B c. — *Quare ..... imperatorum* om. E u. — *libro exp.* E s (a Lambino) — *de vita* om. B d C l?

I.

MILTIADES.

Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis, cum et antiquitate generis et gloria maiorum et sua modestia unus omnium maxime floreret, eaque esset ætate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem eum futurum, qualem cognitum
5 iudicarunt: accidit, ut Athenienses Chersonessum colonos vellent mittere. 2. Cuius generis cum magnus numerus esset, et multi eius demigrationis peterent societatem: ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur. Namque tum Threces eas regiones tenebant, cum
10 quibus armis erat dimicandum. 3. His consulentibus nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem imperatorem sibi sumerent: id si fecissent, incepta prospera futura. 4. Hoc oraculi responso Miltiades cum delecta manu classe Chersonessum profectus cum accessisset Le-

5. Chersonesum. 13. Chersonesum.

Miltiades. Sic huic vitæ et ceteris indicem præponunt A dan. C f E s, item E u, quæ tamen in vitis Themistoclis, Alcibiadis, Thrasybuli, Chabriæ, Timothei, Epaminondæ, Eumenis, Timoleontis, Annibalis pro indice prima ipsarum vitarum verba vel quattuor vel duo superscripta habet. *De Miltiade*, *de Themistocle* et cet. B a b fæsulan. oxon. C thott. g i *Miltiadis vita* C h k cantabr. E v a. Nullos habet vitarum titulos C mon.

1. Miltiadis nomen varie libri scripti corruperunt: *Militiades* A dan. B a. *Milciades* B b C f thott. k. *Milcyades* C g h i k. *Myleiades* C k. — *Cymonis* C g — *filius* om. B c. — *molestia* B e — *iam non* C monac. g h k l. *iam de eo non solum* C i — *talem eum fut.* A dan. leid. E u. *talem fut.* reliqui. *futurum esse qualem* B oxon.

5. *Iudicarint* C f. *iudicarent* C g — *Chersonesum* C f E s. *Chersonnesum* E v a u. *Cheronesum* B c. iidem sic in seqq. — *Ch. et colonos* C f. — *eiusdem migrationis* C f. — *ex iis* B schott. — *qui consulerent Apollinem* om. B c. — *Nam tum* B b d e C g h i k l E v a s. *Namque tamen* B c)(A dan. gif. B a C f E u. — *Treces* A dan. B a. *Cretes* C f. *Thræces* A gif. *Traces* B b C h. *Thraces* reliqui.

10. *Hiis* C f. — *Phitia* B a b c. *Phytia* C thott. — *sibi imperatorem* (B c d e?) E v a u s. — *id Miltiades dilectus cum delecta* B c. — *provectus* C f.

mnum, et incolas eius insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque Lemnii sua sponte facerent postulasset: 5. illi irridentes responderunt, tum id se facturos, cum ille, domo navibus proficiscens vento aquilone, venisset Lemnum. Hic enim ventus, ab septemtrionibus oriens, adversum tenet Athenis proficiscentibus. 6. Miltiades, morandi tempus non habens, cursum direxit, quo tendebat, pervenitque Chersonessum. 5

II. 1. Ibi brevi tempore barbarorum copiis disiectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communiit, multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit crebrisque excursionibus locupletavit. 2. Neque minus in ea re prudentia quam felicitate adiutus est. Nam cum virtute militum devicisset hostium exercitus, summa æquitate res constituit atque ipse ibidem manere decrevit. 3. Erat enim inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine, neque id magis imperio quam iustitia consecutus. Neque eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus. 4. Chersonesso tali modo constituto, Lemnum revertitur et ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. Illi enim dixerant, cum vento borea domo profectus eo pervenisset, sese dedituros; se autem domum Chersonessi habere. 5. Chares, qui tum Lemnum incolebant, etsi præter opinionem res ceciderat, tamen, non dicto sed secunda fortuna adversariorum capti, resistere ausi 10 15 20

7. Chersonesum. 19. Chersoneso. 22. Chersonesi. — Čares.

1. *Insulatæ* B e. — *insulæ eius incolas* C i — *potestate* C k. — *idque ut Lemnii* E s (a Lambino). *Lennii* C h. — *sponte ut facerent* E u. — *inridentes* C l. *ridentes* C thott. — *se* om. B c. — *futuros*, in marg. *facturos* B a. — *venissent* B c. — *Hic .... proficiscentibus*, in marg. *Versus suppositītius* E u.

5. *Ab septemtr.* A dan. B c. *a sept.* reliqui. — *barbarum* A dan. B a c. *barborum* E a. — *communivit* C f i k l E v a u.

10. *Crebris excurs.* C thott. — *Nec minus* C i. *N. in ci.* B c. — *in* om. E v. — *adiunctus*, in marg. *adiutus* C l. *fel. usus est* C cantabr. — *hostium devicisset* C monac. g h i k l. — *enim* om. C i k.

15. *Setius* B a C k. — *Ath. quibus* C g. *Ath. cum quibus* C f. *Ath. quibuscum* B c C h E v a *Ath. ac quibuscum* C monac. *Ath. aut quibuscum* C k putean. E s. *Ath. aut quibuscunque* C i l.)(A dan. gif. B a b d e savar. E u. — *præfectus* C monac. — *obtinerent* C f. — *constituta* C g h i k l E v a u.

20. *Ex constituto postulat* B schott. (nisi ad v. 19. spectat). — *borrea* C g k l. — *se dedit.* C i. — *dumum* C f. — *Cares* C g h i E u s. — *incholebatur* B a. — *fortuna* om. C h.

non sunt atque ex insula demigrarunt. Pari felicitate ceteras insulas, quæ Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

III. 1. Eisdem temporibus Persarum rex Darius, ex Asia in Europam exercitu traiecto, Scythis bellum inferre decrevit. Pontem
5 fecit in Histro flumine, qua copias traduceret. Eius pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex Ionia et Æolide duxerat; quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. 2. Sic enim facillime putavit se Græca lingua loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate, si amicis suis
10 oppida tuenda tradidisset, quibus, se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. 3. Hic cum crebri afferrent nuntii, male rem gerere Darium premique a Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ dimitterent. 4. Nam
15 si cum his copiis, quas secum transportarat, interisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Græci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo; et facile effici posse. Ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro vel inopia paucis diebus interiturum. 5. Ad hoc consilium cum
20 plerique accederent, Hestiæus Milesius, ne res conficeretur, obstitit dicens: non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire et

20. Histiæus.

1. *Demigraverunt* C g. — *cæteras* C f g h E v a (semper sic). — *Ciclades* C f thott. g. — *redigit* B c. — *potestate* C g h. — *Dareus* E u (semper sic). — *traiecto exercitu* C i. *exercitum* C k. *traiectam* B e. — *Scytis* C f thott. *Scithis* B b.

5. *Hystro* A dan. B a C thott. k. *Istro* C h l E u s. — *quo copias* B d e schott. C g l E a. *qui copias* C i. — *Æolidæ* E a. *Eolide* B a b C f. — *declarat imperia* C thott. — *putavit facillime* (B c d e C l ?) E v a s. — *Græcia* C k. — *suis amicis* C g h.

10. *Sui oppida* B a. *sua opp.* C f. *opida* C k (semper sic). — *nulla oppresso* C i. — *spe* C f. — *tum* om. C thott. g h i k — *numero fuit* C i k l. — *cust. traderetur* B d e schott. oxon. C i l cantabr. — *asferrent* A dan. *aferrentur* C g. *affirmarent* C thott. — *rem gere* B a. — *primique* C i. — *ab Scythis* B d E v a s. — *Miltiades* om. C i. — *a* om. E v. — *occassionem* B a.

15. *Transportarat* A dan. B a C f E u. *transportaverat* reliqui. — *interiisset* E u. — *etiam* om. C i. — *Asyam* B a. — *Græcos generis* B c. — *futuros* om. C i. — *periculo. Id et facile* (C l?) E v a u. *periculo facile* C i.)(A gif. B a b c d e schott. C f g h k E s. — *reciso* B c C g. — *regem* om. C f. — *ut hostium f. ut inopia* C f. —

20. *Hestius* in marg. C g. *Hesticus* in marg. C h. *Hosticus* in marg. C i. *Hostieus* C k. *Hostiens* C f. *Histiæus* E v a u. — *Milesius* om. E s. *Miselius* B a. *Misellius* C f. — *conficerentur* C f. — *summam* C g.

multitudini, quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio: quo extincto ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos. Itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius, quam confirmari regnum Persarum. 6. Huius cum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades non dubitans, tam multis consciis ad 5 regis aures consilia sua perventura, Chersonessum reliquit ac rursus Athenas demigravit. Cuius ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, cum amicior omnium libertati quam suæ fuerit dominationi.

IV. 1. Darius autem, cum ex Europa in Asiam redisset, 10 hortantibus amicis, ut Græciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit eique Datim præfecit et Artaphernem; hisque ducenta peditum, decem milia equitum dedit: causam interserens, se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardis expugnassent suaque præsidia interfecissent. 15 2. Illi præfecti regii, classe ad Eubœam appulsa, celeriter Eretriam ceperunt omnesque eius gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is est ab oppido circiter milia passus decem. 3. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno 20 permoti auxilium nusquam nisi a Lacedæmoniis petiverunt, Phydip-

6. Chersonesum.

1. *Regni* B c. — *pulsos* C h. — *daturus* C f. — *ideoque adeo sic abh.* C f. *se sic abh.* C k. — *putaret* C h. — *plerique essent* C f.

5. *Consecuti* B c. — *multis consiliis* B c d C f; item sic erat in B a, sed correctum et in marg. *consciis* a m 2. scriptum. — *aureis* E s (sæpe sic, ab Lambino). — *aures regis sua consilia* C i. — *perv. et Chers.* C f. — *hac rursus* B c. — *demigravit Athenas* C i k. — *valuerit* C f. — *amicitior* B a b C f thott.

10. *Asyam* B a — *rediisset* C g h — *classes* B b C thott. — *Datin* E v a u s. *Dathim* C g h i. *Dathym* C k. *Dathiorum* in marg. C i. — *præficit* A dan. — *Arthaphernem* B a C f g i. *Arthafernem* C k. *Archafernem* C h. *Artaiternem* B c. — *ped. milia, decem eq.* E v a u. *ped. millia et decem eq.* E s (ab Aldo). *X. m. equitum* C i.)(A dan. B a b c C f monac. g h k l — *millia* C g E s (semper) — *causas* C f — *Atheniensibus esse* C i.

15. *Vones* C f — *Sadis* B a b C f. *Sardeis* E u — *regis* C f — *ad* om. g h i k l — *Erethriam* B a b C i. *Erithriam* C h. *Erythriam* C g. *Erythream* E v a — *omnisque* C h — *eius civitatis cives* C i — *Asyam* B a — *ad suas* B a *et suas* C i — *Is abest* E s (ab Aldo) — *passuum* E a u *passus. X.* C h i.

20. *Tumulto* B c — *Attheniensis* B a — *tamque magno* om. C g. *tam magno* C h i. — *Phydippumque* A dan. gif. B a. *Phidippumque* B b C monac. *Philippumque* reliqui.

pumque cursorem eius generis, qui hemerodromœ vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. 4. Domi autem creant decem prætores, qui exercitui præessent, in eis Miltiadem. Inter quos magna fuit contentio, utrum mœnibus
5 defenderent, an obviam irent hostibus acieque decernerent. 5. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent, de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, audere adversus se tam exiguis copiis dimicari.
10 V. 1. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit præter Platæenses. Ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem milia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. 2. Quo factum est, ut plus quam collegæ Miltiades valuerit. Eius ergo auctoritate impulsi Athenienses copias
15 ex urbe eduxerunt locoque idoneo castra fecerunt. 3. Dein postero die sub montis radicibus, acie e regione instructa nona partis summa prœlium commiserunt, (namque arbores multis locis erant raræ) hoc consilio, ut et montium altitudine tegerentur et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur.

16. Acie regione instructa non apertissuma prœlium.

1. *Qui* om. C g — *hemerodromœ* A dan. gif. C monac. *hemerodrome* B a b. *hemerodromæ* B c d. *hemordrame* B e C thott. *hermodrame* C g. *hemordromem* C f. *hemordomi* C h. ἡμεροδρόμοι E u; in marg. C g h, item C i in ordine, quare in lacuna om. C k. *hemerodromi* E v a s — *vocatur* B e C f — *quam* om. B e — *Domi erant autem creant* B c — *creant*, in marg. *al'* *creati* C l. *creati* C monac. g h k E v a s — *decem* om. C g h i k — *Miltiades* C h k E v a s. *Miltiadem*, in marg. *al'* *Miltiades* C l.

5. *Hostibus* om. E u. *host. an æque contenderent. Unus* E v a — *acieque decertarent* B d e schott. — *ut pro*, in marg. *al'* *primo* C g — *accensurum* C h — *ea de re* C f. *eadem de re* C g h i k — *auderi* B c d ? — *adversus se audere* C i — *adversum* C h — *dimicari* om. B oxon. *dimicarent* A dan. ? *dimicare* C k l E a.

10. *Atheniensis* B c — *præter Pl. .... manus* om. B e — *Platheenses* C thott. *Platenses* A gif. B d C l. *Platentes* B c — *mile* C thott. k — *misit mille* C i — *militum* om. C h — *Itaque hominum adv.* C i k cantabr. — *pugnandi* om. C g — *ut Miltyades plus q. coll. v.* C i — *Milciadis opinio val.* C f — *valuit* B a *valeret* A dan. B c — *ergo* A dan. gif. E u. *enim* E v a s om. reliqui.

15. *Extra urbem* C k — *abduxerunt* C thott. — *Dein* A dan. *deinde* reliqui — *postera* C i k l — *motis* C k — *radicibus montis* C i — *nona partis* A gif. E u. *nova partis* A dan. *nana partis* B a. *non apertis* B b *et non apertissima proe.* B c. *inst. in parte montis summa* B e schott. savar. *inst. parte summa* C f. *inst. vi summa pr.* C thott. *inst. nova arte vi summa pr.* B d ? C monac. g h i k l E v a s. *nona partis summa* om. in lacuna C putean. — *nanque* C h E v (semper) — *arbore militis locis erant stratæ* B c ? — *consilio et ut* E a — *altit. teger.* A dan. gif. *teger. altit.* reliqui — *regerentur* B e.

4. Dathis, etsi non æquum locum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat: eoque magis, quod, priusquam Lacedæmonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem milia produxit prœliumque commisit. 5. In quo tanto plus virtute valuerunt 5 Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarint adeoque perterruerint, ut Persæ non castra sed naves petierint. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. Nulla enim umquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

VI. 1. Cuius victoriæ non alienum videtur quale præmium 10 Miltiadi sit tributum docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. 2. Ut enim populi .R. honores quondam fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. 3. Namque huic Miltiadi, quia Athenas totamque Græciam 15 liberarat, talis honos tributus est, in porticu, quæ Ποιχίλη vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima eius imago poneretur isque hortaretur milites prœliumque committeret. 4. Idem ille populus, postea quam maius imperium est nactus et largitione magistratuum corruptus est, trecentas sta- 20 tuas Demetrio Phalereo decrevit.

VII. 1. Post hoc prœlium classem .LXX. navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ barbaros adiuverant,

1. Datis.

1. *Datis* E v a u s — *locum æquum* E v a s — *quod* om. B e C i — *veniret* B e — *arbitrabantur* B c — *acie* C l E v a — *C. equitum X. m.* C i — *perduxit* C f.

5. *Profligaverint* C l. *profligarent* spl. *ri* C i. *profligarent* (B d e ?) E v a s — *ad eos perterr.* A dan. ? *adeo perterr.* B e — *perterruerunt* C g h i k l E v a — *petierunt* C l. *peterent* E v a — *Quoniam pugna* B schott. — *est nolubilius* B b. *est volubilius* B e schott. *est his nobilius* B a C f i l — *unquam tantas opes pr. tam exig. manus* C i.

10. *Miltiade* B e — *possit inde eandem* C l. *possit talem omnium* in litura C h — *enim* om. E v a — *populi. R.* A dan. gif. leid B a. *populi ro.* C i. *populi et* C f *pop. nostri* reliqui — *condam* C k — *fuere* C i. — *tenus* B e — *absoleti* B d. *aboleti* E v a — *repperimus* C f g —

15. *Nam huic* B c — *Milt. quid* A dan. *Milt. qui* (B d e ?) E v a u s. *Milt. ea* B c — *Græcia* B c — *liberavit* (B d e ?) E v a s — *ποιχίλη* A dan.; in marg. C g h i *pœtile* C f thott. g h i E s. *pæcile* reliqui — *matrimonia* C h — *ymago* C f thott. g. — *milites prædiumque* B e — *postequam* B a *postquam* E s.

20. *CCC. as statuas* C i — *Phalerio* B c d C f g i k l. *Falerio* C h — *decernit* C i k l. — *prœlium* om. B oxon. *prædium* B e — *.LXX.* B a C h i *septuaginta* reliqui — *eiusdem* C thott. *ei Milt.* C i — *ut in insulas* B a

bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coegit, non nullas vi expugnavit. 2. Ex his Parum insulam opibus elatam cum oratione reconciliare non posset, copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit omnique commeatu privavit; dein
5 vineis ac testudinibus constitutis, propius muros accessit. 3. Cum iam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est. Cuius flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classiariis regis datum.
10 4. Quo factum est, ut et Parii a deditione deterrerentur, et Miltiades, timens ne classis regia adventaret, incensis operibus, quæ statuerat, cum totidem navibus atque erat profectus Athenas magna cum offensione civium suorum rediret. 5. Accusatus ergo est proditionis, quod, cum Parum expugnare posset, a rege corruptus
15 infectis rebus discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido acceperat. Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba fecit frater eius Sagoras. 6. Causa cognita capitis absolutus, pecunia multatus est, eaque lis quinquaginta talentis æstimata est, quantus in classes sumptus factus erat. Hanc
20 pecuniam quod solvere in præsentia non poterat, in vincla publica coniectus est ibique diem obiit supremum.

1. *Persequerentur* C i. *prosequeretur* C l — *imperio plures ad* B e schott. — *Parum* spl. *on* B b — *e navibus* om. C g h k l — *opibus* E v — *deinde* C f g h i k E s (ab Ascensio).

5. *Vineis et test.* C h k — *proprius* B c C f — *flamma ab* B c — *a clas. signum* C i. *signum et clas.* C g *signum adversariis datum* B oxon. — *regiis* (B c d e ?) E v a u s.

10. *Est et ut P.* B e. *est et P.* B c. *est ut P.* B b d E v s. *est ut et P.* A leid. B a C f g h i k l E a u — *Parum* B c C f — *detererentur* C g h k E v. *detereretur* C f (sæpe sic) — *opibus* E v — *stutuerat* B a — *Athenas profectus* C i — *est* om. (B b c d e C i k l ?) E v a. *est ergo* A dan.? *ergo est* B a C f g h E u s — *Parum* spl. *on* B b.

15. *Infectis rebus a pugna disc.* (B d e ?) E v a s. *infectis omnibus disc.* B c. *rege corr. inf. rebus a rege disc.* B a C thott. g h k; item B b, sed eadem manu posterius *a rege* deletum. *posset largitione corr. inf. rebus ab ea disc.* C f.)(A dan. leid. B schott. C i l E u — *recessisset* C i — *oppido* om. C f — *ceperat* B c e E v a — *itaque cum ipse* E u — *ipse* om. C i k l — *verbat* C i — *Sagoras* A dan. B a b d e schott. C f thott. E s. *Isagoras* C g i k l. *Itagoras* C h. *Isagonas* B c. *Dagoras* E v a. *Diageras* E u — *absoluta* B e. — *multatus* A dan. B a d E u s, item hoc loco E v. *mulctatus* reliqui — *eaque .... æstimata est* om. C f — *L. talentis* C h i — *extimata* C g h — *classes* A dan. B a b c C f k. *classe* C monac. *classem* C g h i E v a u s.

20. *In præsentia* om. E v a u — *non posset* C f — *vincla* B a C k E v a. *vincula* reliqui — *est* om. B c.

VIII. 1. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia causa fuit damnationis. Namque Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quæ paucis annis ante fuerat, omnium civium suorum potentiam extimescebant. 2. Miltiades, multum in imperiis magnisque versatus, non videbatur posse esse privatus, præsertim cum 5 consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. 3. Nam Chersonesso omnes illos quos habitarat annos perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusque fuerat appellatus, sed iustus. Non erat enim vi consecutus sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinebat. Omnes autem et dicuntur et habentur tyranni, 10 qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quæ libertate usa est. 4. Sed in Miltiade erat tum summa humanitas tum mira communitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret; magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus respiciens maluit eum innoxium 15 plecti, quam se diutius esse in timore.

7. Chersoneso.

1. *Pariio* Bc. *pravo* Ci – *causa fuit* BabCf thott. ghik. *fuit causa* reliqui — *dampnationis* Ba — *Nam Athen.* (Cl ?) — *Pysistrati* Ba Cf thott. *Pisystrati* Ea – *civium suorum* A dan. Bab Cfghik. *suorum civium* reliqui — *in* om. Bc Ckl — *imperis* Ba – *magistratibusque versatus* Eva us)(A dan. gif. Babc oxon. Cfghi kl cantabr.

5. *Posse privari* C thott. — *trahi viderent* Cf — *Chersonessi* Cghikl)(Babcde Cf Evaus – *omnis* Ch. *illos omnes* Ci — *habitaverat* Cik — *optinuerat* Ev — *tyramnusque* Bb (semper fere sic) – *enim erat* Ci.

10. *Et dic. et hab.* Bab Cfghik Eus. *et dic. tyranni et hab.* A dan.? *et hab. et dic.* reliqui – *perp. usi in ea* Cf – *quæ* om. Be – *erat* om. Cikl – *tum summa* A dan. gif. Babc Cfl Eu. *cum summa* reliqui — *communitas* A dan. gif. Babe schott. *communitas*, in marg. *al' comitas* Bd. *comitas* reliqui – *omnis* Bde – *civitatis* Ba.

15. *Eum* om. Es – *illum innoxium* Eu.

II.

THEMISTOCLES.

Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. Huius vitia ineuntis 1 adolescentiæ magnis sunt emundata virtutibus, adeo ut anteferatur

1. *Neoclis* Eu (ab Aldo) – *vicia* Ba Cg Ea (semper sic) – *ineunctis* Ch – *emundata* Babd. *emendata* spl. Bd, reliqui.

huic nemo, pauci pares putentur. 2. Sed ab initio est ordiendus Pater eius Neoclus generosus fuit. Is uxorem Acarnanam civem duxit, ex qua natus est Themistocles. Qui cum minus esset probatus parentibus, quod et liberius vivebat et rem familiarem negli-
5 gebat, a patre exheredatus est. 3. Quæ contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam cum iudicasset, sine summa industria non posse eam extingui, totum se dedidit rei. p., diligentius amicis famæque serviens. Multum in iudiciis privatis versabatur; sæpe in contionem populi prodibat; nulla res maior sine eo gerebatur,
10 celeriter, quæ opus erant, reperiebat, facile eadem oratione explicabat. 4. Neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis erat, quod et de instantibus (ut ait Thucydides) verissime iudicabat et de futuris callidissime coniciebat. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

15 II. 1. Primus autem gradus fuit capessendæ rei. p. bello Corcyreo: ad quod gerendum prætor a populo factus non solum præsenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. 2. Nam cum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quot annis interiret, ille persuasit populo, ut ea
20 pecunia classis centum navium ædificaretur. 3. Quæ celeriter effecta primum Corcyreos fregit, deinde maritimos prædones consectando

1. *Ordiendus* B a b c d e C g h. *ordiendum* reliqui – *Neoclus* A dan. gif. B a b d e schott. *Neocles* reliqui, et spl. B d – *Acarnanam* A gif. B a b d schott. savar. et C f a manu 2. C cantabr. E v s. *Acarnanem* E u. *Acarnaniam* B e. *Acharnanam* C monac. g i k l E a. *Archananam* C h. *Archanam* B oxon., et C f a manu prima. *Ariananam* B c – *parentibus qui* C f – *liberius* om. C l? *lib. iusto vivebat* B d e schott. E v a s)(A dan. gif. leid. B a b c C f monac. g h i k l E u — *rem suam fam.* B e – *negligerat* C i.

5. *Exhæredatus* C g h E v (semper sic) – *eam sine s. ind. ext. non posse* C f. *posse a ext.* C i – *dedidit* A dan. gif. B a b c schott. E v s. *dedit* reliqui – *rei. p.* A dan. B a b. *reipublicæ* reliqui – *multis* C h – *conditionem* B a. *contentionem* C k. *contionem* B b C f E s. *concionem* reliqui – *sine illo* A dan.? C monac. i k E a u. *sine eo* B a b c C f g h E v s – *regebatur* E a. *agebatur* C f.

10. *Celeriterque quæ* B c E v s – *erat* B e – *repperiebat* C f – *facile ead. or. explic.* om. omnes præter A dan. leid. E u – *Nec minus* C f – *Tuchidides* B a b C thott. – *calidissime* B a (a manu prima) C f g h — *conciebat* C f. *coniiciebat* E v a u s (semper sic).

15. *Fuit* om. C f i k l – *capesendæ* E v. *capescendæ* B b C f g E a – *rei. p.* A dan. B a b. *reipublicæ* reliqui – *feraciorem* C f g k l — *cum ex pecunia* B c – *met. reddebat* C f.

20. *C. navium* C i – *Qua celeriter* B. b d e C k E v u. *Quæ cel.* B a c C f g h i l E a s — *primos* B c — *Corciros* C f. *Corcyræus* B e — *marittimos* C f i (semper sic).

mare tutum reddidit. In quo tum divitiis ornavit tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. 4. Id quantæ saluti fuerit universæ Græciæ, bello cognitum est Persico. Nam cum Xerxes et mari et terra bellum universæ inferret Europæ cum tantis copiis, quantas neque ante nec post ea habuit quisquam (5. huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo milia onerariarum sequebantur; terrestres autem exercitus. DCC. peditum, equitum. CCCC. fuerunt.) 6. Cuius de adventu cum fama in Græciam esset perlata et maxime Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. 7. Id responsum quo valeret cum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent: eum enim a deo significari murum ligneum. 8. Tali consilio probato addunt ad superiores totidem naves triremes, suaque omnia, quæ moveri poterant, partim Salaminam, partim Trœzenam deportant; arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

III. 1. Huius consilium plerisque civitatibus displicebat et in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leo-

1. *Tum div.* Babc Cfghik Eau. *cum div.* reliqui -- *diutius* Ck -- *belli civilis* Cf -- *quanti* B c. *quantum* Cf -- *cogn. est bello* Ci -- *Nam* om. Bc? *Nam est et Xerxes* spl. cum B b. *Nam cum et X.* Be -- *Xerses* Cghik (semper sic). *Serses mari* Cf (qui semper sic habet) -- *univ. ferret* Ev.

5. *Copiis venit quantas* Cf monac. ghikl cantabr. *eam cop. invasit quantas* Evas *cop. eam inv. qu.* Eu. X A dan. Ba bce schott. -- *antea* Es (a Lambino) -- *nec post* Babe. *neque p.* reliqui. -- *post eas* Cf -- *Huius enim*, spl. a 2. manu *di* Ba. *Huiusmodi enim* Bb -- *onerariorum* Ev. *onerarium* Bc. *orariarum* Be. *onerariam* Ck -- *terrestris* Cfhkl -- *DCC* Bb. *DCCum* Ba. *Decem* Bd. *D.* Be *septingentorum* A dan. Be. *septingentorum milium* Evaus. *septingentorum decem millia* Cl? *septingenta decem milia* Cfghik -- *CCCC* Babd. *quadringentorum* A dan. Bce. *quadringentorum milium* Evaus. *quadringenta milia* Cfghil. *quadraginta milia* Ck. *XL. m.* in marg. Ch. -- *fuere* Ci -- *aventu* Cf -- *Græcia* Cf.

10. *Maratonam* Ch -- *quædam facerent* Be -- *Phitia* Bab Cfk -- *menibus* Bab CfEa -- *quid valeret* spl. *o* Bb -- *vaderet* Ck -- *Appollinis* Ba -- *conferret* Be -- *conf. et enim* Cik -- *a deo* om. Evas -- *signifruci* Be.

15. *Ad maiores totidem* Cgh -- *naves totidem* Ci -- *trientes* in marg. *triremes* Bd -- *Salaminam* Babde schott. Cgh Eva. *Salminam* Cf. *Salamina* Cikl Eu. *Salaminem* spl. Bd Ch; Es (ab Aldo) -- *partim* om. Bc -- *Træzenam* Babde schott. *Trœcenam* Cf. *Trœzena* Cgkl Eu. *Tiretina* spl. *l'em.* Ci. *Trozenen* Ch. *Trœzenem* Bc, spl. Bd, Evas -- *deportant* A dan. Ba Eu. *portant* Bb. *absportant* Be schott. *asportant* reliqui -- *paucique* Be.

20. *Et terra* Cf monac. ghikl Eu.

nida, Lacedæmoniorum rege, qui Thermopylas occuparent longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt eoque loco omnes interierunt. 2. At classis communis Græciæ trecentarum navium, in qua ducentæ erant Atheniensium,
5 primum apud Arthemisium inter Eubœam continentemque terram cum classiariis regis conflixit. Angustias enim Themistocles quærebat, ne multitudine circuiretur. 3. Hic etsi pari prœlio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere: quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Eubœam superasset, an-
10 cipiti premerentur periculo. 4. Quo factum est, ut ab Arthemisio discederent et exadversum Athenas apud Salaminam classem suam constituerent.

IV. 1. At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus accessit astum, idque nullis defendentibus interfectis sacerdotibus, quos in
15 arce invenerat, incendio delevit. 2. Cuius flamma perterriti classiarii cum manere non auderent et plurimi hortarentur, ut domos suas discederent mœnibusque se defenderent: Themistocles unus restitit et universos pares esse posse aiebat, dispersos testabatur perituros; idque Eurybiadi, regi Lacedæmoniorum, qui tum summæ
20 imperii præerát, fore affirmabat. 3. Quem cum minus quam vellet

5. Artemisium. 10. Artemisio.

1. *Leon. duce Laced. rege* Cikl — *Thermopilas* Bab. *Termophilas* Cfh. *Thermophylas* Cgik Es. Iidem plerumque sic. — *longique* Ci — *Hii vim* Ba — *substinuerunt* Cfgk — *trecentum* Bc. *CCC.* Ci.

5. *Arthemisium* A dan. Bab Cghk Evas. *Artemensium* Bc. *Atheniensium* Ci *Athenienses* Cf. *Artemisium* Eu — *cum cl. regiis inter E.c. t. conflixit* Ci — *Euboam* Ch — *circuiretur* A dan. Babc Ckl Es. *circumiretur* Evau. *circumeretur* Cgh. *circumveniretur* Cfi — *Hi etsi* eraso *c* Ch. *Hinc etsi* Es (a Lambino). *Hic et pari* Ea — *pari* om. Be — *sunt* om. Cg. — *si* om. Ch — *superassent* Evau.

10. *Premeretur* Cf — *Arthemisio* A dan. Bab Ci Evas. *Arthemesio* Cfghl. *Artemisio* Eu. *Artemesio* Be. *Artemensio* Bc — *et* om. Cfghkl. *et adversum* Ci Evau, spl. Bd. *et exadv.* A dan. gif. Babd savar. Es — *Athenienses* Ch — *Salaminam* A gif. Babde Chikl Eva. *Salminam* Cf. *Salaminem* Cg, spl. Bd *Salamina* Eu (ab Aldo) — *suam* om. Ch — *constituerunt* Cf. *construerent* Ch — *astuum* Be. *astu* Cghl Es. *astum* Babcd oxon. Cfik cantabr. Evau - *id nullis* Bc.

15. *Invenerant* Bc — *Cuius flamma* A dan. gif. Babcd savar. Cf thott. monac. ghik Es. *Cuius fama* Be Cl? Evau — *suasque disced.* Bc — *descenderent* Cgh — *esse pares* Evau — *posse esse* Cf *posse* om. Bcde? Ckl Evau)(A dan. gif. Bab savar. Cf monac. ghi Es — *Euribiadi* Bab Cfg. *Eurhiadi* Bde. *Eurybradi* Ev — *summe* Ba.

20. *Quem minus* Ba.

moveret, noctu de servis suis quem habuit fidelissimum ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, adversarios eius in fuga esse: 4. qui si discessissent, maiore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, cum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eo valebat, 5 ut ingratis ad depugnandum omnes cogerentur. 5. Hac re audita barbarus, nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus adeo angusto mari conflixit, ut eius multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis etiam consilio Themistoclis quam armis Græciæ. 10

V. 1. Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam tum his opprimere posset hostes. Iterum ab eodem gradu depulsus est. Nam Themistocles verens ne bellare perseveraret certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur; 15 idque ei persuasit. 2. Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus .XXX. in Asiam reversus est seque a Themistocle non superatum sed conservatum iudicavit. 3. Sic unius viri prudentia Græcia liberata est Europæque succubuit Asia. Hæc altera victoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropheo. Nam pari 20 modo apud Salaminam parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

VI. 1. Magnus hoc bello Themistocles fuit, neque minor in

20. Tropæo.

1. *Fidissimum* Bbde Cfikl – *eius* om. Ci – *fugam* Cgh – *descessissent* Ch – *maiori* Cfi – *ac longinq.* Cgh – *confectum* Ba – *insectare* Ci. *insectari* Ckl.

5. *Ingrati* Eva – *pugnandum* Cfh – *omnes* om. A. gif.? – *cogeretur* Cf – *oportunissimo* Bd Cfh Evu – *multitudo manuum* Eu – *est ergo* Ck Eau.

10. *Etiam* om. (Bcd?) Evau – *m. enim cons.* Cf. *m. ex cons.* Ci)(A dan. Babe Cghkl Es – *Themistocli* Ba – *rem* om. Be. *rem male* Eu. – *tamen* om. (Cl?) – *habuit* Cikl – *tum* om. Ck. *tum his* Ba Eu. *tum his tum* A dan.? *cum his* reliqui – *hostem* Ch – *Iterum* Babc Cghik Eu. *Interim* A dan.? Bd Cfl Evas.

15. *Helesponto* Cfg – *dissoveretur* Ba. *dissolveret* Bc – *reditum in* Cf – XXX. Ba Chi. *triginta* reliqui – *sed conversatum* Cf – *Asya* Ba.

20. *Cum* om. Bc. – *tropheo* Babde Cfikl. *trophæo* Cgh Evau. *tropæo* Es. — *Salaminam* Babcde Cghil Eva. *Salminam* Cf. *Salaminem* spl. Bd. *Salamina* Eus (ab Aldo) – *maximam* Ea – *memoria* Cfh - *fuit* om. Eu – *neque minor* Babd Cghikl Eau. *nec minor* (Bce?) Cf Evs – *in* om. Eu.

pace. Cum enim Phalarico portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, huius consilio triplex Piræi portus constitutus est isque mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. 2. Idem muros Atheniensium restituit
5 præcipuo suo periculo. Namque Lacedæmonii, causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua negarent, oportere extra Peloponessum ullam urbem habere, ne essent loca munita, quæ hostes possiderent, Athenienses ædificantes prohibere sunt conati. 3. Hoc longe aio spectabat atque videri volebant. Athenienses
10 enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedæmonii, de principatu sibi cum his certamen fore. 4. Quare *eos* quam infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt, muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His præ-
15 sentibus desierunt ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. 5. Hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est; reliqui legati ut tum exirent, cum satis altitudo muri extructa videretur, præcepit: interim omnes, servi atque liberi, opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer sive privatus esset sive

7. Peloponnesum. 9. Longe alio.

1. *Phalarico* A dan. B a b d schott. oxon. C f g l cantabr. *Phulario* C h i. *Phalerico* B e E u s. *Phalerio* C k. *Phalereo* E v. *Phalcræo* E a. — *portu magno* C f. — *Piræi* C h. *Pirei* B a b d. *Pyræi* C g E a. *Pyrei* C f k. *Pyrrei* C i. *Piræei* E v u s. (semper ita variant libri). — *hisque* C f. *idque* C i. — *circundatus* C g E v a u. — *æquipperaret* B a C f g h E v. *æquipararet* reliqui. — *util. superaret* om. C f. *superare* E a. — *Idemque muros* E v a.

5. *Periculo suo* E v s. — *excursiones barbarorum* C i k E a. — *quæ neg.* C f. *quare neg.* E s (a Lambino). — *opportere* C f. — *extra Peloponesso* C h. *ex Peloponesso* C g. — *Peloponensum* B a. *Peloponensium* C i. *Peloponnesum* E v a u s. — *urbem* † *habere*, in marg. a manu 2 † *muros* B b. *urbem muros habere* B c. — *habere* om. C f. *haberi* E s (ab Aldo). — *quam hostes* B c. — *edifficantes* B a. — *conati sunt* C i. — *aio* om. C l, item B b, qui tamen in marg. *alio* habet *longe alio* C f g E v a u s. *longe animo* B a d e schott. C h. *longe aliter* B c. *longe aliter animo* C i k cantabr. — *spectabat* B a C f g h E u s. *spectabant* B b c d e schott. C i k l E v a. *exspectabant* C cantabr.

10. *Ath. autem duabus* C i. — *Marathona* C f. — *Salamina* B b C f i E s. — *tanta gloria* C f. — *genteis* E u s. — *Lacedæmonii* om. C i k l. — *sui cum* B c. *cum his sibi* C f. — *quam* om. C l E a. — *firmissimos* C h. — *Posteaquam* C i. — *muros strui* E s (a Lambino). — *leghatos* C f (semper fere sic).

15. *Se* om. C i. — *præcepit ut interim* E a u. — *servi ac* C i. — *nec ulli* C f. *neque illi* C k. — *loco* om. C i. — *sive sacer sive prophanus sive priv.* C g h i k l E v a.)(A gif. leid. B a b c d e schott. C f monac. E u, item E s, in qua tamen *sacer esset sive privatus est* — *esset* om. A gif.? E v.

publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulchrisque constarent.

VII. 1. Themistocles autem, ut Lacedæmonem venit, adire ad magistratus noluit et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens, se collegas exspectare. Cum Lacedæmonii quererentur, opus nihilo minus fieri eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti. A quibus cum audisset, non multum superesse munitionis, ad ephoros Lacedæmoniorum accessit, penes quos summum erat imperium, atque apud eos contendit, falsa his esse delata; quare æquum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. 3. Gestus est ei mos, tresque legati functi summis honoribus Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci, hisque prædixit, ut ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent quam ipse esset remissus. 4. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedæmoniorum adiit et apud eos liberrime professus est: Athenienses suo consilio, quod communi iure gentium facere possent, deosque publicos suosque patrios ac penates quo

1. *Ad muniendum idoneum* Ci. — *cogerentur* Cf. *coegerent* Bc. *cogerent* Ci Ev. — *autem* om. Cf.

5. *Ad* om. A leid. Cfghikl Eau.)(A dan. gif. Babcde schott. Evs. — *voluit* Cg. — *duceretur* Bd Cf Evs. *duceret* in marg. *Al. duceretur* Eu. — *tempus interp. diceret causam* B schott. *tempus interp. causam diceret* Be. — *Lacedæmoni* Be Ci. — *qurentur* Ci. — *nihilominus opus* Ci. — *in* om. Ev. — *legati* om. Bc. — *superare* Bd (puto Be) schott. — *monitionis* Ch.

10. *Erat* om. Ci. *imperium erat* (Bcd?) Evas. *imperium est* Cfghk. *imp. summum erat* A dan.? *imp. summum est*? in marg. *erat* Cl.)(Babe Eu. — *contemnit* Ck. — *his* om. C ik. — *bonos viros* Evs. — *nobiles mittere* Ci. — *habetur* Cf. *haberetur* A dan. Ba C monac. Eus. *adhiberetur* reliqui. — *expiorarent* Bc. — *retiterent* (media voce adrasa) Ba. *int. sibi detrahere reticerent* B schott. *int. sibi detrahere retinerent* Be. — *est* om. Cf ghikl. *ei mos est* C monac. — *facti summis* Be. *sumpti summis* in marg. *functi* Cg. — *Cum hiis* Cf.

15. *Th. si iussit* Bd. — *eisque* Es (a Lambino). — *ut quam prius* Be. — *remitterent* Cfghk. *remitterent* spl. *dimitterent* Cl. — *postea Ath.* Ci. — *est ratus* Evs. — *magistratuum* Cf. — *Lacedæmoniorum* om. A dan.? — *et quos apud lib.* Bc. — *profectus* spl. ss. Bab. *prosecutus* A gif.? Cghl putean. Ea. *professus* A dan. Bcde savar. Cf monac. ik Evus. — *quod com. iure g. suo consilio* Cf.

20. *Deos publicos* Eu, item Magius. — *suosque privatos* Ch. — *quos facilius* Ci.

facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse; neque in eo quod inutile esset Græciæ fecisse. 5. Nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris, apud quam iam bis classes regias fecisse naufragium. 6. Lacedæmonios autem male et iniuste
5 facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, *quam* quod universæ Græciæ utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent; aliter illos numquam in patriam essent recepturi.

VIII. 1. Tamen non effugit civium suorum invidiam. *Namque*
10 ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis e civitate eiectus, Argos habitatum concessit. 2. Hic cum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedæmonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quod societatem cum rege Perse ad Græciam opprimendam *fecisset*.
15 3. Hoc crimine absens proditionis damnatus est. Id ut audivit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi cum eius principes animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonii et Athenienses indicerent, ad mœtum, Molossum regem, cum quo ei hospitium erat, confugit. 4. Huc cum
20 venisset, et in præsentia rex abesset, quo maiore religione se re-

18. Ad Admetum.

1. *Ab ste* Cf. — *sæpsisse* Evaus. *sepisse* Cfghil. — *neque in eo* A dan. leid. BaEu. *neque eos* Es (a Lambino). *neque eo* reliqui. — *utile* Cf. — *fecisset* Cf. — *urbem et* Ev. — *oppositam* Cf monac. ghikl Eau. *oppositum* A dan. Babcde Evs. — *apud hanc iam* Eu. — *bis iam* Cf. — *classem regiam* CfEv. — *fecisse* om. Be. — *male iniuste* Cf.

5. *Facere quod potius* Cf. — *legatos accipere* Ev. — *miserunt* Cf. — *alias illos* Cf monac. ghikl Ea. — *in patriam* om. Ci. — *civicorum* Bc.

10. *Dampnatus* Ba. — *damn. est Milc.* Cgh. — *restularum* Bb. *testarum* Evs. — *e* om. Ci. — *Argo* Cf. — *per multas* Bc. — *eius multas* Cgh. — *legatum* Cf. — *qui cum athenas acc.* Cf. — *Persæ* Ev. *Persarum* Cfghikl Eau.)(A dan. Babcde Es. — *opprim. Græciam* Ci.

15. *Proditionis absens* Ci. — *dampnatus* Ba. *damn. est* Bac Cghik Eau. *est damn.* reliqui. — *Id cum audivit* Cf. — *non* om. Ba. — *Corcutam* Ck. — *dimigravit* Cf. — *Ubi cum* Ck. — *princeps* Bc Cfh. *princ. civitatis anim.* Ch Evau. *civitatis princ. anim.* Cg. — *animadvertissent* Cg Eva. — *se* om. Cg. — *his* om. Ci. — *Lac. et Ath. bellum* Ci. — *inducerent* Eva. *inciderent* in marg. *al' indicerent* Bd. — *ad mœtum* A dan. Bab Cf. *ad Adometum* Cg. *ad Admetum* reliqui. — *Molossum* A dan. Bab Eus. *Molossorum* reliqui. — *indic. Molosorum Admetum Molossum* Cl. — *hospitium* Ba. — *erat confugit* A dan. Ba Eu. *fuerat confugit* reliqui.

20. *Res abesset* Cf. *rerum abesset* Bc. *rex esset* A leid. — *maiori* Cf.

ceptum tueretur, filiam eius parvulam arripuit et cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur cerimonia, coniecit. Inde non prius egressus est, quam rex eum data dextra in fidem reciperet; quam præstitit. 5. Nam cum ab Atheniensibus et Lacedæmoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit, monuitque, ut consuleret sibi: difficile enim esse, in tam propinquo loco tuto eum versari. Itaque Phydnam eum deduci iussit et quod satis esset præsidii dedit. 6. Hic in navem omnibus ignotus nautis escendit. Quæ cum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus domino navis, qui sit, aperit, multa pollicens, si se conservasset. 7. At ille, clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in anchoris, neque quemquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum pervenit ibique Themistoclem exponit: cui ille pro meritis postea gratiam retulit.

IX. 1. Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod ætate proximus de his, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et eiusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse

8. Pydnam.

1. *Summa celebratur* C h. -- *cærem.* E s. *cerem.* E u. -- *proiecit* C i. -- *Inde vero prius* spl. *non* B b. *Inde vero prius egr. non est* C f g h i k l. -- *eum rex* C f. *quam rex quem data* B e. — *dextera* C f. -- *in fidem* om. C f. -- *cum* om. C i. -- *ab* om. C i k l E v a -- *Laced. et Athen.* C k.

5. *Supplicem uero* spl. *non* B b -- *monuit ut* C i k. — *esse ex tam* C i -- *Phydnam* A dan. B c E v s. *Phidnam* B a b d e C f i E a. *Fidnam* C k. *Phydriam* C g. *Phidriam* C h. *Pydnam* E u. -- *satis esse* E v. -- *Hic re audita in navem* B e? -- *nautis* om. B e? E v a. -- *escendit* A dan. B d. *exscendit* B a e schott. *conscendit* E u. *ascendit* reliqui. -- *fereretur* C f. *fertur* B c. -- *Athen. tum* C k l.

10. *Qui sit* A dan. B a b e C g h i k l. *quis sit* reliqui. -- *tenuit navem* C f. -- *tenuit anchoris* C i. -- *eque quemq.* B c. *nec quemq.* C f. -- *quendam* C l.?

15. *Themistoclen* B a. -- *postea gratiam* B a b C f g i k l E u. *postea* om. C h. *gratiam postea* reliqui. -- *rettulit* E v. -- *plerosque itaque scr.* B a. -- *Themistoclen* B a. -- *Them. ad Xersem regnantem* C f monac. g h i k cantabr. — *Asyam* B a. *Asia* C h. — *Asiam misisse* C cantabr. — *Sed eo* C f. — *Tychididi* B a b C f. — *cedo* C f. -- *qui ætate* C f monac. g h i k. -- *pr. de his qui* A dan. B a b C f g h i k *pr. et is qui* B e. *pr. ab his qui* C monac. *pr. erat de his qui* A leid. *pr. erat his qui* C l E s. *pr. erat iis qui* B d schott. *pr. erat qui* a manu 2. C l E v a u. — *hystoriam* B a C f g.

20. *Ut eiusdem* B c. -- *Artaxerxen* B a.

atque his verbis epistolam misisse: 2. *Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quam diu mihi necesse fuit, adversus patrem tuum bellare patriamque meam defendere.* 3. *Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse et*
5 *ille in periculo esse cœpit. Nam cum in Asiam reverti vellet, prœlio apud Salaminam facto, litteris eum certiorem feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur: quo nuntio ille periculo est liberatus.* 4. *Nunc autem confugi ad te, exagitatus a cuncta Græcia, tuam petens amicitiam:*
10 *quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, quas tecum colloqui volo, annuum mihi tempus des eoque transacto ad te venire patiaris.*

X. 1. Huius rex animi magnitudinem admirans cupiensque
15 talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus litteris sermonique Persarum se dedidit: quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati. 2. Hic cum multa regi esset pollicitus, gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum
20 Græciam bello oppressurum; magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit domiciliumque Magnesiæ sibi constituit.

1. *Mala hominum Gr.* Bade. – *quam diu mihi* A dan. Eu. *quam mihi* Ba. *quam michi* spl. *cum* Bb. *quum mihi* Be. *cum mihi* Bcd Evas. *quod mihi* Cf monac. ghikl. — *adversum* A dan. *adversus* spl. *m* Cf. *tuum* om. Bc. — *bellare* om. Cf. — *multa* Ba Ch. – *plura horsus feci* Cf. *pl. orsus feci* Cghik. *pl. ersus fui* C monac. – *ipse in tuto* Cg. *ipso* Es.

5. *In* om. Cf. — *reverti nollet* B de. — *Salaminam* Babcde Cghikl Evas. *Salminam* Cf. *Salamina* Eu. – *in Hellesp. quem* Ci. — *disolveretur* Ba. — *ab* om. Ci. — *circuiretur* Bb Cf. *circumveniretur* Chi. – *Nunc aut* Cf. – *ad te* om. Bc? Eva – *a tota Gr.* Cf.

10. *Me* om. Cf. — *inimicus* Ck. – *est. Id autem* Bbc. – *de* om. Bc. – *rebus de quibus tecum loqui* Es (a Lambino). – *volo* om. Cf. – *annuum mihi tempus* A dan. gif. Babc C monac. gh Eu. *annum* B (de) savar. C fil putean. Evas. *tempus* om. Ci. *temporis* B (de) savar. Cl Evas; in rasura Ck. *temporis spatium* C putean. – *tr. me ad te* Es (a Lambino). – *Huius* om. Ci – *ammirans* Ba. *admiratus* C fghi Eu. *admiratus* spl. *admirans* Cl. – *cupiens talem* Bc.

15. *Sibi* om. Bc. – *reconciliari* Cg. – *omne id tempus* Cf. — *litteras* Cf. – *se* om. Cfghil Evaus. — *dedidit* B abcde. *dedit* reliqui. – *quam hii* Ba. – *Id cum* Cf. – *esset regi* Eu. – *consiliis uti* Ci.

20. *Illud Græciam* Ea. *Græcia* C g. — *oppressorum* Ck. — *Maguesya* Ba. *Maganen* Bc.

3. Namque hanc urbem ei rex donarat, his quidem verbis, quæ ei panem præberet (ex qua regione quinquaginta talenta quot annis redibant); Lamsacum autem, unde vinum sumeret; Myntam, ex qua obsonium haberet. Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulchrum prope oppidum, in quo est sepultus; 5 statuæ in foro Magnesiæ. 4. De cuius morte multimodis apud plerosque scriptum est; sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum neque negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, cum se, quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. 10 5. Idem ossa eius clam in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

1. *Nam hanc* Be. *Namque et hanc* Chi. -- *donaverat* Ch Es (a Lambino). -- *his quidem verbis* A dan. Bab Chik Eu. (*quidem* compendio scriptum). *hisque verbis* Bc Cfg. *his usus verbis* (Bde?) Evas. -- *quinq. ei talenta* Es (a Lambino). -- *quot annis talenta* Ci. -- *redibat* Bc Ch. -- *Lamsaeum* A dan. Ba. *Lansacum* Bb. *Lampsacum* ceteri. -- *autem* om. (Bde?) Evaus. -- *Myntam* Babde. *Mintam* Cf monac. *Mintham* Eva. *Myuntem* Eus (ab Aldo). *Smyrnam* Bc? Cghikl. -- *opsonium* Es.

5. *Statuæ duæ in foro* Cg. *statuat vero Magn.* Be. -- *in foro* om. Bd a manu 1. -- *Magnensiæ* Bc. -- *apud pler. mult.* Ci. -- *multimodis* A dan. gif. Babd savar. Es. *multitudinis* Cf. *multis modis* Bc Cghl Evau. *in multis modis* Ck. -- *est* om. Be. -- *eum potiss.* Ckl. *potiss. eum* Ci. -- *Thucydidem* om. Ci. *Tuchididem* Bab Cf. -- *famam fuisse* Cf.

10. *Grotia* Ba. -- *optinenda* Cl. *obtinenda* Cik. -- *desp. Idem mo dein ossa* Cg. -- *in Attica clam* C monac. ghik. *ab amicis in Attica* Cf. -- *amicis esse sepulta* Es (a Lambino). -- *dampnatus* Ba.

III.

ARISTIDES.

Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis, æqualis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit: namque obtrectarunt inter se. 2. In his autem cognitum est, quanto antestaret

1. *Lisimachi* Bb. Cf. -- *Athenienses* Ci. -- *qualis fere* Cf. -- *de* om. Be. -- *obtractarunt* Bc. -- *quantum* Cf. -- *antistaret* Es (a Lambino). *constaret* Bc.

eloquentia innocentiæ. Quamquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, quem quidem nos audierimus, cognomine Iustus sit appellatus; tamen, a Themistocle collabefactus, testula illa exilio decem annorum multatus est.
5 3. Qui quidem cum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadvertisset quendam scribentem, ut patria pelleretur, quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur? 4. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere,
10 quod tam cupide elaborasset, ut præter ceteros Iustus appellaretur. 5. Hic .X. annorum legitimam pœnam non pertulit. Nam postquam Xerxes in Græciam descendit, VI.° fere anno quam erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.

II. 1. Interfuit autem pugnæ navali apud Salaminam, quæ
15 facta est prius quam pœna liberaretur. Idem prætor fuit Atheniensium apud Platæas in prœlio, quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus interfectus est. 2. Neque aliud est ullum huius in re militari illustre factum, quam huius imperii memoria; iustitiæ vero et æquitatis et innocentiæ multa: in primis, quod eius æqui-
20 tate factum est, cum in communi classe esset Græciæ simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses. 3. Namque

1. *Cumcum* spl. *cl' quamquam* A dan. Ba. — *enim* om. Cf, spl. Bb. — *Ar. ab astinentia* Cfgh. — *et unus* Bc. *unius* Cg. *unius* Ch. — *quæ quidem* A dan. (fuit, puto, compendium idem atque in Ba, quod modo *quem* modo *quæ* legi debet) Cfg. *quem quidem* Bb Chik. *quam quidem* Bc. *quod quidem* Bd Evaus, *mem. quidem nos* in marg. *al. m. quod* Cl. — *nos* om. Bc Cfghi. — *audiremus* Cf. *audiemus* Bc. — *iustus est* Cf. — *illa ex illo* Cf. — *mulctatus* Bb Cfghi Eva (semper sic).

5. *Animadvertisset* A dan. leid. Babe Cfghik Es. *animadverteret* reliqui. — *expelleretur* Bc. — *ab illo dicitur* Eu. — *tantam pœnam* Eva. — *ign. Aristiden* Ba. — *placere ut tam* Cf.

10. *Quod tam cup.* A dan. gif. leid. Babde schott. C monac. gh Es, *quod ita cup.* Cikl. *quod cup.* (Bc) Evau. — .X. Ba Ch. *decem* reliqui. — *.VI.°* Ba. *sexto* reliqui. — *populi scito* A dan. leid. Ba. *plebescito* Bb Cfgl. *plebiscito* reliqui. — *Int. enim pug.* Cf. — *Salaminam* Bahde Cghikl Evas. *Salminam* Cf. *Salamina* Eu (ab Aldo). — *quæ pr. q. p. lib. facta est* Ci.

15. *Prius quam* om. Be. — *deliberaretur* Cf. — *Atheniensium* om. Cf. — *est interfectus* Es (a Lambino). *est* om. Bc Ci Evau. — *Neque illud* Ck. — *huius rei illustre* Ch. *in re mil. factum huius illustre* Cf. — *vero æquitatis* Cf. — *imprimisque eius* Ch.

20. *Est* om. Cf. — *erat fusus* Ci. — *a Lacedæm.* Bb Evau. — *transfertur* Ba. *transfereretur ab* Cf. — *Namque idante id* Bc. *Nunquam ante* Cf.

ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedæmonii. Tum autem et intemperantia Pausaniæ et iustitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent sibi.

III. 1. Quos quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classis ædificandas exercitusque comparandos quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret, eiusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quot annis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt. Quæ omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. 2. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quam cum tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. 3. Quo factum est, ut filiæ eius publice alerentur, et de communi ærario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus.

1. *Tum* spl. *nc* Bb. *Tunc* Bc. — *et* om. Be. — *temperantia* Ci. — *applicarent ut* Cg. — *adversos* Ba — *diligerent* Be. *delegerent* Ck.

5. *Classis* Bab Cgh. *classeis* Eus. *classes* reliqui. — *ediffiicandas* Ba. — *pec. quam civ.* Cg. — *eius arbitrio* (Bc?) Evau. — *quadringena* A dan. gif. Ba schott. Cil. *quatringena* Cf. *quadrigena* Cg. *quadragena* A leid. Chk. *quadringenta* in marg. Cl; Bb Evaus. — *et* om. Ck. — *sexagena* A dan. gif. leid. Ba schott. Cfhil. *sexaginta* reliqui; in marg. Cl. — *dellum* Cg. *bellum* Cf. *bellum* in marg. *ad* Bb. *in bellum* Be.

10. *Postero die tempore* Bab. — *qua* om. Bd. — *fuerat* Eu. — *cercius iudicium* Ba. *inditium certius* Ck. *est iudicium maius quam* Cfgh. *est certius ind. maiusque* Cl. — *quam quod cum* Es (a Lambino). — *decessit quo qui* Ck. — *est* om. Bad Cg. — *filias* Be. — *eius* om. Ci. — *aut publice* Bc. — *autem* om. Cgh.

IV.

PAUSANIAS.

PAUSANIAS, Lacedæmonius, magnus homo, sed varius in omni genere vitæ fuit. Nam ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. 2. Huius inlustrissimum est prœlium apud Platæas. Namque illo

1. *Pausania* Cf. — *vitæ* om. B schott. — *eluxit virtutibus* Cf monac. ghik. — *industrissimum* Bad schott. *illustrissimum* reliq. — *est illustrissimum* Cfghik.

duce Mardonius, satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum et manu fortis et consilii plenus, cum .CC. milibus peditum, quos viritim legerat, et .XX. equitum haud ita magna manu Græciæ fugatus est; eoque ipse dux cecidit prœlio.
5 3. Qua victoria elatus plurima miscere cœpit et maiora concupiscere. Sed primum in eo est reprehensus, quod cum ex præda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo hæc erat sententia: suo ductu barbaros apud Platæas esse deletos eiusque victoriæ ergo Apollini donum dedisse. 4. Hos versus Lacedæmonii
10 exculpserunt neque aliud scripserunt, quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persæ erant victi.

II. 1. Post id prœlium eundem Pausaniam cum *classe* communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum præsidia depelleret. 2. Pari felicitate in ea re usus
15 elatius se gerere cœpit maioresque appetere res. Nam cum, Bizantio expugnato, cepisset complures Persarum nobiles atque in his non nullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans, ex vinclis publicis effugisse; et cum his Gongulum Eretriensem, qui litteras regi redderet, in quibus hæc fuisse scripta Thucydides
20 memoriæ prodidit: 3. *Pausanias, dux Spartæ, quos Byzanti cepe-*

15. Byzantio.

1. *Maradonius* B e C g h. — *regius satrapes* C i. — .*CC.* B a b e. .*VII.* B c. *ducentis* reliqui. — *militibus* C i. — *virium* E a. — .*XX.* B a. .*XX.* C i. *viginti* A dan. B b c C f g h k l. *viginti milibus* reliqui. — *Græciæ* B a b c C g h i k l. *Græcia* reliqui, C l a manu 2. — *occidit* C i.

5. *Misere* B a b spl. c B b. — *eo cum repreh.* B e. — *reprensus* C h i. — *quod cum ex* B a b e C f g h E v a s. *quod ex* reliqui. — *epygramate* B a. — *inscripto* C i. — *hæc erat sent.* B a b C f g h i. *hæc sent. erat* C k l. *erat hæc sent.* reliqui. — *Tuo* spl. *Vs* C i. — VICTORIAE ERGO B schott. — *Ap. dono* E u. *Ap. domum* C f.

10. *Exsculserunt* E u. *expulserunt* B e. — *neque aliud scripserunt* om. B e. *neque aliud excluserunt* C f. — *civitatium* E u. — *Ciprum* B a b C f i — *Elespontum* C f. — *misere* C i. — *ex iis* C k. — *in ea reuersus* C f. *in ea inde reversus* C monac. *in ea usu* C g h i k.

15. *Elatus* B d C f spl. *i* C f. — *se* om. B d. — *expugn. Bizantio* C i. — *Byzantio* E a u s. *Curantio* B c. — *quamplures* B e. *quemplures* B c. — *regi* B e. — *ex* om. B c. — *vinclis* B a b E v a. *vinculis* reliqui. *publicis vinculis* B c. — *in iis* C k. — *Gongulum* A dan. leid. B a b e C f g k. *Gongulium* B d. *Gongylum* C h i l E u s. *Congylum* E v a. — *Eretriensem* A dan. B a b d E u s. *Erethiensem* B c. *Cretensem* A leid. B e C f monac. g h i k l E v a. — *Tuchidides* B a b C f.

20. *Byzanti* A dan. B c. *Bizanti* B a. *Bizanci* C f. *Bizantii* vel *Byzantii* reliq.

rat postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit, seque tecum affinitate coniungi cupit: quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. 4. *Id si feceris, et Spartam et ceteram Græciam sub tuam potestatem se adiuvante redacturum pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face,* 5 *cum quo colloquatur.* 5. Rex, tot hominum salute tam sibi necessariorum magnopere gavisus, confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit, in qua eum collaudat; petit, ne cui rei parcat ad ea efficienda, quæ pollicetur. Si perfecerit, nullius rei a se repulsam laturum. 6. Huius Pausanias voluntate cognita alacrior ad 10 rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedæmoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur; multatur tamen pecunia: quam ob causam ad classem remissus non est.

III. 1. At ille post non multo sua sponte ad exercitum rediit, et ibi non callida sed dementi ratione cognita patefecit. Non enim 15 mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit. 2. Apparatu regio utebatur, veste Medica; satellites Medi et Ægyptii sequebantur; epulabatur more Persarum luxuriosius, quam qui aderant perpeti possent; 3. aditum petentibus conveniundi non dabat; superbe respondebat; crudeliter imperabat. Spartam redire 20 nolebat. Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulerat: ibi consilia tum patriæ tum sibi inimica capiebat. 4. Id postquam

1. *Cogn. ut muneri* B e. — *se tecum* B c. — *nuptam* E a. — *Sparten* E v a u. — *pot. sub tuam* C k. *sub sua potestate* B c. — *potentiam* C f. — *reducturum s.* A dan.? *redditurum* C f. — *Hisque de* C g h i k l.

5. *nolueris* B d. — *loquatur* B c. — *Rex to hominum* C f. *Rex hominum* B e schott. — *necessarium* B c. — *Artabum* B b. *Artabaxum* in marg. *al. Artabarem* B d. *Arthabaxum* B e. *Artabarum* E a. *Arthabarum* E v. *Artabazem* C h. *Artabarem* C k. *Arthabarem* C g i. *Orthabarem* C f. *Artabatem* C l. — *efficienda* A dan. B a C f g h l E u. *perficienda* reliqui. — *polliceretur* E u. — *Si perfecerit* A dan. leid. B a b d C f g h i k l E u s. *Si fecerit* reliqui. — *a se rei* C g h.

10. *Repulsam accepturum* C i k. — *suspitionem* B a C h k E a. — *Lacedæmonio* B c. — *In* om. E u. — *capitis accusatus* C f. — *mulctatus* C i.

15. *Calida* B d. — *clementi* B a. — *oratione* E v a u. — *cognata* A dan. *cogitata* E u. — *Medico* B c. *modica* C f. — *Medii et* B b. — *luxuriosus* C g. — *perp. poterant* C f. — *conveniundi* A dan. B a c C g h. *conveniendi* reliqui. — *non* om. E a.

20. *Resp. et crudeliter* (B d e?) E v a. — *Troadis* C i k l. — *secum tulerat* C f. — *cum patriæ* (B c d e?) E v s. — *sibi* om. C f. — *cupiebat* C f i.

Lacedæmonii resciernnt, legatos cum laua ad eum miserunt, in qua more illorum erat scriptum: nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos. 5. Hoc nuntio commotus, sperans, se etiam tum pecunia et potentia instans periculum posse depellere, domum 5 rediit. Huc ut venit, ab ephoris in vincla publica est coniectus. Licet enim legibus eorum cuivis ephoro hoc facere regi. Hinc tamen se expedivit; neque eo magis carebat suspicione. Nam opinio manebat, eum cum rege habere societatem. 6. Est genus quoddam hominum, quod Illotæ vocatur, quorum magna multitudo 10 agros Lacedæmoniorum colit servorumque munere fungitur. Hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur. 7. Sed quod harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant, de tali tamque claro viro suspicionibus oportere iudicari, et exspectandum, dum se ipsa res aperiret.

15 IV. 1. Interim Argilius quidam adulescentulus, quem puerum Pausanias amore venerio dilexerat, cum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum redisset, qui super tali causa eodem missi erant, vincla epistolæ laxavit signoque detracto cognovit, 20 si pertulisset, sibi esse pereundum. 2. Erant in eadem epi-

9. *εἱλῶται.*

1. *Resciverunt* (B d e ?) E v a s. *rescirent* C f. — *cum laua* A dan. gif. B a schott. *cum lana* B b c d e savar. C f monac. E v. *cum lana lancea* in marg. *σκυταλην tucydides* C h. *cum lancea* C g k l cantabr. E a. *cum lantea* in marg. *σχυτάλη δουλη* C i. *cum scytala* E u s. (ab Aldo). Verborum ordinem dedi e B a b C f monac. g h i k l. *ad eum cum .... miserunt* reliqui. — *reverteret* C h. — *dampnaturos* B a. — *commotus* B a b savar. C f g h i k l E s. *motus* reliqui. — *etiam tum* B a b E u s. *etiam cum* reliqui.

5. *Redit* B c d C l ? — *ad ephoros* B e. — *vincula* omnes præter B a b. — *est coniectus* B a b C f g h i k. *coniectus est* reliqui. — *legibus illorum* C f. — *cuius* C f E v. — *hæc facere* E v a u. — *facere regi* in marg. *quod* B b. *facere quod regi* B c. — *Huic tamen* E v. — *societatem habere* C f. — *illotæ alias heclotæ* A dan. *illote* B a b e C i k l. *ullote* B c. *illothæ* C f. *ilotæ* C g h E v a. *elote* B d. *εἰλόται* in marg. C i. *εἵλετες* in marg. C g. *helotæ* E u. *helotes* E s.

10. *Solicitare* B b d C g l E u. — *tali tanquam* C f. *tali tantoque* C i. — *viro claro* C i k l. — *iudicare* B e. — *et* om. C f. — *se res ipsa* C f. *ipsa res se* C i.

15. *Adolesc. quidam* C f. — *venerio* A dan. B a. *venero* B e. *venereo* reliqui. — *Artabagum* B b. *Arthabarum* E v. *Artabarum* E a. — *redisset* B a b C f g h i. *rediisset* reliqui. — *eodem tali causa* C i k l. — *vincla* B a b C g h i. *vincula* reliqui. — *laceravit* C monac. k l.

20. *Si pertulisset* om. C. monac. — *Erant .... pertinebant* om. B c.

stola, quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem Pausaniamque convenerant. Has ille litteras ephoris tradidit. 3. Non est prætereunda gravitas Lacedæmoniorum hoc loco. Nam ne huius quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent, neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse iudicasset. 4. Itaque huic 5 indici, quid fieri vellent, præceperunt. Fanum Neptuni est Thenari, quod violari nefas putant Græci. Eo ille index confugit in araque consedit. Hanc iuxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex ephoris quidem descenderunt. 5. Pausanias, ut audivit, Argilium con- 10 fugisse in aram, perturbatus venit eo. Quem cum supplicem dei videret in ara sedentem, quærit, causæ quid sit tam repentino consilio. Huic ille, quid ex litteris comperisset, aperit. 6. Modo magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne enuntiaret nec se, meritum de illo optime, proderet. Quod si eam veniam sibi de- 15 disset, tantisque implicatum rebus sublevasset, magno ei præmio futurum.

V. 1. His rebus ephori cognitis satius putarunt, in urbe eum comprehendi. Quo cum essent profecti, et Pausanias, placato Argilio ut putabat, Lacedæmonem reverteretur, in itinere, cum iam in 20 eo esset, ut comprehenderetur, ex vultu cuiusdam ephori, qui eum admoneri cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. 2. Itaque paucis

5. Indicasset. 6. Tænari.

1. *Ad ea* om. Cf. — *His ille litteris* Cf. — *iudicio* Ev. — *nec prius* Cf. *vim prius* Ci.

5. *Iudicasset* A dan. Ba Cf Ev. *indicasset* reliqui. — *iudici* Ev. — *phanum* C thott. *vanum* Be — *Thenari* Bab Cfgh. *Tænari* reliqui. — *nephas* Cfhi. — *iudex* Ev. — *ara consedit* omnes præter A dan. Bc Eu.— *quis qui* Cf. *quis aliquid* Cghik. — *Argillo* Cf.

10. *Argillum* Cf. — *perturbatus* om. Be schott. — *eo venit* Es (a Lambino). — *repentini consilii* Bde Cfg hikl Evas; item A dan., in quo adscriptum erat *al. repentino consilio*, et Ba, in quo spl. est *l'o .... l'o*, et Eu, quæ in marg. habet *Al. repentino consilio*. In ipso verborum ordine illud exhibent Bbc. — *aperit ei modo* Cf.— *Modo non magis* Ck. — *Pausanias* om. Be. — *perturbatus* om. Cg. — *ne nunciaret* Eva. *ne ennunciaret* A dan.

15. *Si illam* Cf. — *implicitum* (Bd?) Evas. — *magnoque ei* Eva. — *satis* Cf. — *putarunt* Babc Cfgk Eu. *putaverunt* reliqui. — *compremdi* Cf. — *Argillo* Cf.

20. *Cum iam .... ut iam compr.* C monac. ghik Es. — *comprehendentur* C monac. — *compr. et ex vultu* ClE va. — *admoneri* A leid. Be Cghkl Eu. *ammoneri al. admoneri* A dan. *ammoneri* Bac. *amoveri* B oxon. Cf. *admonere* Bbd Evas.

ante gradibus, quam qui sequebantur, in ædem Minervæ, quæ chalcidicos vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas eius ædis obstruxerunt tectumque sunt demoliti, quo celerius sub divo interiret. 3. Dicitur, eo tempore matrem Pausaniæ vi-
5 xisse eamque iam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum lapidem ad introitum ædis attulisse. 4. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Hic cum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. 5. Cuius mortui corpus cum eodem non nulli dicerent inferri opor-
10 tere, quo hi, qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus, et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. Inde posterius Delphici responso erutus atque eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.

2. chalcioicos.

1. *Ante diebus quam* Ci. – *qui eum sequebantur* A dan. – *quæ* om. Ck – *Chalcidicos* A dan. Bc. *Calchidicos* Babd Cfh. *Chalchidicos* in marg. *Chaldicos* Cg. *Chalciœcus* Cik Evas. *χαλκίοικος* Cl Eu, in marg. Ci. *Chalcidicus* Be. – *ne* om. Ba. – *eius* om. Cikl. *eius sedis* Cf. — *tectum sunt* Cf. -- *moliti sunt* Be – *quo celerius* A leid. Babde Cf monac. ghikl E us. *quo facilius* A gif.? Bc schott.? in marg. Cl Eva. -- *sub dio* Eu (ab Aldo).

5. *Magno* om. Bd. *magno metu* B schott. – *Pausanias magni* Cl. – *semianimus* Ck. – *e templo* Eu. – *dicerent non ulli* Cf. -- *inferre* Bab Ci k. *i* spl. Bb.

10. *Quo hii* Ba. – *displ. multis et* Ci. – *infod. in quo* Es (a Lambino). – *Inde in post.* Ci. – *delfici* C monac. – *exutus* Ev. – *eodem* om. Eva. – *vitam finierat* Eva.

V.

CIMON.

Cimon, Miltiadis filius, Atheniensis, duro admodum initio usus est adolescentiæ. Nam cum pater eius litem æstimatam populo solvere non potuisset ob eamque causam in vinclis publicis decessisset, Cimon eadem custodia tenebatur neque legibus Atheniensibus

1. *Cymon* Cghkl Eva (semper sic), item Ba, qui tamen hoc loco *Symon* spl. C habet *Cumon* aliquoties Ck. – *diro* Eva. – *extimatam* Bb Cfh Eva. – *in* om. Bd. — *vinclis* Bab. *vinculis* reliqui. – *custodi* Ev. – *Atheniensium* Ck. *Athen* Cf.

mitti poterat, nisi pecuniam, qua pater multatus erat, solvisset. 2. Habebat autem in matrimonio sororem germanam suam, nomine Helpicenem, non magis amore quam more ductus. Namque Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere. 3. Huius coniugii cupidus Callias quidam, non tam generosus quam pecuniosus, qui 5 magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, ut eam sibi uxorem daret: id si impetrasset, se pro illo pecuniam soluturum. 4. Is cum talem conditionem aspernaretur, Helpicene negavit, se passuram Miltiadis progeniem in vinclis publicis interire, quoniam prohibere posset; seque Calliæ nupturam, si ea, quæ pollicere̱tur, præstitisset. 10

II. 1. Tali modo custodia liberatus Cimon celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam tum iuris civilis tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitibus fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate et apud exercitum 15 plurimum valuit auctoritate. 2. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit, oppidum Amphipolim constituit eoque .X. Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phœnicum ducentarum navium classem devictam cepit 3. eodemque die pari fortuna in terra usus est. 20 Namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorumque maximam vim uno concursu prostravit. 4. Qua vi-

1. *Pater* om. Cf. — *mulct. fuerat* Bc. *mulct. esset* Eva. – *solveret* Bc. – *nomine* om. Eau. – *Helpicenem* A dan. leid. *Delpieenem* Bab Ci. *Helpiniecem* Cfgh. *Helphinicen* Ck. *Elpenicem* Ev. *Helpinicen* Ea. *Elpinicen* Eus. — *quam ore* Ev. -- *Namque* A dan. Eu. *Nam* reliqui. – *Atthen.* Ba.

5. *Calias* Cf. -- *egit Cimone* Bc. – *sibi in uxorem* Cf. – *imp. pro eo pec.* Cf. -- *His cum* Cf. – *aspernatur* Bc. *aspernarent* Bc. -- *Helpicene* A dan. Babe. *Helpicine* Cf. *Helpinice* BdC ghl Ea. *Elpenices* Ev. *Delpicene*, in marg. *Delphinice* Ci. *Elpinice* Eus.— *Milciades* Cf. – *vinclis* Bab Ea. *vinculis* reliqui. – *int. quando pr.* Chik.

10. *Posset* om. Ev. – *Callias* Be. -- *Cimo* in marg. *Cymo* Ba. – *tum satis* Be. – *eloquentiæ satis* Bc. – *tum iuris* Babc Cfik Eau. *cum iuris* reliqui.– *cum rei* Bc. — *exercitibus* A dan. gif. Ba. *exercitu* reliqui.

15. *Strimona* Bb Cfhi. — *Tracum* Ch. *Trachum* Cf. --- *constituit eo* Cf. — .X. A dan. Bab. *exercitu* Bc. .X. *milia* Cfi. *decem milia* reliqui. -- *Idem interim* Eau.— *Micalen* Ba Ci. *Michalen* C thott. *Michalem* Bb Cgh. *Micalem* Ci. *Michaelem* Cf. *Mychalē* Ev. *Mychalem* Ea. *Mychalen* Bcde. -- *Cyprorum* A gif.? Bce schott. Cfghik Eas.)(B abd Evu. – *CC navium* Ci.

20. *Devinctam* Cl Ea. – *in* om. Eu. -- *in terra* om Bbce. – *Nam hostium* Bc.-- *capti* Be.– *barborumque* Bc. *barbarorum uno* Ev. -- *vim maximam* Cf. -- *uno conc. max. vim* (Bde?) Evs.)(Bab c Cghikl Eau.

ctoria magna præda potitus cum domum reverteretur, quod iam non nullæ insulæ propter acerbitatem imperii defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit. 3. Cyprum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserant, 5 vacuefecit, sessores veteres urbe insulaque eiecit, agros civibus divisit. Thasios opulentia fretos suo adventu fregit. His ex manubiis arx Athenarum, quæ ad meridiem vergit, est ornata.

III. 1. Quibus rebus cum unus in civitate maxime floreret, incidit in eandem invidiam, quam pater suus ceterique Atheniensium 10 principes. Nam testarum suffragiis, quod illi ὀστρακισμὸν vocant, .X. annorum exilio multatus est. 2. Cuius facti celerius Athenienses quam ipsum pœnituit. Nam cum ille animo forti invidiæ ingratorum civium cessisset bellumque Lacedæmonii Atheniensibus indixissent, confestim notae eius virtutis desiderium consecutum 15 est. 3. Itaque post annum quintum, quam expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur, satius existimans contendere Lacedaemonem, sua sponte est profectus pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit. 4. Post, neque ita multo, Cyprum cum ducentis navibus imperator 20 missus, cum eius majorem partem insulae devicisset, in morbum implicitus, in oppido Cythio est mortuus.

1. *Rev. cum iam* Cf. – *bene animatas confimavit* om. B oxon. Ev. – *Cyprum* A dan. gif. Babde schott. Ev. *Schyrum* Cf. monac. gh. *Scyrum* Cikl Eaus. – *Delopes* Cg. - *gesserat* Es (ab Aldo).

5. *Div. et Th.* Be. *dimisit* Ev. — *Tharsos* Cfg. *i* spl. Cg. *Tasios* Ch. *Thracios* Be. – *apulentia* Ck. – *His e* Ev. – *manibus* Bc. *navibus* Eu. – *Athenarum arx* Evs. — *qua ad* E Magii. — *merid. pertinet est* Ck. — *maxime in civit.* Ci. — *invidiam in quam* Ckl. – *Ath. duces. Nam* Ci.

10. *Testularum* Cg. — ΟCΘΡΑΚΥCΗΟC Ba. ΟCΦΡΑΧΥCΜΟC Bb om. vocabulum Bce. *hostracos* Bd. *hostratos* Eva. *ostrachismon* Cfghikl. *ostracismum* Es. ὀστρακισμὸν in marg. Cgi; Eu. – *vocat* Cf. – *decem* omnes præter a gif. Ba. – *mulctatus* omnes præter A dan. gif. Ba Eus. — *quam illum pœn.* Ci. — *forti animo* Es (a Lambino). – *confestim nocte* Cg. – *virtutes* spl. *l'i* Bd Ci. – *consequntum* Bd.

15. *Quintum quam* A dan. Ba Eu. *quintum quo* reliqui. – *Ille quidem* Ci. – *Voces aliquot desiderari videntur* in marg. Eu. — *satis* Cf monac. ghik cantabr. – *æstimans* Be. – *ex. verbis contendere* C cantabr. – *contendere* spl. e Bb. *concede* Ch. *contemnere* Ck. – *Lacedæmonen* Ci. – *est* om. Cf. – *pacem inter* Be. — *ita* om. Be. — *CC navibus* Ci. — *navibus nuper m.* Bb. *navibus super m.* Be.

20. *Sed in morbum* Be. – *in morbo* Cfgh. — *dev. morbo imp.* Eu. — *Cythio* A dan. Babcd Ch Evau. *Cytio* Cgil. *Cithio* Cf. *Citio* CkEs (ab Aldo).

IV. 1. Hunc Athenienses non solum in bello sed etiam in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate, cum compluribus locis praedia hortosque haberet, ut numquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, nequis impediretur, quo minus eius rebus, quibus quisque vellet, frueretur. 2. Semper 5 eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, siquis opis eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe, cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. 3. Cotidie sic cœna ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere 10 nullum diem praetermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. 4. Sic se gerendo minime est mirandum, si et vita eius fuit secura et mors acerba. 15

1. *In* om. Eu. — *sedetiam* B a c C f g h k l E u. — *sed et* B b. *etiam* om. B collR. d e E v a s. – *in* om. E u. – *desyderaverunt* E a (plerumque sic). — *des. Tanta liberal. usus est cum* C cantabr. – *cum quampluribus* B e. – *ortosque* B b C f g k. — *in* om. B c monac. E u. — *custodes* B c. — *posuerit* C monac.
5. *Quisque* om. E v a u. *quibus quis* C f. *quibus quisque* A dan. gif. leid. B a b c d e savar. schott. C g h i k l E s. – *pedisequi* C f h E s. — *numis* C g h i. – *aminiculum* E v a. *amiculum suum* C f monac. g h i k. *amic. suum detrahebat* a manu 2. in rasura C h. – *Cotidie* A gif. B a. *Quotidie* reliqui. — *ei cœna* C i. *cœna eius* C h. – *quoquebatur* C f E v.
10. *Convocatos* E v a. — *devoraret* B e E v. *devorarent* E a. — *quod ut faceret* E u. – *nulla res* C l. – *quam plures* B e. *quoplures* C k. – *qui inde* C f. – *reliquisset* C f. – *est minime* C i. – *admirandum* B c. – *sic et* C f. *s; et* (i. e *sed et*) B a. – *eius fuerit* C f g h i l. – *secuta* B d.

VI.

LYSANDER.

Lysander, Lacedæmonius, magnam reliquit sui famam, magis felicitate quam virtute partam. Atheniensis enim Peloponensios

2. Peloponnesios.

1. *Lisander* C f g h k (semper sic). – *reliquid* B a. – *Atheniensis* B a. *Athenienseis* E u s. *Athenienses* reliqui. — *enim Pelop.* B a b c d e C f monac. *enim in Pelop.* collR. E v a u s. *enim adversus Pelop.* C g h i k l. — *Pelonensios* B a. *Peloponensios* C f. *Peloponensio* B b. *Peloponnesso* B c. *Peloponcssios* C g h i k l. *Peloponesios* B e. *Peloponnesos* E a. *Peloponnesios* C monac. E v u s.

sexto et vicesimo anno bellum gerentes confecisse apparet. **2.** Id qua ratione consecutus sit, latet. Non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum, qui, quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis navibus
5 in hostium venerunt potestatem. Quo facto Athenienses se Lacedaemoniis dederunt. **3.** Hac victoria Lysander elatus, cum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit, ut eius opera in maximum odium Graeciae Lacedaemonii pervenerint. **4.** Nam cum hanc causam Lacedaemonii dictassent sibi esse belli, ut Athe-
10 niensium impotentem dominationem refringerent, postquam apud Egos flumen Lysander classis hostium est potitus, nihil aliud molitus est, quam ut omnes civitates in sua teneret potestate, cum id se Lacedaemoniorum causa facere simularet. **5.** Namque undique, qui Atheniensium rebus studuissent, eiectis, decem delegerat in
15 unaquaque civitate, quibus summum imperium potestatemque omnium rerum committeret. Horum in numero nemo admittebatur, nisi qui aut eius hospitio contineretur, aut se illius fore proprium fide confirmarat.

II. **1.** Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constituta,
20 ipsius nutu omnia gerebantur. Cuius de crudelitate ac perfidia satis est unam rem exempli gratia proferre, ne de eodem plura enumerando defatigemus lectores. **2.** Victor ex Asia cum reverteretur Thasumque divertisset, quod ea civitas praecipua fide fuerat erga Athenienses, proinde ac si idem firmissimi solerent esse amici,

1. *Vicessimo* Ba. *vigesimo* BbCgEvau. XX. Cfi. – *apparet cesqua* Be. – *est latet* Cf. – *inmodestia* Cfh. – *est* om. Be. – *suis* om. Ci. – *agris host. rel. nav.* Ci.

5. *Devenerunt* Cf. – *se* om. Cik. – *dederunt* Ba collR. de schott. CfEv. *dediderunt* rel. – *indulxit* BbeCk. – *hodium* Cf. – *dictarunt* Bc. *dictitassent* a manu 2. Cg Eu (a Brixiensi). – *bellum* Ea.

10. *Inpotentem* Cfhi Eva. – *refrigerent* Ba CikEa. – *Eghos* Eva. *Ægos* Eus. – *Lysander* om. Cf. – *classe* Eu. – *nichil* Bab (semper sic). – *est molitus* Cfghik. – *suo tenore* Be. – *tum id* Cf. – *simulavit* a manu 1. Cl. – *Atheniensibus* Cf. – *eiectis studuisset* Ck. – *delegerant* Ch. *delegarat* Bbd Ck, spl. *delegerat* Bd.

15. *Summum in potest.* Cf. – *committerent* Ch. – *numerum* Eu. – *amittebatur* Ba. – *continerentur aut si* Cf. – *fore illius* Cik. – *confirmat* Cf. – *Itaque dec.* Ci. – *X. iurali* Cf.

20. *Crud. et perf.* Ch. *perf. ac crud.* Ci. – *ut de* Cf. – *de* om. Ci. – *eadem* Cikl, spl. *eodem* Cl. – *fatigemus* (Bc?) CfEvau. – *cum ex Asia* Cik. – *Thassumque* Bd Evs, in marg. Ci. *Tharsumque* Cfg. – *proinde* Bab Es. *perinde* reliqui. – *ac si*, in marg. *Fort. ac si non* Eu. – *si idem* om. Cf. *idem* BaCghikl. *iidem* reliq.

qui constantes fuissent inimici, pervertere eam concupivit. 3. Vidit autem, nisi in eo occultasset voluntatem, futurum, ut Thasii dilaberentur consulerentque rebus suis.

III. 1. Itaque hi decemviralem suam potestatem ab illo constitutam sustulerunt. Quo dolore incensus iniit consilia, reges 5 Lacedaemoniorum tollere. Sed sentiebat, id se sine ope deorum facere non posse, quod Lacedaemonii omnia ad oracula referre consuerant. 2. Primum Delphi corrumpere est conatus. Cum id non potuisset, Dodonam adortus est. Hinc quoque repulsus dixit, se vota suscepisse, quae Iovi Hammoni solveret: existimans, se 10 Afros facilius corrupturum. 3. Hac spe cum profectus esset in Africam, multum eum antistites Iovis fefellerunt. Nam non solum corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedaemonem miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset. 4. Accusatus hoc crimine iudicumque absolutus senten- 15 tiis, Orchemenis missus subsidio, occisus est a Thebanis apud Haliartum. 5. Quam vere de eo foret iudicatum, oratio indicio fuit, quae post mortem in domo eius reperta est, in qua suadet Lacedaemoniis, ut, regia potestate dissoluta, ex omnibus dux deli-

3. 4. suis. Itaque....Itaque hi. 8. Delphicum corrumpere.

1. *Pervertere eam* Babd Cfghi. *eam pervertere* reliqui. -- *Vidit enim* C f. -*futuram* B d e Cl. spl. *futurum* Bd.-- *Tharsii* Cfgh. *Thassii* Es. — *delibarentur* Cf. *liberarentur* Be. — *Ita hi* B urbinas 436. *hi* om. Eva. *hii* Ba Es.)(A dan. leid. B'b Cfghikl. angelicus. — .X. *iuralem* Cf. — *potestatem suam* Ci. *suam pot. sui ab illo* Eva. *dec. potest. illam ab illo* A leid. *rebus suis ...... Itaque sui dec. illam potest. ab illo*, in marg. *Aεlπει* Eu.)(Bab. urbinas 436 Cfghkl. angelicus Es. — *substulerunt* Bb Cfi.

5. *Incensus* om. C f. — *Lacedæmonio's* Eu. — *se* om. B collR. c d Cfghik Evau.)(A dan. Babe Es. — *sine opere* Cg. — *deferre*, spl. *referre* Bé. — *consuerant* Ba. *consueverant* rel.--*Delphi* A dan. gif. Bab collR. de schott. Ev. *Delphis* B c. *Delphos* Cf monac. ghi kl Eaus. — *Dodoneam* Ci.

10. *Sese vota* Cgh. *voto* Ck. — *quæquæ Iovi* Bd. *quæq. Iovi* Be. — *Hammoni* A dan. Ba Evu. *Hamoni* Cg. *Ammoni* Bbd Eas. *Amoni* Cfh il. — *Affros* Cf. — *Ac spe* Be. — *esset profectus* Ci. -- *prefectus* Cf. — *in Africam'.... conatus esset* om. Cf. *Affricam* Ba Ci. — *multi* Ea. -- *corrumpi potuerunt* Ci. — *Lacedæmona* (Bc?) Ev. — *phani* Ch Eva.

15. *Accussatus* Ch. — *iudiciumque* Ba Cfh Ea. — *absolutum* Ea. — *Orchemenis* A dan. Bab. *Orchomenis* Be Cf Es. *Orchomeniis* (Bcd?) Cg hikl Evau. — *Aliartum* Ch. *Aliarthum* Cf. *Alyarthum* Eva. — *vero de* Ev. *fere de* Be. — *foret de eo* Cfgh Eau. — *inditio* Bb Eva. — *fuit* om. Bd. — *dux* om. Bd? Cikl. — *eligatur* Be schott.

gatur ad bellum gerendum, sed scripta, ut deum videretur congruere sententiae, quam ille se habiturum pecunia fidens non dubitabat. Hanc ei scripsisse Cleon Alicarnas dicitur.

IV. 1. Atque hoc loco non est praetereundum factum Phar-
5 nabazi, satrapis regis. Nam cum Lysander praefectus classis in bello multa crudeliter avareque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum, petiit a Pharnabazo, ut ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum *gessisset* sociosque tractasset, deque ea re accurate scriberet: magnam enim
10 eius auctoritatem in ea re futuram. 2. Huic ille liberaliter pollicetur; librum grandem verbis multis conscripsit, in quibus summis eum fert laudibus. Quem cum legisset probassetque, dum signatur, alterum pari magnitudine, tanta similitudine, ut discerni non posset, signatum subiecit, in quo accuratissime eius avaritiam perfidiamque
15 accusarat. 3. Hunc Lysander, domum cum redisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum quae voluerat

1. *Sed scripta.... sententiæ* om. Cf vaticanus 3412. monac. alexandrinus 1843. vaticanus 5262. ghikl. angelicus. Sed in marg. Ci hæc scripta: *in alio textu sic est repertum. sed scripta ut viderentur congrua sententiæ* — *ut deum v.* Ba. *ut dicit non v.* Be schott. *ut non v.* Bb urbinas 436. *ut deorum v.* (Bcd) Evaus. — *videntur* Be schott. *viderentur* Bb urbinas 436. — *congrue* Ba urbinas 436. *quam ille* Bac Eu, spl. Bd. *qua ille* Eva. *quo ille* Cl. *quod ille* Bb urbinas 436. de Cf monac. ghik Es. — *dubitavit* Cgh. — *deon* Ch. — *alicarnas* A dan. Bab savar. Cf Es. *halicarnas* Bde. *alycarnias* Ev. *alicarnasus* Cgik. *alicarnaseus* Chl. *alycarnaseus* Ea. *Halicarnasseus* Eu, Aldus. — *loco* om. A leid. — *est* om. Ci. — *Barnabazi* Be.

5. *Trapis* Ba. *satapris* Cg. *strupis* Ck. *strapis* Cl. *satrapæ* Eu. — *regis* Bac Cghk. *regii* reliqui. — *Nam quum* Bd (semper sic). — *classis* om. Ch in lacuna. — *avare fecisset* Ckl Ea. — *petiit* om. Ea — *a Pharn. petiit* Eu. — *Pharnabaze* Cg. — *ut ad ephoros* om. Cf. *ut aut eph.* Cl Ea (a manu 2. *aput* Cl). *ut aliud sibi eph. test. darent* Ck. — *sociosque tractasset* om. Cf. *socioque* Be. — *de eaque re* Evs.

10. *In eius re* Be. — *Hinc ille* Ch Ev. — *polliceretur* Cf. — *grandem* A dan. gif. leid. Eu. *grave* C monac. *gravem* reliqui. — *verbis multis* A dan. Bab Cf monac. gh Eu. *multis verbis* reliqui. — *perscripsit* Cf. — *sumis* Ba. — *fert* A dan. gif. leid. Bad Eu. *fere* Be. *effert* Bbc Cf monac. ghlE vas. *affert* Ck. — *signetur* Cf. *designatur* Ev. — *tanta similitudine* om. (Bc?) Ev. — *diserni* Ba.

15. *Accusavit* Be. *accusaret* Cgh k. — *Hunc Lys.* Babd Cfghikl. *Hinc Lys.* reliqui. — *maximos magistratus* Bc?

dixerat, testimonii loco librum a Pharnabaso datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, cum ephori cognossent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator.

1. *Dixit* Cf. — *libro* Bd Cf. — *Hinc* Bb Ck. — *submoto* Bbe. — *cognossent* Babcde Eu. *cognoscerent* Evas. *cognovisset* Cf. *cognovissent* C ghikl. — *ipsæ* Cl. — *dederunt* om. Bc. *darent* Cf. — *inprudens* Ci. — *sui* Ck.

VII.

ALCIBIADES.

Alcibiades, Cliniae filius, Atheniensis. In hoc quid natura efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. 2. Natus in amplissima civitate, summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res aptus, consiliique plenus. Namque imperator fuit summus et mari et terra; disertus, ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere; dives; 3. cum tempus posceret laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita quam victu; affabilis, blandus, temporibus calidissime serviens. 4. Idem, simul ac se remiserat, neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, disso-

15. callidissime.

5. Deficiunt in codice Vossiano tertio Alcibiadis ceterorumque deinceps vitæ, exstant Timoleontis et quæ eam excipiunt. *Clyniæ* a. — *In hoc quid n.* dan. *In quo quid n.* leid. *In quo n.*, in marg. a manu 2. *quid* suppletum sic ut nescias quo loco sit inserendum. *In hoc natura quid* reliqui. — *posset* i. — *nihil in illo* i. *nihil eo illo* h. — *viciis* ag Ea. — *vel virtut.* i. — *Nam in* Ev. — *omnium civitatis* cantabr. — *suæ* om. d. — *fortissimus* i.

10. *Consiliisque* cantabr. *consilii plenus* i. — *summus mari* Evu. — *in primis ut* i. — *valeret et tanta* hEvu. *val. quia tanta* f. *val. quod erat tanta* i.)(dan. gif. abcdgkl Eas. — *ornationis* f. — *dives* dan. gif. ab collR. d schott. *deinde cum* reliqui. — *laboriosius* f. — *non minus ... victu* om. Eu. — *quam in victu* ghk.

15. *Calidissime* dan. adfh *callidissime* rel. — *serviens* dan. ab collR. cf Eus. *inserviens* (d?) ghikl Eva. — *hac se* g. — *præmiserat* d Ev. — *nec causa* (d?) Evas. — *quare cum laborem* gh. — *præferret*, spl. *per* i.

lutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam.

II. 1. Educatus est in domo Pericli (privignus enim eius fuisse dicitur), eruditus a Socrate. Socerum habuit Hipponicum, omnium
5 Graecae linguae eloquentia ditissimum, ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci neque maiora posset consequi, quam vel natura vel fortuna tribueret. 2. Ineunte adolescentia amatus est a multis amore Graecorum: in eis Socrate, de quo mentionem facit Plato in symposio. Namque eum induxit commemorantem, se
10 pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse ac filius a parente debuerit. 3. Postea quam robustior est factus, non minus multos amavit, in quorum amore, quo ad licitum est, odiosa multa delicate iocoseque fecit: quae referremus, nisi maiora potiora haberemus.

15 III. 1. Bello Peloponnesio huius consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt: ad quod gerendum ipse dux delectus est; duo præterea collegæ dati, Mitia et Lammachus. 2. Id cum appararetur, prius quam classis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, deicerentur,
20 præter unum, qui ante ianuam erat Androcidi. (Itaque ille postea

17. Nicia et Lamachus. 20. Andocidi.

1. *Intemperatus* i. — *ammirarentur* a. — *in* om. i. — *esse* om. Ev. *inesse* Es (a Lambino). — *diss. tantamque div.* fh Ea. *diss. ut discerni non posset tamque div.* i. — *est* om. g. — *Pericli* dan. a c. *Periclis* reliqui. — *enim suus fuisse* Eva. — *dic. et eruditus* i. — *a Societate* d. — *Hypponicum* a. *Hippositum* g.

5. *Græciæ* g. — *eloquentiæ* g. *loquentia* collR. i. — *ditissimum* dan. gif. a b d schott. i Eu. *disertissimum* collR. c f monac. thott. g h k l Evas. *Al. disertissimum* in marg. Eu. — *si* om. h. — *nec ... nec* f. — *quæ vel* c. — *natura vel fortuna* dan. f Eu. *fortuna vel natura* reliqui. — *tribueret* dan. a b i. *tribuerant* c. *tribuerat* reliqui. — *amore* dan. gif. a b c. *more* reliqui. — *eis Socrate* dan. a b f g h i k l. *a* spl. b. *eis a Socrate* reliqui. — *Socrates* f. *Socratem* l. — *symphosio* f i.

10. *Pernotasse* a. — *cum Socrate* om. f. — *nec* i. — *a patre* fh. — *debuerat* c. — *odiose* Eu. — *delicata* l. m. *delicateque fecit* i. — *potiora* dan. a f. *potioraque* reliqui.

15. *Peloponnesio* dan. o k Eu. *Peloponensio* a. *Peloponenso* f. *Peloponessio* g h i l. *Peloponesso* b d Es. *Peloponnesiaco* Eva. — *electus* f. — *Mitia* dan. a b. *Micia* c. *Nitia* d. *Nicias* f g h Evaus. *Nitias* i k. *Nisias* l. — *Lammachus* dan. a. *Lamancus* b. *Lamauchus* c. *Lamacus* f g h i k Eva. *Lamachus* Eus. — *quæ in* Ev. — *deiceretur* dan.

20. *Androcidi ... Mercurius* om. libri omnes præter dan. et Eu, quæ *erat Androclidis* habet.

Mercurius Androcydes vocitatus est.) 3. Hoc cum appareret non sine magna multorum consensione esse factum, quæ non ad privatam sed publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est iniectus, nequa repentina vis in civitate existeret, quæ libertatem opprimeret populi. 4. Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur, quod et potentior et maior, quam privatus, existimabatur. Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat. 5. Quare fiebat, ut omnium oculos, quotienscunque in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur. Itaque non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quod et obesse plurimum et prodesse poterat. 6. Aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur: quod nefas erat more Atheniensium; idque non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur.

IV. 1. Hoc crimine in contentione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens neque ignorans civium suorum consuetudinem, postulabat, siquid de se agi vellent, potius de præsente quæstio haberetur, quam absens invidiæ crimine accusaretur. 2. Inimici vero eius quiescendum in præsenti, quia noceri non posse intelligebant, et illud tempus expectandum decreverunt, quo si exisset, ut absentem aggrederentur:

1. Andocides.

1. *Androcydes* dan. *Androclydes* akl Es. *Androclides* b collR. cd schott. fi Evau. *Androchlides* gh. [*Androclidi Androclidisque* oxon.? *Androcly Hermes* l. ?]. -- *vocitatus* dan. ab collR. dfikl Eas. *vocatus* reliqui. -- *est* om. df. -- *confusione* e. -- *quæ non* abghl. *quod non* rel. -- *privatum* Ev -- *sed publicam* abcfg h E magii. *sed ad publicam* collR. rel. -- *timor* om. c.

5. *Populi lib. opprim.* Es (a Lambino). -- *Alcibiade* gh. -- *videbantur* c. -- *quod potentior* i. -- *quam privatus* om. f. -- *devinxerant* f. -- *plures enim op.* f Ev. -- *opere* savar. -- *reduxerat* Ev. -- *fiebat* om. f. -- *quotienscunque* abdfg hkl Eva. *quotiescunque* reliqui. -- *prodissent* c. -- *nec ei* f. -- *quisquam* om. c.

10. *In eo non solum spem* i. -- *Adspergebatur* b. *Aspergebatur* reliqui. -- *misteria* afh. -- *nephas* fg.

15. *Contentione* gif. abcil Evaus. *contentionem* d schott. fgh. *contione* k. -- *ab amicis* f. -- *compellebatur* c schott. gk. -- *ad belli* f. -- *proficisci* i. -- *ille metuens* ghkl. -- *atque ignorans* i. -- *postulabat ut si* Es (a Lambino). -- *præsente* dan. leid. abd Es. *præsenti* cfghikl Evau. -- *quando absens* i. -- *invidia criminis* Eu.

20. *Fort. in præsens rati* in marg. Eu. -- *nocere* leid. f., spl. d Evau *noceri* dan. gif. abcdghikl Es. -- *posset* c. -- *et* om. Eu. -- *existet* d. -- *ut* om. leid. f. *ut si absentem* c. ?

itaque fecerunt. 3. Nam postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quod sacra violasset, reum fecerunt. Qua de re cum ei nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque in magna spe provinciæ bene administrandæ, non parere noluit et in trierem, quæ ad eum erat deportandum missa, ascendit. 4. Hac Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem, clam se ab custodibus subduxit et inde primum Elidem, dein Thebas venit. 5. Postquam autem se capitis damnatum, bonis publicatis, audivit, et, id quod usu venerat, Olympidas sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent, eiusque devotionis quo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea incisum, esse positum in publico, Lacedæmonem demigravit. 6. Ibi, ut ipse prædicare consueverat, non adversus patriam, sed inimicos suos bellum gessit, quod eidem hostes essent civitati: nam cum intelligerent, se plurimum prodesse posse rei .p., ex ea eiecisse plusque iræ suæ quam utilitati communi paruisse. 7. Itaque huius consilio Lacedæmonii cum Perse rege amicitiam fecerunt; dein Deceleam in Attica munierunt, præsidioque ibi perpetuo posito in obsidione Athenas tenuerunt. Eiusdem opera Ioniam a societate averterunt Atheniensium. Quo facto multo superiores bello esse cœperunt.

1. *Absentem....fecerunt* om. k. — *missus est* l. – *in* om. Ev.

5. *Amministrandæ* a. — *non* om. Eu. — *voluit* df Eva. – *in* om. ci. – *trierem* gif. a. *triremem* reliqui. *trirememque quæ* f. — *erat deportandum* dan. gif. *deportandum erat* reliqui. — *conscendit* Eu. — *Hæc* c. *Ac* dEva s. — *Turios* ghi. *Thuryos in ytaliam* a. — *provectus* f Es. — *multari secum* f. — *inmoderata* gh. — *utilissimum raptum* c. – *ab cust.* a b. *a cust.* rel.

10. *Primum cum El.* f. – *Elydem* a. *Eludem* c. – *dein* dan. Eu. *deinde* reliqui. – *autem* om. f. – *dampnatum* a. – *Olympidas* dan. gif. leid. bd savar. schott. gl. *Olimpidas* af. *Olympiadas* chik cantabr. Ea. *Olympiadæ* Ev. *Eumolpidas* Eu. *Eumolpidas et Cerycas a pop.* Es (ab Aldo). – *eius devotionis* Eu. – *testatio* ck. – *pylla* f.

15. *Consuerat* bf Eau. – *suos* om. c. – *eidem* dan. abcf. *iidem* reliqui. – *se plimum* a. – *posse* om. d Evas. – *rei .p.* dan. abg Eu. *.r.p.* f. *reipublicæ* reliqui. – *ieciese* c. – *plus quam iræ* h. *plus iræ* f. – *Huius itaque* i. – *Perse* abcdf monac. Evs. *Persa* Eu. *Persarum* ghikl Ea.

20. *Deinde* hikl Eva. — *Decelian* C monac. h Evs. — *in Affrica* c. — *muniverunt* i. – *ibi perpetuo* dan. ab fghik. *perpetuo ibi* reliqui. – *in* om. f. – *tenuerant* k. – *averterant* i.

V. 1. Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quam timore ab eo alienati. Nam cum acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt, ne caritate patriæ ductus aliquando ab ipsis descisceret et cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus eius interficiundi quærere instituerunt. 2. Id Alcibiadi diutius celari non potuit: erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset, præsertim cum animum attendisset ad cavendum. Itaque ad Thysaphernem, præfectum regis Darii, se contulit. 3. Cuius cum in intimam amicitiam pervenisset et Atheniensium, male gestis in Sicilia rebus, opes senescere, contra Lacedæmoniorum crescere videret; initio cum Pisandro prætore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuncios colloquitur et de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem, quo Alcibiades, sensu, populi potentiæ non amicus et optimatium fautor. 4. Ab hoc destitutus primum per Thrasybulum, Lycei filium, ab exercitu recipitur, prætorque fit apud Samum; post, suffragante Theramene, populi scito restituitur, parique absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo et Theramene. 5. Horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedæmonii, qui paulo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinque prœliis terrestribus, tribus navalibus, in quibus ducentas naves triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. 6. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum,

8. Tisaphernem.

1. *His verbis rebus* l. — *accerrimi* a. — *charitate* g h E a (semper sic). — *ab his desc.* i k l.

5. *In Græciam* g h. — *tempus eum int.* f. — *interficiundi* dan. a E u. *interfaciendi* c. *interficiendi* reliqui. — *cœlari* E v a u. — *non possit* f. — *Thysaph.* dan. b d. *Tysaph.* a E v. *Thisaph.* g. *Thisaf.* f h. *Tisaph.* i k l E a. *Thissaph.* c. *Tissaph.* E u s. — *Darei* E u. — *in* om. c., spl. a g.

10. *Lacedæmonium* c. — *videtur inicio* g h. — *Pisancho* E v. *Pidico* c. *Pysandro* a d g h. *Lysandro* in marg. a manu 2. h. — *suo faciat* i. — *Erat autem* f. — *quo* om. i k l. — *optimatium* a d E u. *optimatum* reliqui. — *fauctor* l.

15. *Ad hoc* a schott. — *Trasyb.* d g. *Trasib.* a b h. *Transib.* f. — *Lycei* dan. gif. a d schott. thott. g h i k l E s. *Licei* b. *Licet* c. *Lici* f. *Lyci* E v a u. — *recepitur* k. — *populi scito .... Theramene* om. f. — *populi scito* dan. gif. leid. a E u. *plebescito* b c d g i k. *plebiscito* reliqui. — *abiens imperio reficitur* schott. — *Thrasib.* a h. *Trasib.* b. — *in* om. c f g h k E v. — *rerum comm. est facta* f. — *Lacedæmonis* h.

20. *Perteriti* h E v (semper sic). *præterriti* d. — *trecentas* k. — *amiserunt* E u. — *potestatem venerant* i. — *collegiis acceperat* f. — *Helesp.* f g h.

multas præterea urbes Græcas, quæ in hora sitæ sunt Asiæ, quarum expugnarant complures, in his Bizantium; neque minus multas consilio ad amicitiam adiunxerant, quod in captos clementia fuerant usi. 7 Ita præda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.

5 VI. 1. His cum obviam universa civitas in Piræum descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad eius triremem vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset. 2. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores et præsentes secundas res accidisse eius opera. Itaque et Siciliæ amissum et 10 Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui præesse cœperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerant. 3. Hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus præfuerant, simul-15 que venerant in Piræum, tamen unum omnes illum persequebantur, et, id quod numquam antea usu venerat, nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis æneisque vulgo donabatur. Ille lacrumans talem benivolentiam civium suorum accipiebat, reminisci pristini temporis acerbitatem. 4. Postquam astum venit, contione advocata sic verba

1. ora. 2. Byzantium.

1. *Græciæ* f. *Græcas urbes* i. — *hora* dan. a. *ora* reliqui. — *sytæ sunt asyæ* a. *sita* g k l. — *expugnarant* dan. a b c d schott. E s. *expugnaverunt* E u. *expugnaverant* f monac. g h i k l. E v a. — *complures* dan. E u. *quamplures* reliqui. — *Bisantium* f l. *Bacantium* c. *Byzantium* E u s. — *nec minus* f. — *adiunxerat* f. *adiunxerunt* E s. — *dementia* g E v. — *usi* om. E s. — *In præda* E v. *Ibi præda* E s. — *honusti* f h i l E v a. — *locupleto* d. *locuplectato* g k (semper sic).

5. *Pireum* a f k. *Pyreum* b c i. *Pyræum* E a. *Pyræeum* E s. *Piræeum* E v u (semper sic). — *videndi* f. *Alcyb. visendi* i. — *ad eum tr.* i. — *proinde* dan. a h c f. *perinde* reliqui. — *adversus* E v. — *accidisset* f. — *ammissum* a. *admissum* b schott. g h k E v a. *amissum imperium et* d.)(dan. g i f. e f i l E u s.

10. *e* om. i. *ex* d E v s. — *expulsissent* g. — *Neque id* om. c. *Nec id* f. — *ceperat* a b f E a (plerumque sic). — *cœp. in terra* g. — *nec terra nec* f. — *poterant* f. *potuerunt* E a. — *e* om. omnes præter leid. a E u.

15. *Pyreum* a i. *Pyræum* E a. — *omnes* om. c. *illum unum omnes* E v a u s. *unum illum omnes* dan. d.?)(a b f g i k, item h, nisi quod *ille* habet. — *sequebantur* f. *prosequebantur* E s (ex emendat. Mureti). — *ante* f. — *us uenerat* E v. *usu evenerat* E a. — *victoribus olympiæ* i. — *lacrumans* dan. *lacry.* i E s. *lachry.* h E v a. *lacri.* reliqui. — *benevolentiam* E u s. — *civium su. acc. benivol.* i. — *reminisci* dan. a. *reminiscens* reliqui. — *astum* dan. a b c d f monac. E u. *astu* g h i k l E v a s. — *astu cepit venit e concione* l. *contione* a f h k E s. *concione* reliqui.

cit, ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lacrumarit inimi-
umque his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat,
roinde ac si alius populus, non ille ipse qui tum flebat, eum
crilegii damnasset. 5. Restituta ergo huic sunt publice bona,
idemque illi Olympidæ sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, 5
ui eum devoverant; pilæque illæ, in quibus devotio fuerat scripta,
mare præcipitatæ.

VII. 1. Hæc Alcibiadi lætitia non nimis fuit diuturna. Nam
um ei omnes essent honores decreti totaque res .p. domi bellique
radita, ut unius arbitrio gereretur; et ipse postulasset, ut duo 10
ibi collegæ darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id nega-
um esset: classe in Asiam profectus, quod apud Cymen minus ex
ententia rem gesserat, in invidiam recidit. 2. Nihil enim eum
on efficere posse ducebant. Ex quo fiebat, ut omnia minus pro-
pere gesta culpæ tribuerent, cum aut eum negligenter aut mali- 15
iose fecisse loquerentur: sicut tum accidit. Nam, corruptum a
ege capere Cymen noluisse, arguebant. 3. Itaque huic maxime
mputamus malo fuisse nimiam opinionem ingenii atque virtutis.
Timebatur enim non minus, quam diligebatur, ne, secunda fortuna
magnisque opibus elatus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus 20

1. *Facit* ikl. — *casum* om. g. *causam* Eu. — *lacrumarit* dan. *lacry.* E s. *lachry.* hi Eva. *lacri.* reliqui. — *se his* f. *iis se* d. *se iis* i. — *epulsus* l. — *proinde* ab. *perinde* reliqui. — *dampnasset* a. *dannasset* i. — *ergo* om. c.

5. *Iidemque* (d?) E s. (a Magio). *iidem* Evau.)(abcfghikl. — *illi* om. Eu. — *Olympidæ* dan. gif. abcd schott. hil. *Olmpide* k. *Olimpiæ* g. *Olimpiadæ* f. *Olympiadæ* Eva. *Eumolpidæ* Eu. *Eumolpidæ ac Ceryces rursus* Es (ab Aldo). — *resecrare* Eu. — *coacti sunt* f. — *pilasque illas .... præcipitare* ghikl. — *devocio* af. — *Hoc Alc.* Cl. — *leticia* afgh. — *non* om. Eva. — *minus fuit* fghEva. — *omnes essent ei* g. *ei essent omnes* Es (a Magio). *ei* om. c. *omnes* om. Eva. *essent* om. ikl. *ei omnes essent* dan. abfhEu. — *res .p.* abfgEu. *respublica* ceteri. — *belli domique* i.

10. *Sibi duo* i. — *collegæ sibi* f. — *Adumantus* i. *Adimanthus* a. *Adamanthus* d. — *classe iam in* ghikl)(abcdf monac. Evans. — *Cimen* h. *Omen* f. — *gessisset* i. — *in* om. c. — *eum* om. f. — *dicebant* f.

15. *Gesta eius culpæ* (d?) Eva. — *autem eum* fik. *eum aut* Es (a Lambino). — *loqueretur* c. — *sic tun acc.* h. *sic et tum acc.* Eu. *sicut tamen acc.* cfg. *sicut ratum acc.* cantabr. *sicut acc.* Evs.)(abdikl Ea. — *capere eum cimon* f. — *maximo* hikl. — *putamus* d? Eu. — *imp. malo causam fuisse* b collR. cfghEva. *malo imp. causam fuisse* ikl. *causam* om. dan. a Eu, item Es (a Lambino). — *nimiam* om. h. — *Timebantur* f. *timebant* oxon. — *diligebant* oxon.

20. *Elatus opibus* Evau. — *tyrannodem* h.

factum est, ut absenti magistratum abrogarent et alium in eius locum substituerent. 4. Id ille ut audivit, domum reverti noluit, et se Pactyæ contulit ibique tria castella communivit, Bornos, Bizam Themeonticos, manuque coniecta primus Græciæ civitatis
5 in Threciam introiit, gloriosius existimans, barbarorum præda locupletari, quam Graiorum. 5. Qua ex re creverat cum fama tum opibus, magnamque amicitiam sibi cum quibusdam regibus Threciæ pepererat.

VIII. 1. Neque tamen a caritate patriae potuit recedere.
10 Nam cum apud Egos flumen Philocles, praetor Atheniensium, classem constituisset suam, neque longe abesset Lysander, praetor Lacedaemoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum quam diutissime duceret, quod ipsis pecunia a rege suppeditabatur, contra Atheniensibus exhaustis praeter arma et navis nihil erat super:
15 2. Alcibiades ad exercitum venit Atheniensium ibique praesente vulgo agere cœpit; si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere, respondet: Lacedaemonios eo nolle classe confligere, quod pedestribus copiis plus quam navibus valerent;

3. Pactyen. 4. Bisanthen Neontichos, manuque conlecta. 17. spondet.

1. *Est* om. E a u. – *abrogaret* E a. *abrogaretur* i. – *noluit et si* f. – *Pactyæ* dan. a. *Pactye* b. *Pactyes* c. *Petye* savar. *Pethye* d. *Pactie* monac. *Patere Pactye* thott. *Patere Pactis* putean. *Pateræ* f g. *Pateram* h i k l. *Pataram* E v a. *Patara*, in marg. *Al. Pactiæ* E u. *Perinthum* E s (ab Longolio). — *communiit* a. — *Bizam* a f thott. g h E a s. *Byzam* b d l. *Biziam* c. *Bizan* in marg. g i. *Bizam*, spl. *s* i. *Bisam* E u. *Bisan* k. *Biram* E v. – *Themeonticos* a b thott. h i l E v a s. *Themeontichos* c d k E u. *Themonticos* g. *et themeonthicos* f. -- *mauitque* f. – *coniecta* dan. gif. a b c d schott. f g i E s. *collecta* h k l E v a u. – *Grææ* E u.

5. *Threciam* dan. gif. *Treciam* a. *Thraciam* reliqui. – *introivit* f g h i k. – *gloriosius* a. *gloriosus* c i. – *barbarum* a. – *locuplectari* f g k. (plerumque sic). -- *cr. cum fama tum o.* dan. d. oxon. E u, item a, in quo tamen *cum* spl. est. *cr. tum fama tum o.* leid. *cr. fama cum o.* b f g h i k E v a. *cr. fama tum o.* l. *cr. eius fama cum o.* E s (a Lambino). *cr. fama magnamque* c. – *regibus* om. f. – *Threciæ* dan. gif. a. *Traciæ* f h. *Thraciæ* reliqui. – *Nec tamen* f. – *recedere potuit* i k l.

10. *Ægos* g h E u s. – *Philodes* b h i E v a. *Phylocles* d. *Philopedes* c. – *constituit suam nec* f. – *neque a longe* h. -- *Lysander* om. f. – *quam durissime* f. – *ipsis pacientia* c. – *a rege* om. k. – *exaustis* f. – *navis* a g h i k l E v a. *naveis* E u s. *naves* reliqui.

15. *Athen. venit exercitum* E v a u s. – *ibique præsente* om. f. – *cohacturum* i. – *Lysand. aut dimicare aut* (i l?) – *respondet* om. h i k l E u. *respondent* g E v a s. *responderet* b collR. c d. *respondit* a. *responderunt* f)(monac. – *eo velle* f. – *classe confligere* dan. a. *confligere classe* reliqui.

sibi autem esse facile, Seuthem, regem Threcum, deducere, eos terra depelleret: quo facto necessario aut classe conflicturos, ut bellum composituros. 4. Id etsi vere dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere noluit, quod sentiebat, se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum, et, si quid secundi evenisset, nullam in ea re suam partem fore; contra ea, siquid adversi accidisset, se unum eius delicti futurum reum. 5. Ab hoc discedens Alcibiades *quoniam*, inquit, *victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, iuxta hostem castra habeas nautica: periculum est enim, ne inmodestia militum vestrorum occasio detur Lysandro vestri opprimendi exercitus.* 6. Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander, cum per speculatores comperisset, vulgum Atheniensium in terram praedatum exisse navesque pene inanes relictas, tempus rei gerendae non dimisit eoque impetu bellum totum delevit.

IX. 1. At Alcibiades, victis Atheniensibus non satis tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus iu Threciam se supra Propontidem abdidit, sperans, ibi facillime suam fortunam occuli posse. Falso. 2. Nam Threces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias fecerunt: qui ea, quae apportarat, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. 3. Ille cernens, nullum locum sibi tutum in Graecia propter potentiam Lacedaemoniorum, ad

1. *Esse fatale* c. -- *Seuthen* Eus. *e Uthen* k. *se Uthem* g *ut Uthem* i [*Vthes rex Thracum* in marg. g i]. *Secutem* f. *Seucem* Eva.)(abcdhl. -- *Threcum* dan. gif. a. *Thracum* reliqui. -- *inducere* Eu. -- *ut eum terra* spl. *Γeos* dan. a. *ut eum hos terra* b. *ut eum ex terra* il. *ut eum ex tra* k. *ut eos terra* cdfgh Evaus. -- *conflicturum....compositurum*, spl. *Γros....Γros* a. *conflicturos....composituros*, spl. *Γrum....Γrum* dan.? *conflicturum....compositurum* bcfghikl.)(dEvaus. -- *Philocles* bchEva. *Phylocles* d.

5. *Si quid....futurum* om. f. -- *suam* om. h. -- *ea* om. Eu. -- *unum eis* Ea. -- *delicti fore reum* Eu. -- *repugnans* fk. -- *hostem* om. f. *hostes* c Eva.

10. *Inmodestia* afgh. *immod.* reliqui. -- *vestrorum* dan. af monac. ghk. *nostrorum* rel. -- *nostr. militum* collR. -- *Lixandro* f. -- *vestri* dan. a. *nostri* reliqui. -- *vulgus* Eu. -- *terra* b. -- *prædatam* Ea. -- *tempusque rei* f. -- *bellum totum* dan. abghk. *totum bellum* reliqui.

15. *Satis tua* a. -- *ea loca* i. *sibi ead. loca* f. -- *arbitratus* collR. cdfghikl. *arbitrans* abEvaus. -- *Threciam* dan. gif. ab. *Thraciam* reliqui. -- *se* om. i. -- *Popontidem* a. *Proponcidem* h. *Propontide* k. -- *addidit* f. *abdit* i. -- *sibi* fhk. -- *facilime* Eu. -- *oculi* fgh. -- *posse. sed falso* k. -- *Threces* dan. gif. c. *Treces* a. *Traces* bfh. *Thraces* reliqui. -- *postquam Traces* f.

20. *Quia ea* c. -- *eaque apportarant* f. -- *apportavit* Eva. -- *abstulerant* fghl Ea. -- *ipsumque capere* f. -- *Greciam* f.

Pharnabazum in Asiam transiit: quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. Namque ei Grynium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquagena talenta vectigalis capiebat. 4. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus
5 neque Athenas victas Lacedaemoniis servire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. 5. Sed videbat, id sine rege Perse non posse fieri: ideoque eum amicum sibi cupiebat adiungi, neque dubitabat, facile se consecuturum, si modo eius conveniundi habuisset potestatem. Nam Cyrum fratrem ei
10 bellum clam parare, Lacedaemoniis adiuvantibus, sciebat: id si aperuisset, magnam se initurum gratiam videbat.

X. 1. Hoc cum moliretur peteretque a Pharnabazo, ut ad regem mitteretur, eodem tempore Crisias ceterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserant, qui
15 eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset: quare, si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur. 2. His Laco rebus commotus statuit, accuratius sibi agendum cum Pharnabazo societatem. Huic ergo renuntiat, quae regi cum Lacedaemoniis essent,
20 nisi Alcibiadem vivum aut mortuum sibi tradidisset. 3. Non tulit

13. Critias. 18. 19. Pharnabazo. Societatem huic.... esset, *nisi.*

1. *Farnabarum* f. – *Asyam* a. – *transit* d f E s. *transivit* c. – *cœpit* E a. – *amicia* a. *amicitiam* f. – *Grynium* a E u, in marg. i. *Grinium* b c thott. g h i l E a. *Grimum* f. *Grimium* d E v. *Grinum* k. *Grunium* E s (a Lambino). – *Grinium ei* i. – *Phrigia* b f *Frigia* a. – *quinquagena* dan. gif. a b schott. E u .*L.* i. *quinquaginta* reliqui. – *vectigalis habebat* c E v a. – *non* om. i.

5. *Sevire* a. – *rege* om. d. – *Persarum* g h l E v a u. – *fieri non posse* c i. – *eum animum* k. – *nec dubit.* f. – *conveniundi* dan. a E u. *conveniendi* reliqui. – *haberet* f. – *Cirum* f.

10. *Clam* om. h. – *apperuisset* a E a. – *se ab eo initurum* E s (a Lambino). – *inituram* g. – *Hoc* dan. a b d f g h i k E s. *Hæc* reliqui. – *molliretur* i. – *preter.* c. – *Pharnabaro* f. – *Crisias* a. *Chrysias* b c. *Cricias* f. *Chricias* g. *Chritias* h. *Crytias* i. *Critias* reliqui. – *ceteros hom.* a. – *in As. ad Lys.* i. – *Lisandrum* b f. – *Asyam* a. – *miserunt* c E v.

15. *Substulisset* f. – *rerum* om. E v a. – *res* om. g h. *res suas* i. – *Laco* om. f. *Lacon* d savar. E v a s. *latoribus commotus* monac. putean. i. *Laco rebus* dan. a b collR. c g h k l E u. – *accurantius* c. – *sibi agendum* om. i. *agendam* E s. – *Pharnabaro* f. *Pharbaso* k. – *societatem* om. (c d?). – *quæ* om. f. – *Lac. essent irrita futura nisi Alc.* (c d?) h i k l E v a.

20. *Nisi* om. f. – *sibi* om. (c?) h E v a. – *tradidissent* c. *tradidisset stare non posse. Non tulit* E v a. – *tulit hunc* a b c f g h. *tulit hanc* k l. *o* spl. b. *tulit hoc* reliqui.

nunc satrapes, et violare clementiam quam regis opes minui maluit. Itaque misit Susametrem et Bagaeum ad Alcibiadem interficiendum, cum ille esset in Phrygia iterque ad regem compararet. 4. Missi clam vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi cum ferro aggredi non auderent, noctu ligna 5 contulerunt circa sammeam, in qua quiescebat, eamque succenderunt: ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. 5. Ille autem ut sonitu flammae est excitatus, etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex Archadia hospes, qui numquam discedere voluerat. 10 Hunc sequi se iubet, et id quod in praesentia vestimentorum fuit, arripit. His in ignem eiectis, flammae vim transiit. 6. Quem ut barbari incendium effugisse viderunt, telis eminus missis interfecerunt caputque eius ad Pharnabazum retulerunt. At mulier, quae cum eo vivere consuerat, muliebri sua veste contectum aedificii 15 incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades, annos circiter .XL. natus, diem obiit supremum.

6. circa casam eam in. 10. Arcadia.

1. *Clæmentiam* E v a (semper sic). *dementiam* f. – *minus* i. – *malluit* g. – *Susametrem* dan. b c d f g h i k E a. *Susametren* a. *Sisametiem* E v. *Susamithrem* E u. *Susamithren* l? *Sysamithren* E s. – *Bagæum* dan. *Bageum* a b d schott. f g h i k l E s. *Bagrum* E v. *Mageum* E a. *Magæum* E u. *Calgenem* c. – *Alcibiaden* E s. – *Frigia* a f. *Frygia* g. – *in civitate* collR. *in civitatem* burgensis Magii; item d, sed in marg. *vicinitati*. – *datum neg*. b c f g h i k l.

5. *Erat*, *introeunt*; *quibus datum neg*. burgensis Magii. – *negocium* a f. – *cum securo aggr*. E v. – *aggredi* om. leid. – *sammeam* dan. gif. a schott. oxon. *samineam* d'savar. monac. g h E v a s, item E u, in qua *Al. sammeam*. *Utrumque prave* margini adscriptum est. *sanneam* i k l cantabr. *sarmeam* b c. *samenam* putean. *sameum* venetus Magii. *samimineam* f. – *subcenderunt* f. – *conficeretur* f. monac. g h i k l E a. – *superare* f. – *Ille enim ut* h. – *autem in sonitu* E v. – *sonitus* f. – *excitus*, spl. *ta* i. – *ei* om. k. *erat ei* f. – *sui suoalare* k. – *tellum* f (plerumque sic). *tœlum* E a (semper sic). – *erripuit* f l. *arripuit* k.

10. *Quidam cum eo* c. *cum illo quidam* f. – *Archadia* a b f i. *Arcadia* reliqui. – *fuit vestimentorum* f. – *arripit* dan. E u. *arripuit* a. *eripuit* k. *arripuit* reliqui. – *eiectis*, in marg. *Fort. iniectis. Plutarchus* ἐπέῤῥιψε τῷ πυρί E u. – *vim flammæ* i. *flammium trans*. d. – *transit* f E u. – *barbari ut* k. – *eminus* om. b f monac. g h i k l. *eminus viderunt telis* c E v a u.)(dan. leid. a collR. d E s. – *tellis* g h (semper fere sic). – *Pharnabarum* f. – *rettulerunt* E v a. – *Ac mulier* i.

15. *Vivere* om. E u. – *consuerat* dan. (i k?) *consueverat* reliqui. – *hedificii* f. – *mortuum corpus cremavit* f. – *ad unum* g h. – *comperatum* f. – *.XL.* a b h i. *quadraginta* reliqui. – *suppremum* a. *extremum* f.

XI. 1. Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit, Theopompus, qui post aliquanto natus, et Thymaeus: qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando con-
5 suerunt. 2. Namque ea, quae supra scripsimus, de eo praedicarunt atque hoc amplius: cum Athenis, splendidissima civitate, natus esset, omnes splendore ac dignitate superasse vitae; 3. postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset equiperare (omnes
10 enim Boetii magis firmitati corporis, quam ingenii acumini inserviunt); 4. eundem apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret; fuisse apud Thracas, homines vinolentos rebusque veneriis deditos: hos quoque
15 in his rebus antecessisse; 5. venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriose vivere: horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur; 6. quibus rebus effecisse, ut, apud quoscunque esset, princeps poneretur habereturque karissimus. Sed satis de hoc; reliquos
20 ordiamur.

4. laudando consentire consuerunt. 9. æquiperare. 10. Bœotii.

1. *Hystorici* a. -- *Thuckidides* a. *Tuchid.* bf. *Tucyd.* ghikEv. -- *Theop. qui fuit post* Evaus. *Theop. post* leid. *Theop. qui post* abcdfghikl. -- *Thymæus* dan. cd. *Thymeus* agh. *Timeus* bfi. *Timæus* reliqui. -- *duo quidem* f. -- *in illo* om. f. -- *uno* om. c. -- *consuerunt* dan. gif. a. *consenserunt* collR. d Es Aldus. *conscierunt* reliqui, etiam Eu. in qua *Al. consuerunt* margini adscriptum est; item b, in quo super *u* scriptum est *i*.

5. *Nam ea* Es (ab Ascensio). -- *supra diximus* (cdl?) Evaus.)(abfghik. -- *prædicaverunt* i. *prædicatur* l. -- *Athenis splendissima* a. -- *omnes* om. Ev. -- *superasse tute* h. *vitæ superasse* Es (a Lambino). -- *venerat* f. -- *cum* om. f. *cum labore* Eva. -- *æquiparare* Eaus.

10. *Bœotii* Eus. -- *accumini* a. -- *duritie* bck. *duricie* agEva. -- *omnes cultus* monac. g. *omnis cultus* hikl. *atque omnes lentos rebusque* [om. *cultus .... vino*] f. -- *Tracos*, in marg. *Tracas* h. *Trachas* Eva. *Thracas* dan. ab reliqui. -- *violentos* ci. -- *rebus vener.* k. -- *veneriis* dan. *venereiis* a. *venereis* reliqui.

15. *Quos sinoma* Ev. -- *laus est* i. -- *luxurioseque vivere* Eu. -- *hoc sic imitatus* f. -- *ammirarentur* a. -- *apud* om. g. -- *principes* Ev. -- *poneretur princeps* Es (ab Aldo). -- *haberetur charissimus* k. -- *karissimus* dan. a. *carissimus* reliqui. -- *ordinamur* l.

VIII.
THRASYBULUS.

Thrasybulus, Lyci filius, Atheniensis. Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam. Illud sine dubio: neminem huic praefero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore. 2. Nam quod multi voluerunt paucique potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare; huic contigit, ut a .XXX. oppressam tyrannis e servitute in libertatem vindicaret. 3. Sed nescio quo modo, cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate praecucurrerunt. Primum Peloponensio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc: quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri. 4. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus et fortuna, quod in prœlii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium. Itaque iure suo non nulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seque his plus valuisse quam ducis prudentiam, vere potest praedicare. 5. Quare illud magnificentissimum factum proprium est Thrasybuli. Nam cum .XXX. tyranni, praepositi a Lacedaemoniis, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos civis, quibus in bello parserat fortuna, partim patria ex-

8. Peloponnesio.

1. *Thrasib.* a. *Trasib.* b f h (semper fere sic). — *Lici* b E a. — *ponder. est* k. — *omnium primum* c. — *Illud quidem sine* f. *Illi sine dubio neminem præfero* d E v a s. — *huic profecto* f. — *animi'* om. i. — *patria* f. — *Namque multi* k.

5. *Pauci potuerunt* E v a s. — *tyramno* b (plerumque sic). — *a* om. c. — .XXX. a b. *triginta* reliqui. — *oppressa* f h i. - *ex servitute* (c d?) E v a s. — *vendicaret* k l. — *eum cum anteiret nemo* i. — *his* om. c. — *præcurrerunt* c d f E v s. — *Primo* f. — *Peloponensio* dan. a b. *Peloponensi* f g h i. *Peloponesi* l. *Peloponnessio* d. *Peloponnesio* E v a u s. — *ille nulla sine* f.

10. *Quæ illa* monac. g h i k l. — *univ. nulli bono quodam* f. — *Sed iste tamen* f. — *omnia* om. E u. — *quod* om. i. — *prœliis* l. — *concursu*, spl. *l'undique* i. — *abiit* c d f g h k E v a u. *habuit* i l)(a b E s. — *vires vique* g. *vires usque* leid. *vires cuiusque* schott. *vires nostrum cuiusque* collR. savar. *vires undique* putean.)(a b c d f h i k l E v a u s. — *pugnatum* f. — *non ulla* f. — *vero a fortuna* collR. d E v a s. — *vendicat* f g k l E v a u. *vendicavit* i. — *hic plus* d l? E s (a Lambino).

15. *Vere potest* om. g. — *prædicari* f g h l. *iudicari* k. — *Trhasibuli* a. — *cum* om. c. — .XXX. a i. *triginta* reliqui. — *Lacedæmonis* i. — *civis* a b. *cives* reliqui. — *parserat* dan. a c d E u s. *par erat* b. *pepercerat* f monac. thott. g h i k l E v a.

pulissent partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent: non solum princeps, sed et solus initio bellum his indixit.

II. 1. Hic enim cum Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum .XXX. de suis.
5 Hoc initium fuit salutis Acteorum, hoc robur libertatis clarissimae civitatis. 2. Neque vero hic non contemptus est primo a tyrannis, atque eius solitudo. Quæ quidem res et illis contemnentibus pernicii et huic despecto saluti fuit. Haec enim illos segnes ad persequendum, hos autem, tempore ad comparandum dato, *fecit ro-*
10 *bustiores.* 3. Quo magis praeceptum illud omnium in animis esse debet: nihil in bello oportere contemni; neque sine causa dici: matrem timidi flere non solere. 4. Neque tamen *pro opinione* Thrasybuli auctae sunt opes. Nam iam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur quam pugnabant. 5. Hinc in Pyræum
15 transiit Minthiamque munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti; ab eaque turpiter repulsi protinus in urbem, armis impedimentisque amissis, refugerunt. 6. Usus est Thrasybulus non minus prudentia quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit: *cives*
20 enim civibus parcere aequum censebat. Neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. Neminem iacentem veste spoliavit; nil attigit, nisi arma quorum indigebat, quaeque ad

5. Actæorum. 14. Piræum.

1. *Bona publica* k. — *inter se publicata* i. — *diviserunt* f. — *principes* h. — *sed etiam solus* a. — *his bellum* f. — *Philen* bikl Eva. *Phylem* cfgh. — *nos plus* h. — .XXX. a. *triginta* reliqui. *secum quam triginta* Eu (e Brixiana). — *ex suis* h.

5. *Hoc initium .... robur* om. c. — *salutis fuit* fghi. — *Acteorum* dan. a. *Actheorum* b. *Atticorum* reliqui. — *Nec vero* f. *Neque vero hic neque cont.* c. — *hic modo cont.* 1? — *contentus* fg. — *tyr. neque eius* c. monac. ghi kl Eva)(leid. abd schott. oxon. fE us. — *solicitudo* Eva. — *contempnentibus* a. *contendentibus* fk. — *pernicii* dan. gif. a. *perniciei* reliqui. — *ad perseq. segnes* cd Evaus)(dan. abf ghikl. — *hoc autem* f.

10. *Rubustiores* l. — *præceptorum* Ea. *Al. præceptorum* in marg. Eu. *posteeptum* g. — *animum* k. — *contempni* a. *nec sine* cfl Evaus)(ab dghik. — *sina causa* h. — *Timidi matrem* Eu. — *Neque tum* l. — *Thrasib.* a. *Trasib.* b. — *iam cum* fgi. — *Piræum* h. *Pireum* cd. *Piræeum* Evus.

15. *Transit* f. — *Minthiamque* dan. abcd. *Mintiamque* f. *Munichiamque* monac. ghikl Evau, item in marg. c. *Munychiamque* Es. — *tyranno* k. — *sunt* om. Eu. — *impedimentis amissis* d. — *Visus est* f. — *Thrasib.* a. *Trasib.* b. — *cedens* fk. *te* spl. k. — *violare* f.

20. *Parcere civibus* f. — *Nec quisquam* fgh. — *nihil attigit* ikl. — *ind. quæque ad* dan. collR. Eus. *ind. quæ ad* abf ghil. *ind. et quæ ad* (cd?) Eva. — *id victum* d.

victum pertinebant. 7. In secundo prœlio cecidit Critias, dux ty-
rannorum, cum quidem exadversus Thrasybulum fortissime pugnaret.

III. 1. Hoc deiecto Pausanias venit Atticis auxilio, rex Lace-
dæmoniorum. Is inter Thrasybulum et eos, qui urbem tenebant,
fecit pacem his conditionibus: nequi præter .XXX. tyrannos et 5
.X., qui postea prætores creati superioris more crudelitatis erant
usi, afficerentur exilio, neve bona publicarentur; rei .p. procuratio
populo redderetur. 2. Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quod,
reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset, legem tulit:
nequis ante actarum rerum accusaretur neve multaretur; eamque 10
illi oblivionis appellarunt. 3. Neque vero hanc tantum ferendam
curavit, sed etiam, ut valeret, effecit. Nam cum quidam ex his,
qui simul cum eo in exilio fuerunt, cædem facere eorum vellent,
cum quibus in gratiam reditum erat publice, prohibuit et id quod
pollicitus erat præstitit. 15

IV. 1. Huic pro tantis meritis honoris corona a populo data
est, facta duabus virgulis oleaginis, quam quod amor civium et
non vis expresserat, nullam habuit invidiam magnaque fuit gloria.
2. Bene ergo Pittacus ille, qui .VII. sapientum numero est habi-
tus, cum Mitileni ei multa milia iugerum et agri munera darent, 20

1. *Cricias* Eva. *Chricias* fgh. *Chritias* l. *Crytias* a. – *cum* om. c. – *quidem* om. cf. – *cum aliquid* ghil. *cum quo* monac. k.)(dan. abd Eva us. – *exadverso* c. *adversus* bdfhE vau.)(dan. gif. a monac. giklEs. – *Thrsibulum* a. *Thrasybulus* monac. – *pugnarat* monac. *oppugnaret* i. – *rex auxilio* d. – *Is* om. f. – *tenerent* i.

5. *Pacem fecit* f. – *condicionibus* Es. — *neque* l. — *.XXX.* a. *triginta* reliqui. — *.X.* a. *decem* reliqui. — *creari* k. — *ne ve* f. *neve cuiusquam bona* Es (a Lambino). — *rei .p.....redderetur* om. i. — *rei .p.* abhEu. *.R.P.* f. *reipublicæ* reliqui.— *Predarum* h *Pr. in hoc* c.

10. *Rerum ante actarum acc. ne ve mulet.* f. — *eam illi* f. — *illi legem oblivionis* Evas. περὶ ἀμνηστείας in marg. gi. Ἀμνηστία *oblivionis lex* in marg. Eu. — *Nec* gh. — *vere hanc* c. — *efficit* c. — *quiddam* f. — *ex iis* dEs. — *fuerit* f. *fuerunt* dan. abdkEs. *fuerant* reliqui, item b a manu 2. — *eorum* om. cl? — *vellet* f. — *redditum* fk.

15. *Honoris.....corona*, in marg. *Deest ni fallor causa, vel gratia, vel ergo vel simile quiddam* Eu. — *facta e duabus* Eu. – *duabus ligulis* i. — *quæ quod* Eau. *qui quod* c. *quia quod* dan.)(abdfghiklEvs. — *et* om. Eva. — *vix* i. — *magnæque fuit gloriæ* Eu. — *Pithacus* bci. *Pythacus* gh. *Pytacus* a. — *.VII.* a. *septem* reliqui. — *sapientium* g.

20. *Ei Mitil.* Evaus.)(abfghik. — *Mlileni* c. *Mityleni* gikEvas. *Mytilenæi* Eu.)(dan. abdfh. — *et* om. dl? *agri et* collR. Evaus.)(dan. abcfghik.

Nolite oro vos, inquit, *id mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius quam centum iugera, quæ et meam animi æquitatem et vestram voluntatem indicent.* Nam parva munera diutina, locupletia non propria esse consuerunt. 3. Illa igitur corona contentus Thrasybulus neque amplius requisivit, neque quemquam honore se antecessisse existimavit. 4. Hic sequenti tempore, cum prætor classem ad Siciliam appulisset, neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliæ, a barbaris, ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

1. *Nolite rogo vos* d?Eva. -- *inquit oro vos* i. -- *id* om. dikEvas)(leid. abcfghlEu. -- *michi* b. -- *quam* om. i. -- *quæ meam* ik. *meam* om. g. -- *diutima* f. -- *consuerunt* abcEv. *consueverunt* reliqui.

Cypri, sed publice ab Atheniensibus Euagoræ adiutor datus; neque prius inde discessit, quam totam insulam bello devinceret: qua ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. 3. Interim bellum inter Ægyptios et Persas conflatum est. Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant; Lacedæmonii cum Ægyptiis, a quibus magnas prædas Agesilaus, rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias, cum in re nulla Agesilao cederet, sua sponte eos adiutum profectus Ægyptiæ classi præfuit, pedestribus copiis Agesilaus. 5

III. 1. Tum præfecti regis Persæ legatos miserunt Athenas questum, quod Chabrias adversum regem bellum gereret cum Ægyptiis. Athenienses diem certam Chabriæ præstiterunt, quam ante domum nisi redisset, capitis se illum damnaturos denunciarunt. Hoc ille nuntio Athenas rediit, neque ibi diutius est moratus, quam fuit necesse. 2. Non enim libenter erat ante oculos suorum civium: quod et vivebat laute et indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam vulgi posset effugere. 3. Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidiæ gloria comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius; neque animo æquo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam. Itaque Chabrias, quo ei licebat, plurimum aberat. 4. Neque vero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes 10 15 20

11. præstiterunt. 17. invidia gloriæ.

1. *Cipri* ab. -- *ab* om. f. -- *aduiator*. h. -- *nec* f. - *dicessit* a. -- *deviceret* f. -- *Intus bellum* f. -- *est. et Athen.* c E v a. -- *Artaxe* a. *Arthaserses* f.

5. *Eorum* om. f. -- *Id metuens* f g h i k l. -- *crederet* f. -- *sponte ad adiutum* k. *sponte ad hytum* f. -- *regii* c. -- *Perses* c. *Persarum* g h. *Persiæ* Aldus.)(a b d f monac. i k l E v a u s.

10. *Quæsitum* E a. -- *adversus* f g h. -- *gerent* k. *gereret cum copiis Ath.* f. -- *certum* i. -- *præstituerunt* h (i l ?) E v u s.)(dan. a b c d f g k E a. -- *qua* f. -- *rediisset* g h. -- *illum* om. f. -- *dampnaturos* a. -- *renuntiarunt* i. *nuntiarunt* g. -- *nuntio domum rediit* f. -- *nec* f. -- *neque diu ibi est* h. -- *suorum civium* dan. a b f g h i. *civium suorum* collR. c d ang. k l E v a u s.

15. *Possit* dan. *possit*, spl. *l'e* a. -- *hoc enim* f. -- *vitium in* om. E u. -- *civitatibus et* c. -- *invidiæ gloriæ*, spl. *invidia* d. *invidia gloriæ* collR. c E v a u s.)(dan. a b f g h ang. i k l. -- *de* om. E u. -- *de iis* monac.? E s (a Lambino). -- *detrahunt* monac. E v a. -- *quos emergere* b collR. c d E v a s. *eminere*, in marg. *Al. emergere* E u.)(dan. a f monac. g h ang. i k l. -- *vident* E u. -- *nec* f. -- *æquo animo* i k. -- *opulentum* E v a u. -- *intuentur* b collR. d i k E v a u s.)(dan. g i f. a c schott. f monac. g h ang. l.

20. *Quo ei* a c d h i k l. *quo enim* f. *quo ei*, in marg. *alii quō cum* g. *quo ei*, spl. *ad* b. *quoad ei* E v a u s. -- *ille solus* h. -- *Athenis aberat* i.

fecerunt idem; quod tantum se ab invidia putabant futuros, quantum a conspectu suorum recesserint. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Threcia, Timotheus Lesbo, Chares Sygæo; dissimilis quidem Chares horum et factis et moribus, sed tamen
5 Athenis et honoratus et potens.

IV. 1. Chabrias autem periit bello sociali tali modo. Oppugnabant Athenienses Chium. Erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat; eumque magis milites, quam qui præerant, aspiciebant. 2. Quæ res ei matu-
10 ravit mortem. Nam dum primus studet portum intrare, gubernatorem iubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit. Cum enim eo penetrasset, ceteræ non sunt secutæ. Quo facto circumfusus hostium concursu cum fortissime pugnaret, navis rostro percussa cœpit sidere. 3. Hinc refugere cum posset, si se in mare deiecisset,
15 quod suberat classis Atheniensium, quæ exciperet natantis: perire maluit, quam armis abiectis navem relinquere, in qua fuerat vectus. Id ceteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt. At ille, præstare honestam mortem existimans turpi vitæ, comminus pugnans telis hostium interfectus est.

3. Sigeo.

1. *Fecerunt idem* om. schott. — *se* om. h. *se futuros ab inv. putabant* k. — *putarent* Eu. — *afuturos* E brixiensis. *abfuturos* Eu. — *a* om. f. — *recesserit* a f. *recesserant* b. *recessisient* collR. c d (1?) Evaus.)(dan. gh ang. ik. — *Cipri* a b f. — *Threcia* dan. a. *Thræcia* gif. *Thracia* reliqui. — *Lesbi* (d?) Evu.)(dan. gif. a b collR. c f g h ang. i k l Eas. — *Sygæo* dan. *Sygeo* a collR. i. *Sigæo* gif. c l E s. *Sigeo* b f ang. k. *in Sigæo* g. *in Sigeo* (d?) h E u. *in Sygæo* E v a. — *horum factis* ang. i k. *eorum factis* l. 5. *Athenis* om. f. — *perit* f. — *Chyum* E a. — *anteibant* a. — *ei* om. c. 10. *Mortem maturavit* i k l. — *gubernatoremque iubet* E u. — *eo iubet* f. *iubet navem eo dir.* i. — *ipsi* g. — *perniciei fuit sibi* k. — *pernitiei* b h. — *cum vero eo* f. — *eo pervenisset* i. — *circumfusis* a. — *pugnarent* E v. — *fidere* d schott. *fundere* h. — *refugere cum p.* gif. E u. *ref. cum non p.* b. *ref. cum non p.* a f g h ang. i k l. *cum ref. p.* dan.? mon. *cum ref. non p.* collR. c d E v a s. — *in mari* fil.

15. *Acciperet* d. — *natanteis* dan.? E u. *natantes* E s. *natantem* f g h ang. i k E v a.)(gif. a b collR. c. — *in* om. E u. — *facere ceteri* i k. — *noluerant* i. — *extimans* g. — *quominus* b f, c spl. b.

XIII.
TIMOTHEUS.

Timotheus, Cononis filius, Atheniensis. Hic a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minus civitatis regendæ. 2. Multa huius sunt præclare facta, sed hæc maxime illustria. Olinthios et Bizantios bello subegit. Samum cepit, in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et .CC. talenta consumpserant. Id ille sine ulla publica impensa populo restituit: adversus Cotum bella gessit, ab eoque mille et .CC. talenta prædæ in publicum retulit. 3. Cizicum obsidione liberavit. Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est: a quo cum Laco pecuniam numeratam accepisset, ille civis suos agro atque urbibus augeri maluit, quam id sumere, cuius partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Crithonem et Sextum. 5 10

II. 1. Idem classi præfectus circumvehens Peloponensum, Laconicen populatus, classem eorum fugavit; Corcyram sub impe- 15

4. 5. Olynthios et Byzantios. 9. Cyzicum. 13. Crithoten et Sestum. 14. Peloponnesum.

1. *Thimotheus* afgi (semper fere). — *Hic* om. f. — *nec* f. — *militaris peritus....regendæ peritus.* *Multa* g. — *præclara* f. *præclara facta sunt* i. — *Olinthios* abf. *Olynthios* reliqui.

5. *Bizantios* abghikEa. *Bizantias* f. *Byzantios* rel. — *Sanium* g. — *qua oppugnanda* gh ang. klEvau. *qua oppugnando* i.)(dan. ab collR. c schott. fEs. — *superiore* ang. ikl. — *Atheniensis* a. — *.CC.* a. *ducenta* reliqui. — *consumpserant.....talenta* om. h. *consumserunt* k. — *publica ulla* i. — *populo* om. i. — *adversum* Evs. — *Cothum* ik. *Cholum* d. *Chontium* f. *Cotym* Eu, item Aldus.)(dan. abgEvas. — *.CC.* a. *ducenta* reliqui. — *talenta pridie* i. — *detulit* collR. cdEvas.)(dan. abfgh ang. iklEu. — *Cizicum* ahEva. *Cyxicum* d. *Cyricum* f. *Ciricum* b *Cyzicum* reliqui. — *Ariobarzeni* fgh. *Ariobarzamum* Ev.

10. *Laco* om. f. *loco* k. — *pecuniam naturam* k. — *civis* abEv. *cuius* f. *civeis* Es. *cives* reliqui. — *augere* b. — *possent* c. — *Crithonem* gif. leid. ab schott. *Critonem* collR. d. *Chritonem* Es. *Chrythonem* c. *Erithonem* dan.? *Erictonem* f. *Ericthonem* oxon. cantabr. *Erichtonem* Ea. *Erichthonem* gh ang. i klEvu. *Crithoten* Gebhardus. — *Sestum* (c) Evau.)(dan. gif. leid. abd schott. fghiklEs, item Magius. — *classis* gh ikl. — *profectus* f. — *Peloponensum* a. *Peloponessum* bghi. *Peloponnesum* reliqui.

15. *Laconicem* cfghiEvas.)(ab kEu. — *imperio* h.

rium Atheniensium redegit; sociosque idem adiunxit Epyrotas, Athamattas, Chaonas omnesque eas gentes, quæ mare illud adiacent. 2. Quo facto Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt, et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt;
5 pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primum aræ Paci publice sint factæ, eique deæ pulvinar sit institutum. 3. Cuius laudis ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante id tempus contigit, *ut*,
10 cum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic iuxta posita recens filii veterem patris renovavit memoriam.

III. 1. Hic cum esset magno natu et magistratus *gerere* desisset, bello Athenienses undique premi sunt cœpti. Defecerat Samus; descierat Hellespontus; Philippus, iam tunc valens, Macedo
15 multa moliebatur: cui oppositus Chares cum esset, non satis in eo præsidii putabatur. 2. Fit Menestheus prætor, filius Ypocratis, gener Timothei, et, ut ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium dantur duo usu sapientiaque præstantes, quorum consilio uteretur, pater et socer: quod in his tanta erat auctoritas,
20 ut magna spes esset, per eos amissa posse recuperari. 3. Hi cum Samum profecti essent, et eodem Chares, illorum adventu cognito, cum suis copiis proficisceretur, nequid absente se gestum videretur; accidit, cum ad insulam appropinquarent, ut magna tempestas

1. *Eidem* c. -- *Epyrotas* ab. *Epyrothas* g. *Epyrrhotas* h. *Epirothas* f. *Epirotas* reliqui. -- *Athamattas* dan. *Athamatias* ab. *Athamathias* fh. *Athamantias* collR. dEvs. *Athamanas* cgang.iEu. *Athamamas* k. *Acharnanas* (l) Ea. -- *Chaones* ghiEa. *Chones* k. *Caones* f. -- *quæ ad mare* Eu. -- *adiacunt* dan. -- *marittimi* i. (semper sic).

5. *Maris* h. -- *Athicis* bfg. -- *leticie* a. -- *pacis* c. -- *publicæ* achEs. -- *p. factæ sunt* f. -- *pulvina* c. *pluvinar* f. -- *ante tempus* h. *ante hoc tempus* Es (a Lambino).

10. *Filioque daret* fgh. *filio daret* i. *filio quodque daret* d. -- *Sic iusta* f. -- *memoriam renovavit* b. -- *magnus* b. -- *reqere* f. -- *descisset* gikl. *dississet* monac. *destitisset* h. -- *præmi* Ea. -- *desierat* bfghkl. *disicrat* monac. -- *Helespontus* fg. *Elesp.* k. -- *iam* om. collR. -- *tum* fglEau. *iam tum v. M. iam tum multa* hik.)(ab collR. cdEvs.

15. *Molibatur* dan. -- *præsidii in eo* f. -- *Fuit* g. -- *Menesteus* dfgk. *Menescens* h. *Mnesteus* i. *Mnestheus* Eu. -- *Ypocratis* ab. *Hippocratis* dfghl al. *Hyphicratis* in marg. di. *Hyppocratis* ik. *Iphicratis* Evaus. -- *ut* om. Ev. -- *proficiscitur* Ev. -- *in consilio* fgl. -- *usu et sapientia* (cd) Evau. -- *tanta esset* l.

20. *Admissa* k. -- *Hii cum* a. *Hic cum* k. -- *Sanium* g. -- *illorum* om. Ev. -- *adventu illorum* Eau.)(dan. ab collR. cfgh ang.ikEs. -- *appr. et magna* f.

oriretur: quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati suam classem suppresserunt. 4. At ille, temeraria usus ratione, non cessit maiorum natu auctoritati, et, ut in sua manu esset fortuna, quo contenderat, pervenit: eodemque ut sequerentur, ad Timotheum et Ypocratem nuncium misit. Hinc, male re gesta, com- 5 pluribus amissis navibus, eo, unde erat profectus, se recipit litterasque Athenas publice misit, sibi proclive fuisse Samum capere, nisi a Timotheo et Ypocrate desertus esset. 5. Populus acer, suspicax, ob eamque rem mobilis, adversarius, invidus (etiam potentiæ in crimen vocabantur) domum revocat: accusantur prodi- 10 tionis. Hoc iudicio damnatur Timotheus, lisque eius æstimatur centum talentis. Ille, odio ingratæ civitatis coactus, Calchidem se contulit.

IV. 1. Huius post mortem cum populum iudicii sui pœniteret, multæ novem partis detraxit et decem talenta Cononem, filium 15 eius, ad muri quandam partem reficiendam iussit dare. In quo fortunæ varietas est animadversa. Nam quos avus Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, eosdem nepos cum summa ignominia familiæ ex sua re familiari reficere coactus est. 2. Timothei autem moderatæ sapientisque vitæ cum pleraque possimus 20 proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo facile conici

1. *Orcretur* a. -- *represserunt* burgensis Magii. -- *temerarii* f. -- *ut* om. Ev. *ut si in* Eus, Lambinus.)(dan. ab collR. cd schott. f monac. ghikl Ea. -- *sua navi esset* b schott. f mon. g h ang. i k l E a, item E u, quæ in marg. *Al. manu* habet.)(dan. a collR. c d Evs. -- *contemnerat* k. -- *sequeretur* gh.

5. *Ypocratem* ab. *Yppocr.* f. *Hippocr.* dghl. *Hipocr.* k *Hiphicr.* i, spl. d. *Iphicratem* Evaus. -- *cum pluribus* f. -- *eodem unde* (cd) Evaus.)(ab fghikl. -- *recipit* dan. ad. *recepit* reliqui. -- *Sanium* g. -- *Ypocr.* ab. *Yppocr.* f. *Hippocr.* dghl. *Hipocr.* h. *Hiphicr.* i, spl. d. *Iphicrate* Evaus. -- *Populus acer* etc. In collocandis verbis libros secutus sum; luxationis, quæ vulgo obtinet, auctor Longolius. -- *supicax* g. *suspicans* h. -- *ren* i. -- *et iam* bfgEu.

10. *Vocabatur* Ev. *vocabat in domum* i. *vocabant domum* burgensis Magii. -- *accusanturque pr.* Eu. -- *prodictionis* l -- *dampnatur* a. -- *lis eius* Eu. -- *extimatur* hi. *existimatur* fl. -- *cohactus* g. -- *Calchidem* abg. *Chachidem* d. *adalchidem* f. *Chalciden* i. *Chalcidem* hkl Evaus. -- *populus* Eva. -- *sui iudicii* i. -- *pœnitebat* leid.

15. *Mulctæ* bfghiEvau. -- *partis* abEv. *parteis* Eus. *partes* reliqui. -- *eius filium* Es (a Lambino). -- *ref. misit dare* g. -- *ignomia* a.

20. *Cum pleraque quæ p.* g. *cum pleraque quam p.* h. *cum plura quam p.* f. *vitæ complura p.* kl. -- *possumus* fghiklEva. -- *referre* i. -- *contenti qui* l. -- *ex* om. f. -- *eo facere* gh. -- *facile cognosci* vratislaviensis.

poterit, quam carus suis fuerit. Cum Athenis adulescentulus causam diceret, non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Iason, tyrannus Thessaliæ, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. 3. Hic cum in patria
5 sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio venit tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, quam Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit: patriæ sanctiora iura quam hospitii esse duxit. 4. Hæc extrema fuit ætas
10 imperatorum Atheniensium Iphicratis, Chabriæ, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoria.

5. Venio nunc ad fortissimum virum maximique consilii omnium
15 barbarorum, exceptis duobus Karthaginiensibus, Hamilcare et Hannibale. 6. De quo hoc plura feremus, quod et obscuriora sunt eius gesta pleraque, et ea, quæ prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tum omnes superabat,
20 acciderunt: quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt.

1. *Charus* g h i E a (semper sic). -- *def. venerunt* f. -- *Lason* E v a. -- *Thessaliæ* om. omnes præter dan. leid. -- *patriam* k.

5. *Sine in sat.* h. -- *venit* om. l. -- *Forte patriæque* in marg. E u. -- *hospiti* g h. *hospitis* f. *hospicii* a. -- *dixit* k.

10. *Yphicr.* a. *Yppocr.* f. *Hippocr.* g l. -- *nec* f g. -- *fuit in illa urbe* f.

15. *Karthaginiensibus* a, item E s (a Lambino). *Carthaginiensibus* E u. *Carthaginensibus* reliqui. -- *Hamilchare* i E v a. *Amilcare* b c d f monac. g h E u. -- *Hanybale* g h. *Anybale* c d. *Hanibale* f. *Annibale* E s (a Lambino). -- *quo* om. dan. ? f. -- *hæc plura* f. mon. g h ang. i k l. -- *ferremus* g i k. *ferremus*, spl. *referemus* ang. *referemus* (c ?) E v a u s.)(dan. a b collR. d f monac. h l. -- *quod obscur.* f monac. g h ang. i k. -- *pluraque* monac. k l. -- *ex ea* f. -- *quo tamen* c E v a u.

20. *Explicita* h. -- *re* f. -- *appetere* k. -- *potuerunt* f l.

XIV.

DATAMES.

Datames, patre Camisare, natione Chare, matre Scythissa natus, primum militum numero fuit apud Artaxerxen eorum, qui regiam tuebantur. Pater eius Camisares, quod et manu fortis et bello strenuus et regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciæ iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. 2. Datames, militare munus fungens, primum, qualis esset, aperuit in bello, quod rex adversus Gadusios gessit. Namque hic, multis milibus regiorum interfectis, magni fuit eius opera. Quo factum est, cum in eo bello cecidisset Camisares, paterna ei traderetur provincia. 5

II. 1. Pari se virtute postea præbuit, cum Autophrodates iussu regis bello persequeretur eos, qui defecerant. Namque huius opera hostes, cum castra iam intrassent, profligati sunt, exercitusque reliquus conservatus regis est: qua ex re maioribus rebus præesse cœpit. 2. Erat eo tempore Thuys dynastes Paphlagoniæ, 10

1. Care.

1. Datames, *patre* etc. Hinc in libris vita Datamis incipit. Aliter distinxit Cælius Curio. — *Dathames* c i k (semper sic). — *Chamisare* l. *Chamissare* c E a. *Camissare* g E v a s.)(dan. a b d f monac. h i k E u. — *nactione* l. — *Care* E u s.)(a b c d f mon. g h i k l E v a. — *Scithissa* b. *Scytissa* d h. *Scitissa* f i. *Schytissa* g. *Schitissa* mon. — *primum e militum* E u. — *aput* h. — *Arthaxerxen* a. — *Artaxersem* vel *Arthaxersem* mon. g h i k, Magius (semper). *Arthasersem* f (semper). *Artaxerxem* rel. — *eorumque reg.* f. — *turbantur* d. — *Chamusares* h. *Camissares* E v a s.)(dan. a b d f mon. g i k E u. — *quia et* d i. *qui et* k. — *partem* om. E v a u. — *Ciliticæ* dan.

5. *Iusta* f. — *Capadociam* f mon. g h, spl. *p* h. — *colunt* k. — *Leucosiri* a mon. *Leucosirii* f. *Leucosyrii* g h, in marg. *Λευκοσυροι* g. — *munus fugiens* b f k, sed in b correctum. — *aper. qualis esset* mon. *apparuit* f h i k l E v a.)(dan. a b c d schott. g E u s. — *Cadusios* (c f) E u s. *Candusios* g h i k l.)(dan. a b d monac. E v a. — *Nanque* mon. h E v u (semper). — *millibus* E s. *militibus* collR. c d. — *regiorum* om. dan.? d?)(leid. a b collR. c oxon. f mon. g h ang. i k l E v a u s. — *est, ut cum* Lambinus. — *Camysares* a. *Camissares* E v a s.

10. *Autophrodates* dan. a., burg. et venetus Magii. *Autofrad.* i. *Autophrad.* (d k l?) E u s, Aldus. *Antophorod.* f. *Anthophrod.* b. mon. *Anthofrod.* h. *Anthophrad.* g. *Androphrod.* E v a. *Antiophyod.* c. — *prosequeretur* E a. — *eius opera* collR. c d (l?) E v a s.)(dan. a b f mon. g h i k E u. — *regis* om. f E v a u.)(dan. leid. a b collR. c d mon. g h ang. i k l E s, Mag. — *ceperit* f. — *Thuys* dan. E u. *Thuis* a b mon. k. *Thyus* c l E v a s. *Thyius* d. *Thius* f g h i. — *dinastes* a b d f h. *diniastes* mon. — *Paflagoniæ* f k.

antiquo genere ortus a Philemene illo, quem Homerus Troico bello a Patroclo interfectum ait. 3. Is regi dicto audiens non erat. Quam ob causam bello eum persequi constituit eique rei præfecit Datamen, propinquum Paphlagonis: namque ex fratre et sorore erant nati. Quam ob causam Datames primum experiri voluit, ut
5 sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem cum venisset sine præsidio, quod ab amico nullas vereretur insidias, pene interiit. Nam Thuys eum clam interficere voluit. 4. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis. Ea, quid ageretur, resciit filiumque monuit. 5. Ille fuga periculum evitavit bellumque indixit Thuyni.
10 In quo cum ab Ariobarzane, præfecto Lydiæ et Ioniæ totiusque Phrygiæ, desertus esset, nihilo segnius perseveravit vivumque Thuyn cepit cum uxore et liberis.

III. 1. Cuius facti ne prius fama ad regem quam ipse perveniret, dedit operam. Itaque omnibus insciis, eo, ubi erat rex,
15 venit posteroque die Thuyn, hominem maximi corporis terribilique facie, quod et niger et capillo longo barbaque erat promissa, optima veste texit, quam satrapæ regii gerere consuerant; ornavit etiam torque atque armillis aureis ceteroque regio cultu; 2. ipse agresti

1. *Ortus* dan. gif. a. *natus* reliqui. — *a* om. i. — *Philimene* E v. *Philomene* E a. *Philemone* dan.? *Philome* f. *Phy lemene* k E s. *Pylæmene* E u, Aldus.)(ab mon. g h i. — *ille* f. — *Troyco* mon. — *bello et P.* E v. — *Patrodo* h. *Patroculo* f. — *regi* dan. E u. *regis* reliqui. — *eum* om. i. — *constituit persequi* mon. *bello ipsum p. statuit* f. — *eique regi* E a. — *Datamen* a mon. g h E v a. *Datamem* reliqui. — *nam ex* g h. — *quam ob causam* om. c. — *primum exp. voluit Datames* f. — *volunt* mon.

5. *Cum* om. i. — *verebatur* mon. *revereretur* k l. — *pæne* E s. — *Thuys* dan. a E u. *Thuis* b mon. k. *Thyus* (c d l?) E v a s. *Thius* f g h i. — *clam eum* f. — *voluit* om. g. — *filium monuit* f. — *Thuyni* dan. a E u. *Thuini* b. *Thumi*, in marg. *al. Thio* d. *Thuoni* mon. *Thiuni* g h. *Thium* f. *Thui* k. *Thiu* l. *Thius*, in marg. *Thiu* i. *Thyo* (c) E v a s.

10. *Ab* om. c. schott. f g h k E v a. — *Lidiæ* a b f. — *tociusque* a. *t. insulæ phrygiæ* i. — *Phrigiæ* a f. *Frigiæ* mon. — *Phr. deiectus esset desertus* l. — *nichilo* a b. — *Forte Secius. ut in vita Eumenis* in marg. E u. — *Thuym* dan. *Thuynem* E u. *Thuin* a. *Thuim* b mon. i k. *Thium* f g h. *Thyum* (c d l?) E v a s. — *cœpit* mon. g h E a (sæpe sic). — *rex erat* i E u.

15. *Postero die* f. — *Thuyn* gif. a. *Thuynem* E u. *Thuim* b mon. k. *Thyum* (c d l?) E v a s. *Thium* f g h i. — *faciei* mon. — *niger capillo* f. *niger quod cap.* h. — *promissa* dan. gif. a b E u. item oxon. cantabr.? *prolixa* c d schott. f mon. g h i E v a s. *prolissa* k. *prolisa* l. — *texit* om. dan.? *contexit* d? g h E v a s.)(gif. a b collR. c f mon. ang. i k l E s. — *satrapes* g. — *consuerant* dan. a b f mon. *consueverant* reliqui. — *ornavitque etiam* g h i k l. — *etiam* om. E u. — *torque et arm.* i k l. — *armilis* d g, in marg. *alii annulis* g. — *ceteraque* k l. — *aeresti* mon.

duplici amiculo circumdatus hyrtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thuynem agebat, ut si feram bestiam captam duceret. 3. Quem cum omnes conspicerent propter novitatem ornatus ignotamque formam, ob eamque rem magnus esset con- 5 cursus; fuit non nemo, qui agnosceret Thuym regique nuntiaret. 4. Primo non accredidit. Itaque Pharnabazum misit exploratum. A quo ut rem gestam comperit, statim admitti iussit, magnopere delectatus tum facto tum ornatu: in primis, quod nobilis rex in potestatem inopinanti venerat. 5. Itaque magnifice Datamen dona- 10 tum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo et Titraste ad bellum Ægyptium, parique eum atque illos imperio esse iussit. Postea vero quam Pharnabazum rex revocavit, illi summa imperii tradita sunt.

IV. 1. Hic cum maximo studio compararet exercitum Ægy- 15 ptumque proficisci pararet, subito a rege litteræ sunt ei missæ, ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat: quæ gens iacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. 2. Namque Aspis, saltuosam regio-

1. *Dupliciqueam.* c d E v a u s.)(dan. a b collR. f mon. g h ang. i k l. — *anniculo* E v. *anulo* mon. — *circundatus* mon. g E u. — *hyrtaque* a b mon. g h. *hirtaque* reliqui. — *victum* schott. i k l E a. *victam* f. — *Thuynem* a E u. *Thuinem* b f mon. *Thiunem* g h. *Thium* i. *Tuin* k. *Thyum* É v a s. — *capta* g. — *cum* om. a. *omnes cum* f mon. g h ang. i k. — *conspicerent* dan. a b collR. E u s. *aspicerent* leid. f mon. g h ang. i k l E a. *prospicerent* (c d?) E v.

5. *Ivit non* f. *non* om. E s. *nemo non* c d schott. E v a.)(dan. a b collR. f mon. g h ang. i k l E u. — *agnoscerent* mon. — *Thuym* a E u. *Thuim* b k. *Thuin* mon. *Thiun* g. *Thium* f h i. *Thyum* (c d l?) E v a s. — *regi nunciaret* E v. *nunctiaret* mon. — *primo*, in marg. *Deesse videtur Is vel ille* E u. — *non ac credidit* E v. — *Pharnabasum* k. — *exploratum misit* f g h i k l. — *admiti* a. — *delectatus est* l. — *tum facto* a b f k E u. *cum facto* reliqui. — *in primisque nob.* k. *imprimisque quod nob.* mon. — *quod non vilis rex* c E v. — *rex* om. b.

10. *Im potantem* mon. — *inopinati* f l E a u. — *Ita magn.* k. — *magnifice* om. h. — *Datamen* a mon. g h i E v a. *Datamem* reliqui. — *donatum Dath.* i. — *conthrahebatur* a. — *Titraste* dan. a b. *Tithraste* d k l É s. *Thithraste* f mon. *Teutraste* E v a. *Theutraste* h. *Thyeutraste* g. *Theestrate* i. *Tysiaste* c. *Tithraustæ* E u. *Tithrauste* Magius. — *pari eum* mon. g k. *patri cum* h. *pari illum atque eos* f. — *rex Pharnabazum* f. — *summam* g. — *imperia* mon. ang. k l. — *sunt* om. g h ang. i k l. *est* collR. c d E v a u s.)(dan. a b f mon.

15. *Cemperaret* mon. *comparare* b. — *ex. in Æg.* E u. — *Æg. prof. pararet* om. h. — *ei litt. sunt* i. *sunt ei missæ litt.* k. — *aut Aspim* c g h. — *Cathoniam* c. *Catoniam* d mon. *Cartaoniam* g h i k. — *confiniis* mon. *confinus* d. — *Cappadotiæ* a. *Capadociæ* mon. g h E a. — *Aspis* om. leid. *Haspis* f. *Apsis*, in marg. *Aspix* i. — *altuosam* i.

nem castellisque munitam incolens, non solum imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat et, quæ regi portarentur, abripiebat. 3. Datames, etsi longe aberat ab his regionibus et a maiore re abstrahebatur, tamen regis voluntati morem gerendum putavit. Itaque cum paucis sed viris fortibus navem conscendit: existimans, quod accidit, facilius se imprudentem parva manu oppressurum, quam paratum quamvis magno exercitu. 4. Hac delatus in Ciliciam, egressus inde, dies noctesque iter faciens, Taurum transiit eoque, quo studuerat, venit; quærit, quibus locis sit Aspis; cognoscit, haud longe abesse profectumque eum venatum. Quem dum speculatur, adventus eius causa cognoscitur. Pisidas cum eis, quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. 5. Id Datames ubi audivit, arma sumit, suos sequi iubet: ipse equo concitato ad hostem vehitur. Quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem pertimescit, atque a conatu resistendi deterritus sese dedidit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati.

V. 1. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens, a quanto bello ad quam parvam rem principem ducum misisset, se ipse reprehendit et nuncium ad exercitum Acrem misit, quod nondum Datamen profectum putabat, qui diceret, ne ab exercitu discederet. Hic, priusquam perveniret, quo erat profectus, in itinere convenit, qui Aspim ducebant. 2. Qua celeritate cum magnam

19. Acen.

1. *Regiæ* i. — *finitimis* Ev. — *regionis* a. — *abripiebat* dan. Eu. *erripiebat* g. *eripiebat* h. *arripiebat* reliqui. — *maiori* fi. *minore* Eva. — *distrahebatur* b. — *tamen magis* f.

5. *Ex. id quod* d? Eva.)(a b collR. c f mon. g h ang. i k l E u s. — *in* om. c. — *Ciliam* g. — *egr. in dies* mon. — *noctes iter* l. — *Thaurum* f. — *transit* Eau. — *quo* om. f.

10. *Agnoscit* i. — *profectum eum* f. — *Quæ dum* dan.? — *Piscidas* c. — *eum eis* dan. a b c f mon. g i k. *cum iis* h. *cum iis* reliqui. — *Haspis* f. *Aspix* in marg. i. — *sumit* dan. gif. leid. f mon. g ang. i k. *summit* h l. *capit*, spl. l' *sumit* a. *capit* b collR. c d E v a u s. — *suosque sequi* f mon. g h ang. i k l. — *Aspis* om. h. — *aspiciens* h.

15. *Se* om. i. *in se* c. — *conato* c. *desistendi* h. *desistendo* mon. — *deteritus* g h E v. — *dedidit* dan. gif. a b schott. h k l E s. *dedit* reliqui. — *tradidit* f. — *Mitridati* a b mon. *Mitrhidati* h. *Mitiracti* f. — *se ipsum* f Eu, Magius. — *reprendit* h. *repræhendit* Eu. — *munctium* mon. — *Achrem* c. *Atrem* burg. Magii. *Aclem* i. *Ante* f. *Ageen* Es. *Acen* Bongarsius.)(a b d mon. g h k l E v a u. — *misit*, spl. l't a. — *nundum* a f. *necdum* i. *non* d.

20. *Datamen* a mon. g k E v a. *Datamem* reliqui. — *putaret* Eu. — *profecturus* c. — *Aspum* h. *Aspin* Eu.

benivolentiam regis Datames consecutus essset, non minorem invidiam aulicorum excepit, quod illum unum pluris quam se omnes fieri videbant. Quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. 3. Hæc Pandantes, gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet: eum magno fore periculo, siquid illo 5 imperante adversi in Ægypto accidisset. 4. Namque eam esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ: quo fieri, ut facile impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestæ nuntientur. Illum hoc maiore fore in discrimine, quod, quibus rex maxime obediat, eos habeat ini- 10 micissimos. 5. Talibus ille litteris cognitis, cum iam ad exercitum Ageen venisset, quod non ignorabat, ea vere scripta, desciscere a rege constituit. Neque tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignum. 6. Nam Mandroclen Magnetem exercitui præfecit; ipse cum suis in Cappadociam discedit coniunctamque huic Paphla- 15 goniam occupat, celans, qua voluntate esset in regem; clam cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit.

VI. 1. Sed hæc propter hyemale tempus minus prospere procedebant. Audit, Pisidas quasdam copias adversus se parare. 20

12. Acen.

1. *Benevolentiam* E u. – *esset consecutus* i. – *min. aliquorum invidiam* f. – *qui illum* l E a u. – *unum* om. c. *vivum* E v. – *se* om. f. – *omnis* mon. – *conseserunt* h. – *Pandantes* dan. a b c d. *Pandates* reliqui. – *gracæ* mon. – *regi* f. – *per scripta eius* h.

5. *Eum in magno* c l? E u. – *imperante* f. – *adv. in Æg. accid.* a b f mon. g h i k. *in Æg. adv. accid.* reliqui. – *cam rem esse* k. – *regum* c d E v a u s.)(dan. a b collR. f mon. g h ang. i k l. – *cassus* h. – *adversus* h i. – *secumdos* mon. – *fieri ut facile* dan. leid. E u, item a, in quo tamen sic ›*facile ut*‹ *fieri* scriptum est. *facile ut fieri* collR. *facile fieri ut* reliqui.

10. *In* om. b c d g h E v. – *discr. pro quibus* h. – *obœdiat* E u. *obediebat eos habebat* g h l. – *cognotis* l. – *Agren* mon. g h. *Agron* c. *Agcen* d. *Acrem* E v. *Acen* (in indiculo corrigendorum) E u.)(dan. a b oxon. burgensis Magii f i k l cantabr. E a u s. – *vera* f mon. i. – *scripta* om. i. – *descissere* f. mon. g h. – *fide eius esset* f. *fides sua* mon. – *Mandroclen* dan. a b d k. *Mandrochen* h. *Mandroclem* oxon. burgensis et venetus Magii, f mon. g i l cantabr. *Mandrodem* c E a. *Androdem* E v. *Audroclem* E u s, Lambinus. – *Magneten* d.

15. *Capodotiam* mon. – *discessit* h. – *huic* om. i. *huc* k. – *cœlans* E v a u. – *in* om. i. – *Areobarzeno* f. – *comperat* mon. – *suis tuendas* om. b. – *tradit suis tuendas* c. – *hyemale* a g h i E v a. *hiemale* reliqui.

20. *Succedebant* E v a. – *audiit* i. *adiit* k. – *Physidas* c. – *parari* f.

**Filium eo Arsideum cum exercitu mittit. Cadit in prœlio adolescens. Proficiscitur eo pater non ita cum magna manu, celans, quantum vulnus accepisset; quod prius ad hostem pervenire cupiebat, quam de male re gesta fama ad suos perveniret: ne cognita
5 filii morte animi debilitarentur militum. 2. Quo contenderat, pervenit hisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset neque impediri, quo minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditum. 3. Erat cum eo Metrobarzanes, socer eius, præfectus equitum. Is, desperatis generi rebus, ad
10 hostes transfugit. Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum, futurum, ut ceteri consilium sequerentur. 4. In vulgus edit, suo iussu Metrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus interficeret hostes. Quare relinqui eum par non esse, et omnes confestim sequi.
15 Quod si animo strenuo fecissent, futurum, ut adversarii non possent resistere, cum et intra vallum et foris cæderentur. 5. Hac re probata, exercitum educit, Metrobarzanem persequitur tantum: qui dum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri iubet. 6. Pisidæ, nova re commoti, in opinionem adducuntur, perfugas mala
20 fide compositoque fecisse, ut recepti maiori essent calamitati.**

1. *Filium etiam A.* leid. -- *Arvidæum* c d l? *Arisideum* f.)(dan. a b collR. schott. oxon. mon. g h ang. i k. cantabr. E v a u s. -- *proficitur* d. -- *pacter* f. -- *magna cum* E s (a Lambino). -- *cælans* E v a u. -- *acc. sed prius* g h, spl. *quod* h. -- *re male* i k l. -- *ad suos fama* f.

5. *Morte filii* f. -- *morte cum deb.* k. -- *iisque* E s (a Lambino). -- *circuiri* b l. *circumveniri* f, Magius. -- *nec* f. -- *ipse* om. i k l. -- *manuum* f. -- *Metrobarzenes* f k. *Metrobarganes* mon. *Mithribarzanes* E u. *Mithrob.* E s (a Lambino).)(a b d g h i E v a. -- *his* a. *his* f. -- *desperati* E v. -- *generibus ad* b k, spl. *re* b.

10. *Et audivit* mon. -- *ad homine* mon. -- *relicto* k. -- *consilium consequerentur* h. - *vulgos* mon. -- *Metrobarzanum* f. *Metrobarganum* mon. In reliquis ut proxime. -- *profectum pro-fuga* fl. -- *interficerent* f -- *hosteis interf. Quare eum relinqui* E s (a Lambino). -- *reliqui* mon. g. -- *par non* a b collR. f mon. g h ang. i k. *non par* reliqui. -- *sed omnes* f E s (a Magio).

15. *Resistere non possent* i. -- *cum intra* f. *cum et inter* d mon. g h ang. i E s. *cum inter* k.)(a b collR. c E v a u. -- *foris cecidissent* f. -- *eduxit* E v a. -- *Metrabarcenem* f. *Metrobaganem* mon. Reliqui ut supra. -- *tantum. Qui cum ad* leid. *tantum dum ad* l. *pers. qui dum ad* c schott. E s. *pers. Qui tantum non ad* E u. *pers. qui tantum quod ad* Lambinus.)(dan. a b d f mon. g h i k E v a. -- *pervenerant* f. -- *Datame* l. -- *inferre* f E u. *referri* g h. -- *Pisides* f. *Proinde nova* leid. -- *conmoti* mon. -- *oppinionem* f mon. g. -- *cdducuntur* mon. -- *mala perfide* k.

20. *Maiori essent* a b f mon. g h i k. *essent maiori* reliqui.

Primum eos adoriuntur. Illi cum, quid ageretur aut quare fieret, ignorarent, coacti sunt, cum eis pugnare, ad quos transierant, ab hisque stare, quos reliquerant. Quibus cum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. 7. Reliquos Pisidas resistentis Datames invadit: primo impetu pellit, fugientis persequitur, multos interficit, 5 castra hostium capit. 8. Tali consilio uno tempore et proditores perculit et hostis profligavit; et, quod ad perniciem suam fuerat cogitatum, id ad salutem convertit. Quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus.

VII. 1. Ab hoc tamen viro Sysinas, maximo natu filius, desciit 10 ad regemque transiit et de defectione patris detulit. Quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui, cum cogitasset, facere auderet et prius cogitare quam conari consuesset, Autophrodatem in Cappadociam mittit. 2. Hic ne intrare posset, saltum, in quo Ciliciæ portae 15 sunt sitae, Datames praeoccupare studuit. 3. Sed tam subito copias contrahere non potuit. A qua re depulsus, cum ea manu, quam contraxerat, locum deligit talem, ut neque circuiretur ab hostibus, neque praeteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur, et, si dimicare eo vellet, non multum obesse multitudo 20 hostium suae paucitati posset.

1. *Agerentur* a. -- *fierent ignorant* f. -- *transierat* mon. -- *reliquerat* l. -- *resistentes* omnes præter a b.

5. *Fugientes* omnes præter a b k. -- *pertulit* g h. -- *hostis* a b mon. g h E v. *hosteis* E s. *hostes* reliqui. -- *ad* om. mon.--*suam* om. ang. i k l. *suam perniciem* (c d?) E v a u s.)(a b collR. f mon. g h. -- *cogitatum . . . imperatoris* om. f. -- *illius imp.* mon. g h. -- *nec* mon. -- *usque* g h. *unquam* f.

10. *Sysinas* dan. *Sysinas* vel *Sysmas* a. *viro et Scismas*, in marg. *Al. Sysinas* E u. *Scisinas* i. *Scismas* b c mon. g h E v a s, in marg. i. *Scimas* k. *Sasmas* f. *Schismas* oxon. cantabr.? (d l?). -- *maximus* b. *magno* g h. -- *filius* om. f. -- *desiit* f. -- *adque regem* dan.? *ad regem transit* f. *et ad regem* E v a u.)(a b collR. c d mon. g h ang. i k l E s. -- *et defectionem* c f. -- *det. primo nuntio* g h. -- *nunctio Artaxerses conmotus* mon. -- *strennuo negocium* E a. - *qui quod cum cog.* h. *qui quod cog.* i k. -- *cog. facereque conari consuesset* k. -- *consuescet* mon. g. *consuesceret* f. -- *Autophrodatem* dan. a b k. *Autophrad.* E u s, Aldus. *Antophord.* h. *Anthophrod.* f g. *Antrophrod.* mon. i. *Androphrod.* E v a. *Androphad.* c. -- *in* om. E v a. -- *Capadociam* f E a.

15. *Cyliciæ* h. -- *deligit* dan. a b mon. g h ang. i E s. *delegit* collR. c d f k l E v a u -- *nec* mon. -- *circuiretur* a b h l. *cirueniretur* i. *circumiretur* reliqui. -- *nec* mon. -- *quin cipitibus* a.

20. *Dimicare cum eo* h ang. i k l. -- *abesse* f k E u. *deesse* l.

VIII. 1. Hæc etsi Autophrodates videbat, tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere aut tam diu uno loco sedere. 2. Habebat barbarorum equitum .XX., peditum centum milia, quos illi Gardacas appellant, eiusdemque generis .III. funditorum, præ-
5 terea Cappadocum .VIII., Armeniorum .X., Paphlagonum .V., Phrygum .X., Lydorum .V., Aspendiorum et Pisidarum circiter .III., Cilicum .II., Captianorum totidem, ex Græcia conductorum .III., levis armaturæ maximum numerum. 3. Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se locique natura: namque huius partem
10 non habebat vicesimam militum. Quibus fretus conflixit adversariorumque multa milia concidit, cum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset. Quam ob causam postero die tropheum posuit, quo loco pridie pugnatum erat. 4. Hinc cum castra movisset semperque, inferior copiis, superior omnibus prœliis disce-
15 deret, quod numquam manum consereret, nisi cum adversarios locorum angustiis clausisset (quod perito regionum callideque cogi-

4. Cardacas. 12. tropæum.

1. *Hoc etsi* f mon. gh. *hoc si* b. *hoc si* vel *hæc si* a (compendio ambiguo). *hæc etsi* reliqui. -- *Autophrad.* spl. *o* b. *Autophrad.* E u s, Aldus. *Antophrod.* h. *Antophrad.* i. *Anthophrad.* g. *Anthofrod.* f. *Antrophrod.* mon. *Androphrod.* E v a. *Antrophrates* c.)(dan. a k. -- *statuit*, in marg. *Fort. Maluit* E u. *statuit potius congredi* mon. -- *.XX.* a b h i. *viginti* reliqui. -- *pedites* f. -- *.C.* h i. -- *millia* g E s. -- *Gardatas* d schott. oxon. cantabr. *Gradatas* b. *Gardates* E v a s. *Gardetas* f mon. g h i k l. *Cardagtas* c. *Cardacas* E u.)(dan. gif. a. -- *appellabant* i. -- *.III.* a b. *IIIM.* E u. *.III.* E v a s. *tria ante f.* g h. *tria millia* c. *tria* reliqui. -- *fonditorum* b g.

5. *Capadocum* b d mon. g E a. -- *.VIII.* a. *VIIIM.* E u *.VIII.* b E v a s. *octo millia* c. *octo* reliqui. -- *.X.* a. *XM.* E u. *.X.* b i E s. *decem* reliqui. -- *.V.* a. *VM.* E u. *.V.* b i E s. *quinque* reliqui. -- *Phrigum* a b mon. g. *Phrigium* f. -- *.X.* a. *.XM.* E u. *.X.* b i E s. *decem millia* c. *decem* reliqui. -- *Lidorum* f mon. -- *.V.* a. *VM.* E u. *.V.* b E s. *quinque millia* c. *quinque* reliqui. -- *Aspendorum* l. *Asplendorum* k. *Asplendiorum* mon. -- *.III.* a. *IIIM.* E u. *.III.* b E s. *tria millia* c. *tria* reliqui. -- *Alicum* f. -- *.II.* a i E s. *IIM.* E u. *duo* reliqui. -- *Forte Caspianorum* in marg. E u. -- *condutorum* mon. -- *.III.* a collR. *.III.* b E s. *tria* dan.? f mon. g h i k l. *tria milia* d? E v a u. -- *maximum* om. f.

10. *Vigesimam* b c f k l E v a.)(dan. a d mon. g h i E u s. -- *fretus* g h. -- *conflixit ariorumque* i. -- *adversariorum multa* E u. -- *millia* g E s. -- *cum de .... cecidisset* om. leid. -- *hominum millia* mon. -- *mile* d. -- *cecidissent* b g l. *occidissent* f.)(dan. a c d mon. h i k E v a u s. -- *trophæum* g E v a u s. *tropæum* Lambinus. -- *erat* om. c E v a. *est* l.)(dan. a b d f mon. g h i k E u s. -- *Hic cum* dan.? E v a. -- *semperque* om. E v a. *semper inf.* f. *movisset ut inf. cop. ita superior* E s (ab Ascensio). *mov. erat inf. cop. s. o. p. semperque disc.* c. -- *omnibus* om. f.

15. *Manuum* f. -- *cum* om. E v a u. -- *augustiis* a.

tanti sæpe accidebat): 5. Autophrodates, cum bellum duci maiore regis calamitate quam adversariorum videret, pacem amicitiamque hortatus est, ut cum rege in gratiam rediret. 6. Quam ille etsi fidam non fore putabat, tamen conditionem accepit seque ad Artaxerxem legatos missurum dixit. Sic bellum, quod rex adversus 5 Datamen susceperat, sedatum est. Autophrodates in Phrygiam se recepit.

IX. 1. At rex, quod implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit: quas ille plerasque vitavit. 2. Sicut, cum ei 10 nunciatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero (de quibus, quod inimici detulerunt, neque credendum, neque negligendum putavit); experiri voluit, verum falsumne sibi esset relatum. 3. Itaque eo profectus est, in quo itinere futuras insidias dixerant. Sed elegit corpore ac statura simillimum sui eique 15 vestitum suum dedit atque eo loco ire, quo ipse consueverat, iussit. Ipse autem ornatu vestituque militari inter corporis custodes iter facere cœpit. 4. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu, impetum in eum faciunt,

1. *Calide cogitanti* g h. — *Autophrad.* E u, Aldus. *Antophrod.* h. *Anthophrod.* f mon. *Authophrad.* E s. *Anthophrades* g. *Antraphrod.* i. *Androphrod.* E v a.)(dan. a b k. -- *videret ad pacem* Aldus. -- *pacemque atque amicitiam h.* E v a. — *in amicitiam rediret* leid. — *non fidam* E v u s. *non fidem* E a. *fidem non* h.)(dan. a b collR. f mon. g ang. i k l. — *condicionem* E s. *condictionem* h.

5. *Misurum* mon. — *duxit* h. — *rex quod* i. *quod* om. mon. — *Datamen* a b mon. g i E v a. *Datamem* reliqui. — *susceperat .... Datamen* om. g. — *est* om. omnes præter dan. E u. — *Antophrod.* h. *Antophrad.* mon. *Anthofrod.* f. *Antrophrod.* i. *Antrophad.* k. *Androphrod.* E v a. *Autophrad.* (g?) E s, Aldus.)(dan. a b c E u. — *Phrigiam* a f mon. *Frigiam* b d. — *recipit* E s (a Lambino). — *Atque rex* h i k l. — *quot* mon. *quia* f. — *inplacabile* i. — *Datamen* a b mon. E v a. *Datamem* reliqui. — *susceperat sedatum postquam* mon. — *eum bello* i.

10. *Vitiavit* i. — *sic ut* f g h. — *ei* om. E v a. — *nuntiatum esset ei* f. — *quid inimici* mon. — *detulerant* E v a u. — *nec cred. nec* mon. — *falsumve* mon. g h ang. i k l. — *sibi* om. h ang. i k l. —*essent* E u. — *in* om. f mon. g h i k l.

15. *Insidias evenire dixer.* omnes præter dan. E u, nisi quod *ins. ev. ei dix.* in E s est. — *dixerat* h i k l. *duxerant* mon. — *ac* leid. a collR. g h E u. *et* reliqui. — *corpore statura* E v. *corporis statura* E s (ab Aldo). — *similimum* f E u. -- *vestimentum* g. -- *loco* om. f.-- *quo* i. *c. ire* i. -- *consuerat* c. *censuerat* d.-- *ornatu* dan. g i f. a E u, item schott.? *ornatus* reliqui. — *vestituque* om. E u. *vestito* f. *a vestitu* mon.)(dan. g i f. *vestitu* rel. -- *faciunt imp. in eum* l? *in eum imp. fac.* f. *in eum fac. imp.* collR. c d E v a u s.)(dan. a b mon. g h ang. i k.

qui suppositus erat. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. 5. Ipse, ut concurrentis insidiatores animum advertit, tela in eos coniecit. Hoc idem cum universi fecissent, priusquam pervenirent
5 ad eum, quem aggredi volebant, confixi conciderunt.

X. 1. Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus est Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo. Namque is pollicitus est regi, se eum interfecturum, si ei rex permitteret, ut, quodcunque vellet, liceret impune facere fidemque de ea re more Persarum dextera
10 dedisset. 2. Hanc ut accepit a rege missam, copias parat et absens amicitiam cum Datame facit, regis provincias vexat, castella expugnat, magnas prædas capit, quarum partim suis dispertit, pariter ad Datamen mittit; pari modo complura castella ei tradit. 3. Hæc diu faciendo persuasit homini, se infinitum adversus regem
15 suscepisse bellum; cum nihilo magis, nequam suspicionem illi præberet insidiarum, neque colloquium eius petivit neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed communi odio, quod erga regem susceperant, contineri viderentur.

XI. 1. Id cum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem
20 facit Datamen, tempus esse, maioris exercitus parari et bellum

13. partim ad.

1. *Qui suspitionis* mon. — *Prædixerant* f. — *paccati* c. — *concurrentis* a b mon. g h E v a *concurrenteis* E u s. *concurrentes* reliqui. — *animadvertit* omnes præter a. — *tella* g h.

5. *Confici* g. *confisi* h. — *conciderunt* leid. a b d schott. f mon. g h k. *ceciderunt* reliqui. — *calidus* f. — *Mitridatis* b f mon. k. — *Ariobarxanis* a. *Ariobarzeni* f. — *filio* mon. — *his p.* f mon. — *se* om. g h. — *ei* om. f. — *promitteret* c d l? E v a s. — *quodc. vi vellet* c. — *inpune* f i. — *facere* om. k l. — *de ea re* om. f. — *dextra* omnes præter a h f. — *Pers. rex dextram ded.* leid.

10. *Ut recepit* collR. c d savar. E v a s.)(dan. a b schott. f mon. g h ang. i k l putean. E u. — *missam* om. collR. c d savar. schott. E s, Longolius. *missas* k l.)(dan. a b f mon. g h ang. i E v a u. -- *et habens amicitia* mon. -- *fecit* E v a. — *provinciam* b collR. c d E v a u s. *provinxia* mon.)(dan. leid. a f g h ang. i k l. — *partim .... pariter* dan. a. *partem .... partem* collR. c d E v a u s. *partes .... partem* mon. *partim ... partim* b f g h ang. i k l. — *dispartit* f g i k. — *Datamen* a b mon. g h E v a. *Datamem* reliqui. — *mittit* om. mon. — *modo cum plura* f. — *Hoe diu* f. — *diu ei fac.* mon. — *se in infin.* d.

15. *Suscepit* l. — *nequaquam* i. — *illi suspicionem* i k. — *ne coll.* mon. — *penituit* c. — *nec in* mon. — *Sic habens* mon. — *communi odio* dan. a b collR. f mon. g h ang. i E s. *odio communi* reliqui. — *quod contra* i. — *susceperat* mon. k. — *continere* f.

20. *Se* om. mon. — *fecit* f, Magius. — *Datamē* a f. *Datamen* b mon. g h i E v a. *Datamem* reliqui. — *maiore exercitu* mon. *maioris* a h. *maiores* reliqui. — *parandi* f. — *et* om. (1?).

cum ipso rege suscipi; deque ea re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur locusque, quo conveniretur. 2. Huc Mithridates cum uno, cui maxime habebat fidem, ante aliquot dies venit compluribusque locis separatim gladios obruit eaque loca diligenter notat. Ipso autem colloquii 5 die utrique, locum qui explorarent atque ipsos scrutarentur, mittunt. Deinde ipsi sunt congressi. 3. Hic cum aliquamdiu in colloquio fuissent et diverse discessissent, iamque procul Datames abesset: Mithridates, priusquam ad suos perveniret, nequam suspicionem pareret, in eundem locum revertitur atque ibi, ubi telum erat im- 10 postum, resedit, ut si lassitudine cuperet acquiescere: Datamenque revocavit, simulans, se quiddam in colloquio esse oblitum. 4. Interim telum, quod latebat, protulit nudatumque vagina veste texit ac Datami venienti ait, digredientem se animadvertisse, locum quendam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. 15 5. Quem cum digito demonstraret et ille respiceret, aversum ferro transfixit priusque, quam quisquam posset succurrere, interfecit. Ita ille vir, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

1. *Ipso* om. collR. cdEvas. -- *suscipiendi* f. -- *de qua re* Evau. -- *si sibi vid.* gh. -- *quocunque loco* c. -- *loco* om. Eva. -- *summitur* mon. k. -- *Hic* mon. -- *Mitridates* abf mon. -- *cum uno cui* om. collR. *cum uno* om. c.-- *maxime* om. ang. ikl. *maximam* collR. cdfEvas.)(dan. ab mon. ghEu. -- *fidem hunc ante* f. -- *aliquos* f mon. i. -- *venit dies* f. -- *seperatim* fgh.

5. *Colloquii die* dan. gif. a. *colloquendie* u. Eu. *colloquendi die* reliqui. -- *uterque locum explorarunt* f. -- *egressi* k. - *in* om. f. -- *diverse* om. g. *diversi* collR. cdEvaus.)(dan. abf mon. hikl. -- *dixissent* f. -- *esset*, spl. *ab* i. -- *Mitridates* abf mon. h.

10. *Pararet* fk. -- *ibi* om. Eu. -- *tellum* gh. -- *impostum* om. i. *inpositum* mon.)(dan. a. *impositum* reliqui. - *res. ac si* f mon. ghk. -- *si a lass.* Lambinus. -- *Datamenque* ab mon. g hEva. *Datamen rev.* ikl. *Datamemque* reliqui. -- *se* om. f. -- *quoddam* f mon. ghklEa. *quodam* Ev. *quædam* collR. cd venetus Magii, ang. i.)(abEus, brixiana. -- *colloquium* k. -- *esse* om. l. *fuisse* ik. -- *digrediendum* Ev.

15. *Esse* om. l? -- *monstraret* Eva us. -- *illi* l. -- *respiceret* aEu. *conspiceret* reliqui. -- *adversum* fl. -- *tranfixit* a mon. -- *priusquam quisquam* collR. f mon. *priusque quisquam* gh. *priusquam quam quisquam* Ea. *et priusquam quisquam* ang. ik.)(dan. abcd Evus. -- *succurrere posset* ik. -- *interficit* f. -- *ille* om. (l?). -- *multo* ik. -- *Datamis vita feliciter finit* Ev.

XV.

EPAMINUNDAS.

Epaminundas, Polymni filius, Thebanus. De hoc priusquam scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant; neve ea, quæ ipsis leviora sunt, pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. 2. Scimus enim, musicen nostris mori-
5 bus abesse a principis persona; saltare vero etiam in vitiis poni: quæ omnia apud Græcos et grata et laude digna ducuntur. 3. Cum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ velimus Epaminundæ, nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. 4. Quare dicemus primum de genere eius;
10 deinde, quibus disciplinis et a quibus sit eruditus; tum de moribus ingeniique facultatibus, et siqua alia memoria digna erunt; postremo de rebus gestis, quæ a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

15. *eorum*, spl. *d* b. *deorum* Magius. -- *penis* a b f. -- *minuerint* c E v. *minueret* k. -- *fama* i. *phana* E v a. -- *spoliaret* k. -- *prelium*, in marg. *predium* g. *predium* h. -- *omne bellum est* a b g h i k. *omne b. collatum est* f. *est omne b.* reliqui. -- *ideoque Corinthium* E u s, Ascensius. -- *est* om. collR. *appellatum est* f. -- *una* om. d.

20. X. fi. -- *millia* g E s. m. i. -- *duce reciderunt* c. -- *afuit* E s (a Lambino). -- *gloriæ ue comm.* h. -- *fortuna* g. -- *tam inulti* E u. -- *nam illa* f.

cum adversarios intra mœnia compulisset, et, ut Corinthum oppugnaret, multi hortarentur, negavit id suæ virtuti convenire: *se enim eum esse dixit, qui ad officium peccantis redire cogeret, non qui urbes nobilissimas expugnaret Græciæ.* 4. *Nam si,* inquit, *eos*
5 *extinguere voluerimus, qui nobiscum adversus barbaros steterunt, nosmet ipsi nos expugnaverimus, illis quiescentibus. Quo facto sine negotio, cum voluerint, nos oppriment.*

VI. 1. Interim accidit illa calamitas apud Leuctram Lacedæmoniis: quo ne proficisceretur, eum a plerisque ad exeundum pre-
10 meretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem, eum Epaminundas Spartam oppugnaret, essetque sine muris oppidum, talem se imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. 2. In quo quidem discrimine celeritas eius consilii saluti fuit universis. Nam cum quidam
15 adolescentuli, hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent et locum extra urbem editum cepissent: Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, quenquam ad hostis transfugere conari, cum suis eo venit atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum locum occu-
20 passent, et se id quoque fieri debere animadvertisse. 3. Sic adulescentulos simulata laudatione recuperavit et adiunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. Namque illi, aucto numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi, eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quæ cogitaverant.

20. adulescentis.

1. *Menia* abfg. — *multo* h. — *ortarentur* f. — *neguit* g. — *esse* om. f mon. ghikl. — *pecoantis* abdf mon. ghkEva. *peccanteis* Es. *peceantes* rel.
5. *Eos inquit* f. — *barbos*, spl. *ar* a. — *steterint* kl. — *expugnamus* c. — *ipsis dormientibus* f. — *cum vol. sine negotio* i. — *negocio* afghEvau (semper sic). — *Accidit interim* i. — *Leuctra* Eu, Aldus. *Leuctrum* b. *Leutram* fik. X acdghlEvas. — *a* om. g. — *præmeretur* f.
10. *Ac si* f. — *exercitu* l. — *dimicaret* Eu. — *Sparthan* abd. — *opidum* Eu (semper sic). — *app. si ille* i. — *Sparthem* abd. — *non fuisset* i.
15. *Perteriti* ghEv. — *et locum ... cepissent* om. i. — *ct eum locum* ghkl. — *cæpissent* hEva. — *Agesilaum* f. — *hostis* ab. *hosteis* Es. *hostes* reliqui. — *tranfugere* a. — *suis convenit* Ev. — *at ut* f. — *animo* om. f.
20. *Debere fieri* f. — *animadvertisset* Ea. — *adulescentulis* a. *adulescenteis* Eu. *adulescentulos* reliqui. — *simulat* f. — *tutum locum* i. — *num. illorum qui* f. — *consilii erant* f. — *se* om. f. — *quæ* om. l. — *cogitaverunt* Es. *cogitarunt* l. *cogitaverant* abdfghk. *cogitarant* reliqui.

VII. 1. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedæmonii se numquam refecerunt neque pristinum imperium recuperarunt: cum interim Agesilaus non destitit, quibuscunque rebus posset, patriam iuvare. 2. Nam cum præcipue Lacedæmonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui a rege defecerant, præsidio fuit: a quibus magna 5 donatus pecunia patriam sublevavit. 3. Atque in hoc illud inprimis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab regibus ac dynastis civitatibusque conferrentur, quod nihil umquam domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. 4. Domo eadem fuit contentus, qua Erysthenes, progenitor maiorum suorum, 10 fuerat usus: quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat; contra ea plurima patientiæ atque abstinentiæ. Sic enim instructa, ut in nulla re differret cuiusvis inopis atque privati.

VIII. 1. Atque hic tantus vir ut naturam fautricem habuerat 15 in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo. Nam et statura fuit humili et corpore exiguo et claudus altero pede. Quæ res etiam non nullam afferebat deformitatem: atque ignoti, faciem eius cum intuerentur, contemnebant; qui autem virtutes noverant, non poterant admirari satis. 2. Quod ei usu 20

10. Eurysthenes.

1. *Si non dubio* k. — *Leutricam* b f h i k l. — *receperunt*, spl. *fec* i. — *nec* f. — *recuperaverunt* i. — *non* om. a. — *interim nunquam Ag. destitit* E u.

3. *Fuit* om. k. — *imprimis* g h i. — *ammirabile* a. *amirabile* l. *fuit amicum maxima* f. — *munera illi* f. — *a regibus* b f. — *ac* a b collR f g h ang. i k. *et* vatic3412., reliqui. — *dinastis* b f ang. i k. *clynastis* a. — *conferentur* d. *confererentur* f. — *quod* om. c E v a u. — *nichil* ab (semper). — *nihil nunquam* l. — *unquam in domum* c E v a s. — *nihil unquam de victu, nihil unquam de vestitu* leid.

10. *Erysth.* c l. *Eristh.* i k E v a. *Erist.* a b f g. *Herist.* d. *Exist.* h. *Eurysthenes* E u s, Magius. — *progenitorum m.* f. — *maiorum suor. prog.* g h. — *intravit* k. — *viderat* p. i. — *ea* om. E u, Aldus. — *patientiæque abstinentiæ atque sic* i. — *enim erat instructa* E u s, Lambinus. — *structa* f l. — *in nulla re* a b collR. f g h ang. k. *nulla re* vatic3412. i. *in re nulla* c d. *nulla in re* l E v a u s. — *differet* d. — *diff. a cuiusvis* c E s, Magius. — *cuivis* k l. *civis* f g h.

15. *Itaque hic* f. — *malef. habuit in corp.* collR. c d. — *est* om. i. — *fingendo....et corpore* om. libri omnes præter leid., (in quo erat *corpore eius fugiendo*) et E u. — *exiguus* Aldus. — *ex. Nam et claudus* i. — *Quæ res*.... *contemnebant* in E u errore omissa supplentur in indice corrigendorum. — *contemnebat* f. *contemnabant* c. *contempnebant* a g. — *qui tamen virt.* f. — *virtutem* E v a s. — *ammirari* a.

venit, cum annorum .LXXX. subsidio Tacho in Ægyptum iisset et in acta cum suis accubuisset sine ullo tecto stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quam pellis esset iniecta, eodemque comites omnes accubuissent vestitu humili
5 atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed homines non beatissimos suspicionem præberet. 3. Huius de adventu fama cum ad regios esset perlata, celeriter munera eo cuiusque generis sunt allata. His quærentibus Agesilaum vix fides facta est, unum esse ex his, qui tum accubabant. 4. Qui
10 cum regis verbis, quæ attulerant, dedissent, ille præter vitulinam et eius modi genera obsonii, quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit; unguenta, coronas secundamque mensam servis dispertiit; cetera referri iussit. 5. Quo facto eum barbari magis etiam contempserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa po-
15 tissimum sumpsisse arbitrabantur. 6. Hic cum ex Ægypto reverteretur, donatus a rege Notonabide ducentis viginti talentis, quæ ille muneri populo suo daret, venissetque in portum, qui Menelai vocatur, iacens inter Cyrenas et Ægyptum, in morbum implicitus decessit. 7. Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod
20 mel non habebant, cera circumfuderunt atque ita domum retulerunt.

1. *.LXXX.* a b. *octoginta* d E v a u s. *octuaginta* c. *.LXX.* i. *septuaginta* f mon. g h k l. -- *Taco* c. *Thaco* g h k E v a s. *Thraco* i.)(a b d f l E u. -- *in Egipto* f. -- *iisset* a E u. *ivisset* E s (e brixiana). *esset* h. *isset* reliqui. -- *in astha* c. -- *stramentis nec* f. -- *huc* om. f. *hic* h. -- *accubuisset* fi. -- *vestituti* i. -- *humili* om. g.

5. *Absoleto* i k l. *absoletu* f. -- *homines* (spl. *hominis*) *non beatissimi* d. *hominis non beatissimi* collR. c E v a s. *hominis non beatissimi* , in marg. *Al. homines non beatissimos* E u.)(a b vatic3412. schott. f g h ang. i k l. -- *beatissimos suspicionem*, inter duo vocabula spl. *esse* b. -- *fama* om. f. -- *prolata* g. -- *munera* om. k. -- *est, tum esse* i. -- *qui cum acc.* d.

10. *Verbis regia* f. -- *intullerant* d. -- *vitulinam* g h. *vitilinam* a. *vitilina* b. *vitulina* reliqui. -- *eius modi* a b collR. g i k l. *huius modi* vatic3412. ang. reliqui. -- *opsonii* E s (ab Aldo). -- *desideradat* E v. -- *cerenos*, in marg. *coronas* l. -- *dispartiit* i. -- *etiam magis* i k l. *etiam* om. c. -- *contempserant* g h.

15. *Sumpsisse potissimum* i. -- *Notonabide* a b collR. mon. k. *Naconabide* f. *Natonabile* c. *Nathabide* E v a. *Onabide* vatic3412. g h ang. i l. *Nabide* d. *Nectanabe* E s (a Magio). *Nectanabide* E u. -- *CCtis XX.* i. -- *vinginti* E a. *triginta* E u -- *munera* f. -- *venisseque* f. -- *Menalai* b. *Monelaii* f. -- *lacons inter* f. -- *Cirenas* f. *Grenas* E s. -- *Egytum* i. -- *Ibi cum* g. -- *Sparthan* a b d. -- *posset perferri* leid.

20. *Cæra* E v a u. -- *circumfunderunt* a. -- *rettulerunt* E v a.

XVIII.
EUMENES.

EUMENES, Kardianus. Huius si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem maior, sed multo illustrior atque etiam honoratior: quod magnos homines virtute metimur, non fortuna. 2. Nam cum ætas eius incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent, multum ei detraxit inter eos viventi, quod alienæ erat civitatis; 5 neque aliud huic defuit, quam generosa stirps. 3. Etsi ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indigne ferebant; neque tamen non patiebantur. Vincebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii. 4. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, 10 Amynthæ filii, brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem. Fulgebat enim iam in adulescentulo indoles virtutis. 5. Itaque eum habuit ad manum scribæ loco: quod multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos. Namque apud nos, re vera sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur: at apud illos contrario 15 nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et fide et industria cognita: quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. 6. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. Illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Novissimo tempore præfuit etiam alteræ equitum alæ, quæ Hetærice 20

1. *Kardianus* a. *Cardianus* reliqui. -- *Eius si* f. -- *esset data* f. -- *non illo* f. -- *etiam* om. k. -- *honoratior:*, in marg. *Deest habetur aut simile quiddam* Eu. -- *metiuntur* cEv. *metiunt* Ea. *metiemur* k. -- *eius ætas* i. -- *cecidisset* dl? -- *ei* om. Es.

5. *Inter eos* om. Eva. *inter eos*, spl. *hos* g. *inter hos* hikl.)(abcd schott. fEus, Magius. -- *iuventuti* g. -- *quia al.* f. -- *nec aliud* f. -- *Etsi enim ille* Es (a Lambino). *Et ille* i. -- *cum sibi* f. -- *nanque tamen* Evu. -- *omnis* Eva. *omneis* Eus.

10. *Accesserat ad amicitiam* f. -- *Phyllippi* a. -- *Amynlhæ* abdgh. *Aminthæ* f. *Amyntæ* reliqui. -- *Eugebat enim* a. -- *enim* om. g. -- *in* om. i. -- *manus* f. *Annæum* i. -- *est* om. k. -- *apud ro.* i. -- *Nam apud* cEva.

15. *Sicut* om. f. - *sunt* om. i. -- *mercenariis* f. *mercennarii* ak. -- *apud hos* f. -- *illos e contrario* c?Es (a Lambino). -- *et* om. Es. *et fide* om. f. -- *esse eum* k. -- *Phylippum* f. -- *tresdecim* dghl. *XIII.* f.

20. *Alteræ* om. h. *alteri* bdEvaus.)(gif. a collR. c schott. oxon. f thott. g ang. kl cantabr. *alteræ etiam equitatum* i. -- *Hetærice* gif. Es. *heterice* aEu. *etherice* reliqui.

appellabatur. Utrique autem in consilio semper affuit et omnium rerum habitus est particeps.

II. 1. Alexandro Babylone mortuo, cum regna singulis familiaribus dispertirentur et summa rerum tradita esset tuenda eidem, 5 cui Alexander moriens anulum suum dederat, Perdiccæ: 2. ex quo omnes coniecerant, eum regnum ei commisisse vel commendasse, quoad liberi eius in suam tutelam pervenissent: (aberat enim Crateros et Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Ephestio, quem unum Alexander, quod facile intelligi posset, plu- 10 rimi fecerat); hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta. Nam tum in hostium erat potestate. 3. Hunc sibi Perdiccas adiunxerat magno studio, quod in homine fidem et industriam magnam videbat: non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Cogitabat enim, quod fere omnes in 15 magnis imperiis concupiscunt, omnium partis corripere atque complecti. 4. Neque vero hoc ille solus fecit, sed ceteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare prædestinavit. His multis magnisque pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret ac secum 20 faceret societatem. 5. Cum perducere eum non posset, interficere conatus est; et fecisset, nisi ille clam noctu ex præsidiis eius effugisset.

6. regnum ei commendasse, quoad. 7. Crateros. 9. Ephæstio. 18. Is multis.

1. *Appellatur*, spl. *ba* a. -- *autem et in* E s (a Lambino). -- *in* om. (c) E v a. -- *participes* c. -- *Babilone* a E a u. *Babillone* b. *Babyloniæ* f i. -- *dispartirentur* i E a s. *disparterentur* c. *dispartiretur* E v. -- *tuendæ* f.

5. *Alexandrō* i. -- *anulum* a b f g h l E v. *annulum* reliqui. -- *Perdioce* b. *Perdicæ* f g h i l E v a. *Perdite* k. -- *commisisse vel* om. c h i l E v a, item E u, quæ tamen in marg. *Al. commisisse* habet. *commisisse quoad*, in marg. *alii commendasse* g. *quoad commisisse* k.)(leid. a b d schott. f E s. -- *quo ad* f i. *quod ad* l. -- *tutellam* g h. -- *aberat* a b f. *aberant* reliqui. -- *Cratheros* a b d i k. *Cratherus* E v a. *Crateros* c f g h. *Craterus* reliqui. -- *Anthipater* g. -- *huic*, in marg. *hunc* g -- *Hephæstio* E s. *Ephesio* h. *Ephiestio* k. *Ephesio* E v. *Ephestion* i.)(a b c d f g E a u. -- *quem numerum Al.* E v. -- *plurimum* schott. f.

10. *Est* om. i. -- *Eumci* a. -- *sine* d. -- *pocius* a. -- *erat in hostium* f mon. g h k l. -- *Nunc sibi* k l. -- *Perdiocas* b. *Perdicas* f g h i k l E v a (semper sic). -- *quia in* f. -- *in hoc f.* i. -- *magnam industriam* f. -- *ni eum* d.

15. *Partis* a E v a. *parteis* E u s. *partes* reliqui. -- *erripere* f. -- *Nec vero* f g h i k l. -- *ille hoc* f. *hæc ille* g i l. *ille hæc* k. *hoc tempore* c E v a.)(a b d mon. h E u s. -- *quæque omnes* l. -- *Alexandro*, spl. *i* i. -- *fuerunt* c (l). -- *Leonantus* g h. *Leonatus* E v a. *Leonadus* f. *Leonnadus* i k l. -- *prædestinaverat* c E v a. *destinavit* E u. *destinaverat* Lambin.)(a b d f g h i k l E s. -- *His* a f. *Hic* E u. *Is* reliqui. -- *magnis multisque* g h. *multis magnis p.* l E v a.

20. *Facere* f. -- *noctu* om. c E v.

III. 1. Interim conflata sunt illa bella, quæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesque concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. Quem etsi infirmum videbat, quod unus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit neque salutis quam fidei fuit cupidior. 2. Præfecerat hunc Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem iacet atque Hellespontum, et illum unum opposuerat Europæis adversariis; ipse Ægyptum oppugnatum adversus Ptolemæum erat profectus. 3. Eumenes cum neque magnas copias neque firmas haberet, quod et inexercitatæ et non multo ante erant contractæ; adventare autem dicerentur Hellespontumque transisse Antipater et Chrateros magno cum exercitu Macedonum, viri tum claritate tum usu belli præstantes: 4. (Macedones vero milites ea tum erant fama, qua nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperii potirentur): Eumenes intelligebat, si copiæ suæ cognossent, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuncio dilapsuras. 5. Itaque hoc eius fuit prudentissimum, ut deviis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent, et his persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. 6. Itaque tenuit hoc propositum et prius in aciem exercitum eduxit prœliumque commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deteriore.

11. Crateros.

1. *Internitionem* a f. *internicionem* E v. *interinitōnem* E a. *internect.* h k. *intercept.* l. *interempt.* b g.)(c d E u s. -- *quia unus* f. -- *nec sal.* f.

5. *Que fidei* k. -- *f. suæ cupidior* h. -- *Præf. hunc* a b f g h ang. i k l. *Præf. eum* collR. c d E v a u s. -- *ei* om. f. -- *Asyæ* a. -- *iacebat* i. -- *Helespontum* f g h (semper sic). *Ellesp. ut i. u. apposuerat* l. -- *Europis* c. -- *adversum* a. -- *Ptolomæum* i. *Ptholomeum* a b f g k. -- *quod inex.* c i E v a u. *quia inex.* f.)(a b collR. g h ang. k l E s.

10. *Non* om. i. -- *dicebantur* i. -- *Antypater* E v. -- *et* om. i k l. -- *Chrateros* a. *Cratheros* i k l. *Crateros* b d f g h. *Craterus* reliqui. -- *viri tum* a c f E u. *viri cum* reliqui. -- *celeritate* E s. -- *tum erant* a b f g h k E s. *tunc erant* reliqui. -- *sunt habiti* E u. -- *summa* b f mon. g h i k l E u, Magius.)(dan. gif. a c d savar. E v a s.

15. *Intellegebat* d. -- *cognoscent* h. *cognoscerent* c d f E v a s.)(a b schott. g i k l E u. -- *dicerentur* f. -- *fuit præstantissimum* k. -- *prudentissimum consilium ut* collR. c d E v a u s.)(a b f g h ang. i k l. -- *ut deviis* E v. -- *vestra audire* E v. -- *persuadere* f. *perfunderet* c.

20. *Exerc. in aciem* i. -- *exercitum* om. E u. -- *plurimumque commissit* l. -- *sui milites* i. -- *præoccup. locorum* f. -- *et equitatu* k l. -- *deteriore* a b E u. *deterior* reliqui.

IV. 1. Quorum acerrimo concursu cum magnam partem diei esset oppugnatum, cadit Cratheros dux et Neoptolemus, qui secundum locum imperii tenebat. Cum hoc concurrit ipse Eumenes. 2. Qui cum inter se complexi in terram ex equis decidissent, ut 5 facile intelligi possent inimica mente contendisse animoque magis etiam pugnasse quam corpore, non prius distracti sunt, quam alterum anima relinqueret. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur, neque eo magis ex prœlio excessit, sed acrius hostis institit. 3. Hic equitibus profligatis, interfecto duce Crathero, multis præterea et 10 maxime nobilibus captis, pedester exercitus, quod in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petit. Quam cum impetrasset, in fide non mansit, et se, simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. 4. Eumenes Cratherum, ex acie semivivum elatum, recreare studuit. Cum id non posset, pro hominis dignitate 15 proque pristina amicitia (namque illo usus erat, Alexandro vivo, familiariter) amplo funere extulit ossaque in Macedoniam uxori eius ac liberis remisit.

V. 1. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud Nilum flumen interficitur a Seleuco et Antigono, rerumque summa 20 ad Antipatrum defertur. Hic, qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur: in his Eumenes. Hac ille

2. Crateros. 9. Cratero. 13. Craterum.

1. *Pugnatum* f E u s, Lambinus. *pugnatum esset diei* i.)(a b c d g h k l E v a. -- *Cratheros* a i. *Chrateros* f k l. *Crateros* b d g h. *Craterus* reliqui. -- *Neoptholemus* a. *Neoptolomus* b f k. *Neprolemus* l. *Pneotholemus* d. -- *ipse* om. i k l. -- *Eumenesque cum* k. -- *complexu* f. *complessi* l.

5. *Possent* a E u. *posset* reliqui. -- *animo e magis pugn.* f. -- *districti* g. -- *suis quam* i. -- *relinqueret* a E u. *reliquerit* reliqui. -- *nec eo* f i k l. - *hostis* gif. a b schott. f. *hostius* mon. *hostium* g. *hostibus* collR. c d h ang. i k l E v a u s. -- *Crathero* a i k. *Chratero* f. *Cratero* rel.

10. *Pedestris* collR. c d E v a s.)(leid. a b f g h ang. i k l E u. -- *que in* E v. -- *invicto* g. -- *pacemque ab* E a -- *petiit* Lambinus. - *quam cum non imp.* f. -- *inpetrasset* i. -- *potuit et A.* E v. -- *Cratherum* a k. *Chraterum* f. *Chratherum* i. *Craterum* reliqui. -- *semivivum* om. l. *semiamem*, spl. *vi* i. *semianimem* k. -- *possit* g h.

15. *Alexander* E v a. -- *munere* gif. b d schott. *munere*, spl. *l'fu* a. *funere* collR., reliqui. -- *Macedonia* l. -- *apud* om. f. -- *Hellespunthum* d. *Helesp.* f g h. -- *reguntur* h. -- *Perdicca* f. -- *Nilum flumen* a b f g h ang. i k E u. *flumen Nilum* reliqui. *interficitur ap. fl. Nilum* collR. -- *Sceleuco* k. *Sæleuco* l. *Selenco* g. *Seleucho* i. -- *Anthigono* f. -- *verumque* d.

20. *Anthipatrum* f. -- *Hi* i. -- *deseruerunt* l E v a. -- *exitu* k. -- *dampnantur* a. -- *in hac Eum. ille perc.* i. -- *Hac illac* h.

perculsus plaga non succubuit neque eo secius bellum administravit. Sed exiles res animi magnitudinem, etsi non frangebant, tamen minuebant. 2. Hunc persequens Antigonus, cum omni genere copiarum abundaret, sæpe in itineribus vexabatur: neque umquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus pauci multis possent resistere. 3. Sed extremo tempore, cum consilio capi non posset, multitudine circumitus est. Hinc tamen, multis suis amissis, se expedivit et in castellum Phrygiæ, quod Nora appellatur, confugit. 4. In quo cum circumsederetur et vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi: callidum fuit eius inventum, quem ad modum stans iumentum concalfieri exercerique posset, quo libentius et cibo uteretur et a corporis motu non removeretur. 5. Substringebat caput loro altius, quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere; deinde post verberibus cogebat exultare et calces remittere. Qui motus non minus sudorem excutiebat, quam si in spatio decurreret. 6. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, ut æque iumenta nitida ex castello educeret, cum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset. 7. In hac conclusione, quotienscunque voluit, apparatum et munitiones Antigoni alias incendit, alias disiecit. Tenuit autem se uno loco, quam diu

1. *Periculosus* f. *percussus* iEu. -- *nec* f. -- *setius* ak. -- *bellum* om. k. -- *amministravit* a. -- *tamen non minuebant* Eva. *tamen imminuebant* Es (ab Ascensio). -- *Hunc psquens* k. *Hunc ipse sequens* l. -- *habundaret* afgh. -- *nec* fh.

5. *Manus* f. -- *nisi his .... resistere* om. h. -- *multis possent pauci* Ev. *pauci possent multis* (cdl?) Eaus. *pauci resist. possent multis* collR.)(abfg ang. ik. -- *posset* l. -- *obsistere*, spl. *re* g. -- *circumitus* aEu. *circuitus* bd. *circumventus* reliqui. -- *Huic tamen* Ev. -- *admissis* k. -- *Phrigiæ* abf. -- *Hora* ghEva. -- *cum* om. Ev. -- *circunsed.* gEvu.

10. *Quia* f. -- *spacium* afgEvau. -- *eius adventum* f. -- *stans* om. f. -- *in mentum* g. -- *concalfieri* aEu. *concalefieri* bdfghEs. *calefieri* reliqui. -- *corporis victu non* c. -- *loco* kEv. -- *alterius* f. -- *plane*, spl. *l'e* a, in marg. *Al. plene* Eu. -- *posset terram* f mon. ghik. -- *post* om. fk. -- *versibus*, spl. *ber* a. *deinde posterioribus cog.* collR. c savar. Es, item in marg. d.

15 *Exult. calcesque remittere* Eu. -- *spacio* afgEvau (semper sic). -- *decurrerent* fklEu. -- *mirabilare* a. -- *visum est* fi. -- *ut hæc iumenta* g. *ut hæc inventa* h -- *iumenta æque* Lambinus. -- *nitida* om. f. -- *cum quo in plures* k. -- *ac si .... conclusione* om. Ev. -- *ea* om. g. -- *locis ea* f. -- *In hac conclusione* om. Evs. -- *concursione*, spl. *clu* i.

20. *Quotienscunque* abdfghlEva. *quotiensque* k. *quotiescunque* reliqui. -- *valuit* leid. *noluit* Ev. -- *et apparatum* (cd?) Evaus. -- *intendit* i.

hiems fuit, quod castra sub divo habere non poterat. Ver appropinquabat: simulata deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit seque ac suos omnes extraxit incolumis.

VI. 1. Ad hunc Olympias, mater quæ fuerat Alexandri, cum
5 litteras et nuntios misisset in Asiam, consultum, utrum repetitum in Macedoniam veniret (nam tum in Epiro habitabat) et eas res occuparet: 2. huic ille primum suasit, ne se moveret, et exspectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur; sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, oblivisceretur omnium iniuriarum et in
10 neminem acerbiore uteretur imperio. 3. Horum illa nihil fecit. Nam et in Macedoniam profecta est et ibi crudelissime se gessit. Petit autem ab Eumene absente, ne pateretur, Philippi domus ac familiæ inimicissimos stirpem quoque interimere, ferretque opem liberis Alexandri. 4. Quam veniam si daret, quam primum exer-
15 citus pararet, quos sibi subsidio adduceret. Id quo facilius faceret, se omnibus præfectis, qui in officio manebant, misisse litteras, ut ei parerent eiusque consiliis uterentur. 5. His rebus Eumenes permotus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quam ingratum vivere.

1. *Hiems fuit* gif. Eu. *fuit hiems* reliqui. -- *hyems* a h E v a. *hiemps* b g. *hyemps* i. *hiens* f. -- *castra* gif. a collR. savar. schott. E u s. *castrum* reliqui. -- *subsidio*, spl. *sub divo* a. *subsidio vel sub divo* leid. *subsidio* gif.? schott. *subsidio*, spl. *um* b. *subsidium* putean. *subsidia* f g h ang. i k l E v a. *sub divo* collR. c d savar. E s. *sub dio* E u. -- *poterat ad ver* c. *poterat et ver* Ernstius. -- *deditticione* a. -- *condicionibus* E s. -- *tractaret* f. -- *præfectus* c. -- *inposuit* f. -- *omnis* E v a. *omneis* E u s. -- *traxit* i l. -- *incolumis* a b g. *incolumeis* E s. *incolumes* reliqui. -- *Olimpias* f. *Holympias* k. -- *materque f.* f.

5. *Mississet in Asyam* a. -- *repetū* l. *repetitam* E v a. -- *rep. iret Macedoniam nam* E u. *rep. Maced.* burgensis et venetus Magii, Lambinus. *rep in Mac.* b.)(a c d schott. f g h i k l E v a s. -- *Macedonia* k. -- *Epyro* a b. *Epyrrho* h. -- *habitabat* om. f. -- *ut eas* c. -- *occupare* f. *occuparet*, spl. *a* b h. *occuparat* g. -- *quo ad* a f g h. -- *aliqua cuperetur cupid. rap.* a. -- *Macedonia* k. -- *oblivisceretur ... Macedoniam* om. l. -- *omnium iniur. oblivisc.* (c) E v a u.

10. *Acerbiori* f. -- *nihil illa* E s. *nihil ea* (c d l ?) E v a u.)(ab collR. f g h ang. i k. -- *Petiit* b d E s, Lambinus.)(a c f g h i k l E v a u. -- *Phillippi* a. -- *ac familiæ* a b f g h k l E s. *et familiæ* reliqui. -- *stirpem quoque* om. E v a. -- *interire* h i k, Longolius. *interiiere* l. -- *si sibi daret* E s (a Lambino).

15. *Adducere* E v. -- *Id quod* k. *Id quoque* f. -- *manebat* l. -- *His verbis* E v a u. -- *benemeritis* f g h E v a. -- *meritus* l. *meritum* k. -- *graciam* a.

VII. 1. Itaque copias contraxit, bellum adversus Antigonum comparavit. Quod una erant Macedones complures nobiles, in his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem, et Antigenes, cuius sub imperio phalanx erat Macedonum: invidiam verens, quam tamen effugere non potuit, si 5
potius ipse alienigena summi imperii potiretur, quam alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo, 2. in principiis Alexandri nomine tabernaculum statuit in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate iussit poni eoque omnes cotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur; credens, minore se invidia fore, si specie 10
imperii nominisque simulatione Alexandri bellum videretur administrare. Quod et fecit. 3. Nam cum non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodam modo latebat, cum tamen per eum unum gererentur omnia.

VIII. 1. Hic in Parætacis cum Antigono conflixit, non acie 15
instructa, sed in itinere: eumque male acceptum in Mediam hiematum coegit redire. Ipse in finitima regione Persidis hiematum copias divisit, non ut voluit, sed ut militum cogebat voluntas. 2. Namque illa phalanx Alexandri Magni, quæ Asiam peragrarat deviceratque Persas, inveterata tum gloria tum etiam licentia, non 20
parere se ducibus, sed imperare postulabat: ut nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt

1. *Comparavit .. Quod*, in marg. λείπει E u. – *Peuccestes* a. *Peucrestes* d. *Penerestes* g k. *Penerestes* f. *Penorestes* b. *Penctestes* i. *Penerestis* l. *Pencestes* h. -- *Peuc. fuit qui* E v a u. – *tum animo obt.* f. -- *optinebat* E v a. *ottinebat* k. -- *Persides* i. – *et* om. l. – *Antigonem* b c. *Antigonum* f. *Antigonus* g h k l E v a s. *Antigoneus* i.)(a d schott. E u, Magius. -- *Falanx* h.

5. *Tament* f. *Tamon* E v. · *alienigenas* i E v a. — *summum* f. — *quorum* om. c. – *principis* f. — *Alexandri nomine* a b collR. f g h ang. i k E s. *nomine Alex.* reliqui. — *tabern. statuit* a b collR. d f g h ang. i k. *statuit tabern.* reliqui. — *æream* E v. — *septro* g. – *et diad.* E v. -- *poni atque* o. E v. — *cotidie* a. *quotidie* reliqui. – *et ibi* f.

10. *Consilia de summis rebus* i. — *minori* f. — *si spē* a. *si spem* f i. *si spe* g h k. — *amministrare* a. — *per unum* i.

15. *Hic in Parætacis* dan. gif. a E u s. *Hic in paretastis* c. *Impar hic ætatis* i. *Hic impar ætatis* reliqui. – *structa* f l. — *hyematum* f g h E v a. — *cogit* f. *cogebant* l. — *Ipsa in* g h. — *finittima* i. *in Phenicia regione* f. — *militum ut* E s (a Lambino). *ut* om. E v a. — *Al. magis quæ* l. — *Asyam* a. – *peragrat* k.

20. *Devicerat P.* i. *devigaret P.* l. -- *tum gl.* a b d f ang. i k l, Magius. *cum gl.* reliqui. – *gloriam* k. — *tum et lic.* d g l, Magius. — *non parē se* a. — *se omnibus ducibus* l. — *nostri* om. E v a.

sua intemperantia nimiaque licentia, ut omnia perdant neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint. 3. Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat, neque rem ullam nisi tempus interesse iudicet. Sed ad illos revertar.
5 Hiberna sumpserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam, longeque inter se discenserant. 4. Hoc Antigonus cum comperisset intelligeretque, se parem non esse paratis adversariis, statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum. Duæ erant viæ, qua ex Mediis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hibernacula posset
10 perveniri. 5. Quarum brevior per loca deserta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam, ceterum dierum erat fere decem; illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa omniumque rerum abundans. 6. Hac si proficisceretur, intelligebat, prius adversarios rescituros de suo
15 adventu, quam ipse tertiam partem confecisset itineris; sin per loca sola contenderet, sperabat, se imprudentem hostem oppressurum. 7. Ad hanc rem conficiendam imperavit quam plurimos utris atque etiam culleos comparari; post hæc pabulum; præterea cibaria cocta dierum decem; ut quam minime fieret ignis in castris. Item, quod
20 habebat, omnis celat. Sic paratus, qua constituerat, proficiscitur.

IX. 1. Dimidium fere spatium confecerat, cum ex fumo castrorum eius suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare.

6. discesserant. 19. Item iter quod.

1. *Probant nec* f. — *steterunt* h. *steterant* f. — *fecerunt* f. — *veteran. illorum* i. — *leget* h. — *patria* k. — *nullam* l.

5. *Hyberna* g h. — *sumpserat* E a u. *sumpserunt* f. — *luxuriam ipsorum* f. — *discenserant* a c. *discesserant* E u s, Lambinus. *dissenserant* reliqui. — *Hæc Antig.* f E u. (In a compendium quod et *hoc* et *hæc* significat) — *conperisset* a. — *capiundum* i. — *Mediis* a b. *Medus* c. *Medis* reliqui. — *hyemabat* a f g h. — *hybernacula* f g h.

10. *Pervenire* f. — *erant* k. — *comeabant* f g h. — *altero*, spl. *a* b. — *tantum* f. — *amfractum* E s (a Lambino). — *habundans* a f g. *habundantis* i. — *Hanc si proficiscerentur* l. — *intelligat* h. — *restitutos* f. *resciscutos* i.

15. *Quam ille tert.* (c d ?) E v a s. — *terciam* a g. — *partem* om. f. — *itineris sui per* g E v a. — *utris* a b g h i k. *vires* E v. *utres* reliqui. — *culeos* f g h i. — *comperari* f. — *post hoc* mon. g h ang. i k l. (in a est compendium ambiguum.) — *præterea* om. f mon. g h ang. i k l. — *decem dierum* l E s (ab Aldo). .X. *dierum* i. *dierum* .X. h. — *utque quam* E v a s. — *Iter* (c d ?) E v a u s.)(a b collR. f g h ang. i k l. — *quot* b f. *quot*, spl. *d* collR.

20. *Omnis* a. *omneis* E s. *omnes* reliqui. — *celas* g. *cœlat* E v a u. — *constitutu erat* f. — *spacium fere* g h. — *fimo* a b. — *aluta* f l.

Conveniunt duces: quærere, quid opus sit facto. Intelligebant omnes, tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quam Antigonus affuturus videbatur. 2. Hic omnibus titubantibus et de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere et imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expedi- 5 turum. Nam quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio retardaretur: quare circumirent, suas quisque contraheret copias. 3. Ad Antigoni autem refrenandum impetum tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obvii erant itineri adversariorum, hisque præ- 10 cepit, ut prima nocte, quam latissime possint, ignis faciant quam maximos, atque hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant: 4. et assimulata castrorum consuetudine suspicionem iniciant hostibus, his locis esse castra ac de eorum adventu esse prænuntiatum; itemque postera nocte faciant. 5. Quibus imperatum erat, 15 diligenter præceptum curant. Antigonus, tenebris obortis, ignis conspicatur: credit, de suo adventu esse auditum et adversarios illuc suas contraxisse copias. 6. Mutat consilium, et, quoniam imprudentem adoriri non posset, flectit iter suum et illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit, ibique diem unum operitur ad lassi- 20 tudinem sedandam militum ac reficienda iumenta, quo integriore exercitu decerneret.

1. *Quærere* b d f g h i k. *quæritur* spl. d, (cl?) Evaus. *qr* a. — *opus est* f. — *Intellegebant* d. — *copias eorum* f. — *afuturus* g. — *summis rebus* Eu. - *adhibere velint* f.

5. *Imparata* Eu. *impetrata* h. — *Nanque d.* f. *Nam quot d.* ikl. — *.V.* i. — *posse* f. — *circuirent* l. — *suasque quisque* cEvaus.)(abdfghik l, Magius. — *copias contraheret* cEvau.)(ab collR. fgh ang. iklEs. — *Antigonum*, spl. *i* i. *Antigonum* f. — *referendum* cEv. — *consilium fidos certos mittit* k.

10. *Obvii eant* (c) Evau. *erant*, spl. *l'eant* i. *erat* h. — *præcipit* Lambinus. - *possent* f. — *ignis* abghl Eva. *igneis* Eus. *ignes* reliqui. — *hos secunda....castrorum* om. f. — *tercia* gh. *terrà* a. — *similitudine susp.* f. — *assimilata* b. — *iniciant* abf. *iniiciant* reliqui. — *de orum* g. — *esse* om. c dl? *fuisse* Eu. — *pernuntiatum* ci.

15. *Itemque* abfEu. *idem* k. *idemque* reliqui. — *postea* f. — *facient* Ea. — *erat* om. Ev. *erant* f. *erat imperatum* gh. — *curavit* gh. — *abortis* f. — *ignis* abghilEva. *igneis* Eus. *ignes* reliqui. — *suspicatur* f. — *traxisse* l. — *imprudenteis* Lambinus. — *iter suum*, in marg. *Superesse videtur suum* Eu. — *infractum* g.

20. *Operitur* afEu. *operiretur* k. *opperitur* reliqui.

X. 1. Hic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio celeritatemque impedivit eius; neque tamen multum profecit. 2. Nam invidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque Macedonum veteranorum, cum superior prœlio discessisset, Antigono est deditus, cum exer-
5 citus ei ter ante separatis temporibus iurasset, se eum defensurum nec umquam deserturum. Sed tanta fuit non nullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quam eum non perdere. 3. Atque hunc Antigonus, cum ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum, quod ab nullo se plus adiuvari posse
10 intelligebat in his rebus, quas impendere iam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus iam valentes, cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum. 4. Sed non passi sunt hi, qui circa erant: quod videbant, Eumene recepto, omnis præ illo parvi futuros. Ipse autem Antigonus adeo erat in-
15 census, ut nisi magna spe maximarum rerum leniri non posset.

XI. 1. Itaque cum eum in custodiam dedisset, et præfectus custodum quæsisset, quem ad modum servari vellet? *ut acerrimum*, inquit, *leonem aut ferocissimum elephantum*. Nondum enim statuerat, conservaret eum, nec ne. 2. Veniebat autem ad Eumenem utrum-
20 que genus hominum: et qui propter odium fructum oculis ex eius casu capere vellent, et qui propter veterem amicitiam colloqui consolarique cuperent; multi etiam, qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tam diu tamque valde timuissent, cuius in pernicie positam spem habuissent victoriæ. 3. At Eumenes,

1. *Sic Eumenes* Heusinger. — *consilio* om. schott. — *nec tamen* f. — *perfidiaque militum Maced.* cEva. — *prœlio* om. gh. — *dicessisset* a. — *Antigoni* f.

5. *Eius t. a. seperatis* f. — *neque unquam* ghik. — *Si tanta* g. — *fuit* om. ikl. — *non enim ullorum* f. — *ammittere* a. — *mallet* f. *nollent* c. — *prodere* cghEva. *Al. prodere* in marg. Eu. — *Atqui hunc* Eu. — *a nullo* bi. — *plus se* f. — *posse adiuvari* i.

10. *Intelligat* Ea. *intellegebat* d. — *in iis* dEs, Lambinus. — *Imminebat* dEv. *eminebat* f. — *Sceleuchus* ab. *Sceleucus* f. — *Lisimachus* ab. *Lysimacus* fh. — *Ptolomæus* cgk. *Pthelomæus* abdf. — *sunt hii* a. *sunt ii* dEs, Lambinus. — *quia vid.* f. — *Eumenem* g. — *omnis* aghEva. *omneis* Eus. *omnes* reliqui. — *pro illo* ch.

15. *Nisi* om. f. — *et* om. Ev. — *quesisse* f. — *velet* g. — *accerrimum* a. — *leonem inquit* il. — *aut ut fer.* Es (a Lambino). — *ferocissimam* gh. — *elefantum* k. — *Nundum* c. — *servaret* mon. gh ang. ikl. *servare* f. *conservare* Eva.)(ab collR. cdEus. — *utriusque* l.

20. *Per odium* ikl. — *fructuum* f. — *eius causa* h. — *diu valdeque* c. — *tenuissent* g. *pernitie* af. — *perniciem spem hab. positam* h.

cum diutius in vinclis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiæ, se mirari, quare iam tertium diem sic teneretur: non enim hoc convenire Antigoni prudentiæ, ut sic deuteretur victo; quin aut interfici, aut missum fieri iuberet. 4. Hic cum ferocius Onomarcho loqui videretur, *quid? tu,* inquit, *animo si isto eras, cur non in prœlio cecidisti potius, quam in potestatem inimici venires?* 5. Huic Eumenes, *utinam quidem istud evenisset! sed eo non accidit, quod numquam cum fortiore sum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. Non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi.* Neque id falsum. Nam et dignitate fuit honesta, et viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quam figura venusta.

XII. 1. De hoc Antigonus cum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hic cum omnes primo perturbati admirarentur, non iam de eo sumptum esse supplicium, a quo tot annos adeo essent male habiti, ut sæpe ad desperationem forent adducti, quique maximos duces interfecisset; 2. denique in quo uno esset tantum, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent, interfecto, nihil habituri negotii essent: postremo, si illi redderet salutem, quærebant, quibus amicis esset usurus? sese enim cum Eumene apud eum non futuros. 3. Hic, cognita consilii voluntate, tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. Tum autem, cum iam vereretur, nequa seditio exercitus oriretur,

1. *Vinclis* a b g h. *vinculis* reliqui. -- *esset in vinculis* i. -- *aut On.* f. -- *Onomarco* b d. *Honomarco* c f. -- *imp esset cust.* i. -- *mirari quod iam* h. -- *tercium* a. -- *sic tertium diem* g h. -- *hoc* om. E u. -- *conveniri* f. -- *prudentiæ* om. h. -- *denteretur* l. *sic se uteretur* Lambinus. -- *victo...iuberet* om. f. -- *quando aut* k. *cum aut* E v a.

5. *Ferotius* a g. -- *Onomarco* b. *Honomarcho* f. -- *loqui* om. f. -- *in* om. E v a. -- *occidisti* h. *alii concidisti*, in marg. g. *concidisti* k l. -- *potius* om. f. -- *in potestatem* om. h. -- *evenisset, inquit, sed* Lambinus. -- *non eo* k. -- *quia nunquam* f. -- *quodam* (l?). -- *his* g. *his* f E v a. -- *michi* b.

10. *Perfidia amicorum* h. -- *id erat falsum. Iam et* E u. -- *firmis* a E u, Aldus. *firmus* reliqui. -- *rettulit* E v a. -- *Hoc cum* f mon. g h i k l. -- *omnes* om. i k l. *omnes vel primo* E v a. -- *primum* g h. -- *ammirarentur* a.

15. *Adeo* om. f. -- *male essent* f. -- *quique tot maximos* E u. -- *esse tamen tantum* k. *tantum esset* a. -- *quo ad* fi. -- *ipsi* om. f. -- *negotio* i.

20. *Quibus amicitia* l. -- *enim apud Eumenem futuros* k. -- *non futuros apud eum* f. -- *ad VII. diem* i. -- *deliberando* f g h i k l. -- *sibi* om. f. -- *Tu autem* k. -- *iam* om. E v a. -- *vereretur* f. *uteretur* (l?).

vetuit quenquam ad eum admitti, et cotidianum victum removeri iussit. Nam negabat, se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. 4. Hic tamen non amplius quam triduum fame fatigatus, cum castra moverentur, insciente Antigono iugulatus est a custodibus.

5 XIII. 1. Sic Eumenes annorum .V. et .XL., cum ab anno vicesimo, uti supra ostendimus, .VII. annos Philippo apparuisset, .XIII. apud Alexandrum eundem locum obtinuisset, in his unum equitum alæ præfuisset, post autem Alexandri Magni mortem imperator exercitus duxisset, summosque duces partim repulisset partim interfecisset, captus non Antigoni virtute, sed Macedonum
10 periurio, talem habuit exitum vitæ. 2. In quo quanta omnium fuerit opinio eorum, qui post Alexandrum Magnum reges sunt appellati, ex hoc facillime potest iudicari, quod nemo Eumene vivo rex appellatus est, sed præfectus; 3. eidem post huius occasum
15 statim regium ornatum nomenque sumpserunt, neque, quod initio prædicarant, se Alexandri liberis regnum servare, præstare voluerunt, et, uno propugnatore sublato, quid sentirent, aperuerunt. Huius sceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, Lysimachus, Cassandrus. 4. Antigonus autem Eumenem mortuum pro-

1. *Quenquam ad eum* a b collR. c f g h ang. i k E u, *ad eum quenquam* reliqui. -- *admittit* E a. -- *cotidianum* a, *quotid.* reliqui. -- *moveri* c. *amoveri* collR. d E v a s. -- *allaturam* f. -- *tamen* om. i k l.

5. *.V.* a i. *quinque* reliqui. -- *.XL.* a b i, *quadraginta* reliqui. -- *vigesimo* b l E a. *.XX.* f i. -- *uti* a b collR. d g h ang. l. *ut* reliqui. -- *ostendimus* om. E v. -- *.VII.* a b i. *septem* reliqui. -- *Phillyppo* a. -- *paruisset* d? g h i k l E a u.)(a b c oxon. Magiani libri, f mon, E v s. -- *.XIII.* a b f. *tresdecim* collR. d g h ang. *et tredecim* E v a u. *tredecim* c i k l E s. -- *optinuisset* E v. -- *uni* f mon, g h i k l E v a u s.)(leid. a b c d. -- *equitum* om. l? -- *Magni* om. h. -- *reppulisset* b.

10. *Vitæ. De quo* Lambinus. -- *quanto* l. -- *omnium fuerit* a b. *omn. fuerit hominum opin. eorum* collR. *fuerit omnium hominum opinio* f mon. g h ang. i k l E s. *fuerit omnium opinio* (c d?) E v a u. -- *oppinio* f mon. -- *horum qui* f. -- *iudicare* f. -- *eidem post* a b f g h ang. i k l. *sed post* leid. *iidem post* collR. c d E v a u. -- *eius occasum* f.

15. *Regnum* g E v. -- *ornamentum* i. -- *quod ab initio* f. -- *prædicarant* a b E u s, Lambinus. *prædicarunt* reliqui. -- *servare, id præstare* Lambinus. -- *noluerunt* g h. -- *oppugnatore* i. -- *quin sentirent* a. -- *apperuerunt* d h l. *apparuerunt* f. -- *celeris* E a. -- *participes* schott., item d., qui tamen in marg. al. *principes* habet. -- *Antigonus* om. h i k l. *Antilogus* g. -- *Ptolomæus* g k. *Ptholomæus* a b f. -- *Seleuchus Ptolemæus* i. -- *Seleuchus* a b. *Seeleucus* f k. -- *Lysimacus* a g. *Lisimachus* b. *Lisimacus* f k. -- *Cassandrus* a b collR. f g h ang. k l E u. *Casander* E v a. *Cassander* reliq.

pinquis eius sepeliendum tradidit. Hi militari honestoque funere, comitante toto exercitu, humaverunt ossaque eius in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque eius deportanda curarunt.

1. *Sepelliendum* bk. *sepeliundum* Eu. — *Hii* a. *ei* Ev. — *honesto funere* ikl. — *hum. eiusque eius* f. — *Cappadocia* fghl. *Capadociam* k. — *curaverunt* f.

XIX.

PHOCION.

PHOCION, Atheniensis, etsi sæpe exercitibus præfuit summosque magistratus cepit, tamen multo eius notior integritas vitæ, quam rei militaris labor. Itaque huius memoria est nulla, illius autem magna fama: ex quo cognomine Bonus est appellatus. 2. Fuit enim perpetuo pauper, cum divitissimus esse posset propter frequentis delatos honores potestatesque summas, quæ ei a populo dabantur. 3. Hic cum a rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam: 4. his ille *si mei similes erunt, idem hic,* inquit, *agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.*

II. 1. Eidem cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium per-

1. *Phocyon* ik (semper). *Photion* sive *Photyon* g. -- *etsi psæpe* l. *et sæpe* f. -- *cœpit* hEa. -- *nocior* a. -- *notior est integritas* Eu. *integritas est vitæ* Eva. -- *magnam* i. -- *Benus* k. -- *Fuit autem p.* oxon.

5. *Divitissimus* gif. adEus. *diutissimus* k. *ditissimus* reliqui. - *posset esse* i. -- *frequentis* abghk. *frequenteis* Es. *frequentes* reliqui. -- *honores delatos* f. -- *summasque ei* f. -- *mandabantur* Lambinus. -- *Phyllippo* a. -- *ortarentur* f. -- *accipere*, spl. *t*, (ut sit *acciperet*) b. -- *ammoneret* a. *amonerent* f. *admoverent* k. -- *ipse is* f. -- *facile curaret* l.

10. *His eis si* f. -- *idem* om. Eu. -- *inquit hic* f. -- *qui meme ad* h. -- *illorum alli* g. -- *Idem cum* Schoppius. -- *octuagesimum* f. .LXXX.^m i.

15. *Provenisset* b. *permansisset* Lambinus. -- *pervenit in odium* ikl.

venit suorum civium. 2. Primo, quod cum Demade de urbe tradenda Antipatro consenserat; eiusque consilio Demosthenes cum ceteris, qui bene de re publica meriti existimabantur, populi scito in exilium erant expulsi. Neque in eo solum offenderat, quod
5 patriæ male consuluerat, sed etiam, quod amicitiæ fidem non præstiterat. 3. Namque auctus adiutusque a Demosthene eum, quem tenebat, adscenderat gradum, cum adversus Charetem eum subornaret: ab eodem in iudiciis, cum capitis causam diceret, defensus aliquotiens liberatus discesserat. Hunc non solum in periculis
10 non defendit, sed etiam prodidit. 4. Concidit autem maxime uno crimine, quod, cum apud eum summum esset imperium populi, et, Nicanorem, Cassandri præfectum, insidiari Piræo Atheniensium, a Dercylo moneretur, eidemque postularet, ut provideret, ne commeatibus civitas privaretur, huic, audiente populo, Phocion negavit
15 esse periculum, seque eius rei obsidem fore pollicitus est. 5. Neque ita multo post Nicanor Piræo est potitus. Ad quem recuperandum cum populus armatus concurrisset, ille non modo neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem præesse voluit. Sine quo Athenæ omnino esse non possunt.

20 III. 1. Erant eo tempore Athenis duæ factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatium. In hac erat Phocion et Demetrius Phalereus. Harum utraque Macedonum patrociniis ute-

1. *Suorum pervenit* f. -- *Primo quod eum D.* leid. Eu. *Primo quod D.* fk. *Primo D.* h. *Primo cum D.* reliqui. -- *Anthipatro* f. -- *tum cæteris* Eva. *cum exteris* f. -- *re .p.* bhEu. -- *mereri* cEva. -- *populi scito* gif. aEu. *scito populi* leid. *scito* c. *plebescito* b fkl. *plebiscito* reliqui. -- *exilio* fl. -- *erant depulsi* h. *erant missi et expulsi* leid. -- *Nec* f. -- *offenderant* f.

5. *Consuluerant* f. *consuleret* i. -- *etiam quo* Eu. -- *á Demostene* h. -- *adscenderat* a. *ascenderat* reliqui. -- *Carethem* aik. -- *eodem invidiis cum* f. -- *aliquoties* Eu. -- *in* om. h.

10. *Maxime autem ano* Eu. -- *uno crimine* om. k. -- *quod tum* i. *quia cum* dEs. *qui cum* Eva. *quod eum* h.)(ab collR. cfg ang. klEu. -- *Nycanorem* ah. *Hichanorem* f. -- *Pyreo* ab. *Pireo* cfgk. *Piræeo* Evus. -- *Dercylo* hgh. *clercylo* a. *Dercilo* c. *Darcylo* Eva. *Darcyllo* Eu. *Dercillo* fik. *Dercyllo* Es. -- *eidem post.* g. *idemque* Eu, Longolius. -- *ne a comm.* h. -- *comeatibus* af. -- *hinc audiente* Eva.

15. *Post* om. i. -- *Nycanor* ab. *Nichanor* fgk. -- *Pyreo* ab. *Pireo* fgk. *Piræeo* Evus (iidemque libri semper sic). -- *ne armatus* Eva. -- *Sine quo ....possunt* om. d? -- *omnino* om. h.

20. *Optimatium* abEu. *optimatum* reliqui. -- *Phocion ac D.* c. -- *Phalerius* fghik. *Phaleræus* Ea. -- *utraque præsidiis* (spl. *patrociniis*) *Macedonum* i. -- *nitebatur* Evs.

10 simulque aperire, se non fortunæ sed hominibus solere esse amicum. 6. Quæ cum faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. 7. Sed sensim is a non nullis optimatibus eius reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur. Ille autem
15 sui iudicii, potius quid se facere par esset intuebatur, quam quid alii laudaturi forent.

X. 1. Conversa subito fortuna est. Ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat propter intimam familiaritatem Ciceronis et Bruti. 2. Itaque ad adventum

13. optimatibus familiaribus eius.

1. *Fugientes* pat. h. -- *indiguerint* pat. -- *Volunnio* mon. *Volunio* E r. -- *quum* h. -- *destineretur* mon. h. *detineretur* c. *distineretur* collR. d e E s.)(a b urb. ott. alex. pat. E v c. -- *magisque* mon.

5. *Stiterit* gif. a. *steterit* savar. E s. *præstiterit* b collR. reliqui. -- *validimonium* E r. -- *Attico qui sponsor* E c. *Attico ut sponsor* E r. *Attico hic sponsor* E s (a Lambino). -- *Quid etiam* a. *Quod etiam* d E r. -- *sec. fort. fundum* collR. -- *fundum* om. leid. -- *secunda fortuna* om. d schott. E c. -- *emisisset* pat. -- *nec* h. -- *versuram* a urb. ott. alex. E c s. *vorsuram* b. *usuram* reliq. -- *pecuniam quæ sine* h. -- *fænore* h E r v s. *fædere* mon. -- *sine fenore pecuniam sineque* pat. -- *sine ulla* h E r. -- *stip. ei credidit* Lambinus.

10. *In opinionem temporis* c. — *existimare poterat* pat. -- *Nemini enim in opinionem* a collR. e h E v s. *Neminis* schott. E r. *enim* om. mon. *in* om. c d schott. E r. *opinione* b urb. ott. alex. pat. mon. E c. *opinioni* c d schott. E r. -- *reum* mon. -- *sensum* e. -- *is* om. h. *his* mon. -- *opinatibus* E r. -- *eius* om. (b c alex.) h E r s. *eius* ott. *eius optimatibus* pat.)(a collR. d e schott. urb. mon. E v c. *eius rei repr.* Ernstius. -- *repræhendebatur* E r c. --

15. *Suo iudicio* h. -- *quod se* ott. alex. E r. -- *essent* E c. -- *alieni* E r. *cæteri* h. -- *laudaturi* om. E r. -- *foret* E r. -- *subito* om. leid. E v. *fortuna subito* mon. -- *impericulo* mon. -- *in* om. e schott. -- *Athicum* b. *Acticum* E c. *Aticum* E r. -- *Atticum futurum put.* (c d?) Lambinus. -- *putaret* pat. E s. -- *nimiam* urb. ott. alex. pat.

imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem, latebatque apud .P. Volumnium, cui, ut ostendimus, paulo ante opem tulerat: (tanta varietas his temporibus fuit fortunæ, ut modo hi modo illi in summo essent aut fastigio aut periculo) habebatque secum .Q. Gellium Canum, æqualem simillimumque sui. 3. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in ludo cognorat, adeo coniuncte vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. 4. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus eius amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere, multis hortantibus, tamen Attici memor fuit officii, et ei, cum requisisset, ubi nam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimque ad se veniret: se eum et illius Canum de proscriptorum numero exemisse. Ac, ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, præsidium ei misit. 5. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei, quem karissimum habebat, præsidio fuit. Neque enim suæ solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed coniuncti: ut appareret nullam seiunctam sibi ab eo velle fortunam. 6. Quod si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat: cur non singularis eius existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

12. 13. illius causa Canum.

1. *Timens proscript.* om. h. -- *P.* om. pat. -- *Volunnium* mon. -- *quoi* h. -- *fuit his temp.* h. -- *iis temp.* schott. E c s. -- *hii* a urb. ott. alex. *ii* d. -- *Quinctum* schott. *Qu.* E v s.

5. *Gelium* pat. mon. h E v. *Gelum* c d. *Sellium* e. -- *Cavum* mon. *Canem* h. *Canium* c d e E c s. -- *suique simillimum* h. - *puer* e. -- *cognorat* a b urb. mon. h E v. *cognoverat* reliqui. -- *con iucte* a urb. -- *extr. usque ætatem* h. -- *amicitiam* mon. --- *hodio ferreb.* mon. -- *eis sed* e. -- *omnibus* om. b urb. ott. alex. pat. mon. h. *omnibus etiam* collR. E c.)(gif. a c d e E r v s. -- *suis amicis* c E v.

10. *Officii memor fuit* pat. -- *ut ei* mon. E v. -- *reliquisset ut nam* mon. -- *statim ad* pat. — *et illius. Ac ne* (mediis om.) ott. -- *et illius Canum de* gif. ab urb. alex. pat. h. *et illius causa Caum de* mon. *eum et Gellium Canium* collR. par5826. par5831. par 5837. par8534. c d e E r v c s, nisi quod *et* om. par5831. E r, *Galium* e. *Gelium* collR. par5837. E v, *Canum* par 5826. par5831. par8534. E r v habent. -- *exemisset at* c. -- *quod in periculum* e? Lambinus. -- *et misit* e. -- *Sit* mon.

15. *Sed et ei* E r. -- *karissimum* a. *cariss.* reliqui. -- *habet* ott. alex., spl. *ba* ott. -- *præsidium*, spl. *vel præsidio* gif. -- *enim* om. c. -- *coniuncti* gif. a schott. *convicti* E r. *coniunctum* ott. alex. *coniunctim* reliqui. -- *apparerent* a alex. *apparerent* urb. ott. -- *seiunctum* h. *se iunctum* mon. -- *velle esse fortunam* Lambinus. -- *hyeme* a. -- *scopulo* mon. *scrupuloso* alex. pat. -- *quur* h.

20. *Eius videtur prud.* pat. -- *tot tantisque gr.* mon. E v. -- *civilibus* om. pat. -- *incol. evasit* h.

XI. 1. Quibus ex malis ut se emerserit, nihil aliud egit, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Cum proscriptos præmiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epyrum venit, cui res ulla defuerit. Nemini non ibi perpetuo manendi
5 potestas facta est; 2. quin etiam post prœlium Philippense interitumque .C. Cassii et .M. Bruti .L. Iulium Mocillam prætorium, et filium eius, Aulumque Torquatum ceterosque pari fortuna perculsos, instituerit tueri atque ex Epyro his omnia Samothraciam supportari iusserit. 3. Difficile est omnia persequi, et non necessaria.
10 Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam neque callidam fuisse. 4. Id ex ipsis rebus ac temporibus iudicari potest, quod non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem eius quam florentem coluerit. 5. Sic liberalitate utens
15 nullas inimicitias gessit: quod neque lædebat quemquam neque, siquam iniuriam acceperat, non malebat oblivisci quam ulcisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia; quæ autem

1. emersit. 3. Epirum. 8. Epiro. 14. florente.

1. *Qui ex* schott. -- *ex rebus ut* h. -- *ut sæpe em.* E r. -- *emerserit* gif. a c e ott. alex. pat. E r c s. *emersit* collR. d, Lambinus. *emerserat* b urb. schott. mon. h E v. -- *auxilio esset* mon. -- *Quem* h. -- *imperatoris* d? e schott. E r. -- *Epyrum* a b urb. *Epyrrhum* h. *Epirhum* E r. *Epirrum* mon. *Epirum* reliqui. -- *venit* om. pat. -- *quoi* h. *cuius* mon. -- *re* E r. -- *nulla* c. -- *defuerit ulla* mon.

5. *Potestas fuit quin* h. -- *quin* ott. *Qui* (b) SBosius. -- *Phillippense* a. *Philipensem* E r. -- *Casii* h. *Cassi* mon. -- *.L.* om. E c. -- *uilium* E c. -- *Monillam* pat. *Motacillam* I A Bosius. -- *prætorem* h E c, spl. *ium* h. -- *filium eius* a b urb. ott. alex. pat. mon. h E v. *eius filium* collR. reliqui. -- *.A. que* h. -- *percussos* e. -- *instituit* d? Lambinus. *instituerunt* e. -- *Epyro* a b urb. ott. E r c. *Epyrrho* h. *Epirro* mon. *Epiro* reliqui. -- *his* om. mon. -- *omnibus* c d? Lambinus. -- *Samotraciam* E r c. -- *subportari* b. *importari* h. -- *iussit* (de?) Lambinus. -- *Diff. enim est* E v. -- *prosequi* d mon. E v. -- *necessaria*, *a* posteriore ita correcto, ut possit videri ū urb. *necessarium* Longolius.

10. *Neque tempor.* om. E r. *nec trapaciam nec* h. *temporatiam*, spl. *r* urb. *temperantiam* ott. alex. -- *non modo flor.* ott. alex. -- *vendicavit* c urb. ott. alex. pat. mon. h E r v. *vindicavit* E c. *vendicarat* schott.)(a b d e E s. -- *semper* om. h. -- *subcurrit* h. *succurrerit* E s. -- *qua flor.* E c. -- *florente* collR. c e schott. E r c s.)(a b d urb. ott. alex. pat. mon. h E v. -- *libertate* c.

15. *Quod non led.* h. *quod non debebat* mon. -- *nec* mon. h. -- *accæperat* E v. -- *non* om. pat. mon. E r. -- *mallebat* schott. -- *ulcisci quam oblivisci* collR. schott. E c s. *oblivisci quam* om. E r.)(leid. a, reliqui. -- *inmortali* urb. mon. -- *percæpta* E v. *præcepta* c schott. E r. *accepta* pat. -- *tenebat* h.

ipse tribuerat, tam diu meminerat, quo ad ille gratus erat, qui acceperat. 6. Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: *Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus.* Neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse, finxit: qui cavit, nequa in re iure plecteretur.

XII. 1. His igitur rebus effecit, ut .M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate coniunctus adulescenti Cæsari, cum propter suam gratiam et Cæsaris potentiam nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum eius diligeret affinitatem præoptaretque equitis .R. filiam generosarum nuptiis. 2. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum) .M. Antonius, triumvir rei .p., cuius gratia cum augere possessiones posset suas, tantum affuit a cupiditate pecuniæ, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis. 3. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. Nam cum .L. Saufeii equitis .R., æqualis sui, qui complures annos studio ductus philosophiæ habitabat, habebatque in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent consuetudine ea, qua tum res gerebantur: Attici labore atque industria factum est, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior,

5 10 15

11. afuit. 15. philosophiæ Athenis habitabat.

1. *Tribueret* h E r. -- *iamdiu* alex. -- *tamdiu ipse memin.* c. -- *accæperat* E v. -- *Itaque id* E s. -- *fæcit* E r. -- *quoique* h. -- *finguntur* E v. *fanguntur* mon. h. -- *fortuna* mon. h E v. -- *hominibus* om. collR. c d e E r c s. *omnibus* mon.)(gif. a b urb. ott. alex. pat. h E v. -- *Nec* E r. -- *ille prius* gif. E r. -- *fortuna* gif.? -- *ipsum* h. -- *iure* om. mon. h E v.

5. *Iis* b. -- *fecit* c. -- *Vipsanius* om. c. *Iupsanius* E r c. *Vispanius* pat. h. *Vespasianus* mon. -- *convinctus* E c. -- *et* om. pat. - *condicionis* h E s. -- *habere* E r. -- *dilegeret* schott. *diligeret* a mon. h E r v c. *deligeret* reliq. -- *peroptaretque* mon. h E v. -- *.R.* a urb. ott. alex. h E r. *.ro.* mon. *Romani* reliqui. -- *familiam* pat. -- *generosis* pat. *generosi filiam* h. *generosam* c mon. E r v s.)(a b collR. d e schott. urb. ott. alex. E c. -- *nuptus* E c.

10. *Est* om. mon. h. *enim est* E v. -- *cælari dum* E r. -- *.III. vir* h. -- *rei .p.* a b urb. pat. E r. *rei .pu.* h E v. *.r. p.* mon. *rei publicæ* reliqui. -- *reipub. constituendæ: cuius* Lambinus. -- *quoius* h. -- *cuius causa cum* pat. -- *posset possessiones* ott. alex. -- *tamen* E r. -- *affuit* a E s. *afuit* c d schott. *abfuit* reliqui. -- *in re nulla* mon. -- *sit* om. pat. -- *depræcandis* h E r v. *precandis* c. -- *aut in commodis* mon. *aut commodis* h. -- *sub ista* pat. *sub illa* c. -- *sub ipsam proscriptionem* Lambinus. -- *Saufei* E r c. *Saufrii* ott. alex. *Sauferii* mon. *Saufrio* c. -- *.R.* a urb. E r. *.ro.* mon. *Rom.* E s. *Romani* reliqui.

15. *Qui cum plures* pat. mon. h E v. -- *philosophiæ* om. d. -- *philosophiæ † habitabat*, in marg. *Athenis* mon. *philos. Athenis hab.* collR. c E c s.)(a b d c schott. urb. ott. alex. pat. h E r v. -- *Italiam* e. -- *pretiosas* om. e? *præciosas* h E r. *preciosas* a E v c. -- *res* om. c. *reges* mon. -- *est* om. c d e? -- *Sauf. f.* e. *eodem nuncio* h. -- *Saufeus* schott. E c. *Saufrius* c. *Sauferius* mon. -- *cercior* a. *clarior* collR. c d e schott. E r c, *al. certior* in marg. d.

se patrimonium amisisse et recuperasse. **4.** Idem .L. Iulium Calidium, quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse ætatem vere videor posse contendere, neque minus virum bonum optimisque artibus eruditum, quem post pro-
5 scriptionem equitum propter magnas eius Africanas possessiones in proscriptorum numerum a .P. Volumnio, præfecto fabrum Antonii, absentem relatum, expedivit. **5.** Quod in præsenti utrum ei laboriosius an gloriosius fuerit, difficile fuit iudicare: quod in eorum periculis, non secus absentes quam præsentes amicos Attico esse
10 curæ, cognitum est.

XIII. **1.** Neque vero ille vir bonus pater familias habitus est quam civis. Nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. Neque tamen non in primis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est. **2.** Nam domum habuit in
15 colle Quirinali Tamphilianam, ab avunculo hereditate relictam: cuius amœnitas non ædificio, sed silva constabat. Ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis quam sumptus habebat: in quo nihil commutavit, nisi siquid vetustate coactus est. **3.** Usus est familia, si utilitate iudicandum est, optima; si forma, vix me-

1. Item. 11. ille vir minus bonus.

1. *Amississe* a E r. -- *Idem .I. Iulium* ott. *Idem batium Iulium* E v. -- *Calidum* E v. *Callidum* b urb. ott. alex. pat. mon. h.)(gif. a collR. c d e schott. E r c s. -- *quon* h. -- *post* om. E c. - *Lucrecii* a. -- *Catulique* c E c. -- *elegantissimumque p.* E v. -- *vere mihi videor* h. -- *nec* h. -- *optimusque* mon. -- *quem* om. E v.)(gif. a b collR. reliqui. -- *post* om. E r. -- *perscriptionem* c. *proscriptiones* c

5. *Equitum post propter* pat. -- *Affricanas* a urb. mon. h E r v c. -- *improscriptorum* mon. -- *numero* pat. h, spl. *um* h. -- *a* om. c E c. -- *Volunnio* urb. mon. -- *præ. fabrum* (sic) h. -- *habentem* h. -- *relatum* om. E r. -- *Quod impretratun ei* E r. -- *ei* om. c. -- *laboriosus* ott. -- *non* om. urb. -- *amicos abs. q. præs.* pat. *non solum præs. sed etiam abs. amicos* h. -- *esse* om. pat.

10. *Vere* schott. -- *Neque minus ille* E r. *vero minus ille* collR. e alex. E c s. *ille minus bonus* pat. *ille vir minus bonus* b h. *minus* in marg. urb.)(gif. a c d schott. ott. mon. E v. -- *est* om. c. -- *nemo ille* d. -- *fuit minus emax nimius* pat. -- *hedificator* urb. mon. -- *non* om. pat. -- *omnibusque rebus bonis usus* h. -- *optimus* mon.

15. *In valle* d e schott. E r c. *al. colle* in marg. d. -- *tam Philianam quam ab* h. *Tamphilarem* e. *Tamphilanam* E s (a Lambino). *Pamphilianam* E c.)(gif. a b c d schott. urb. ott. alex. pat. mon. E r v. -- *hæreditate* E v. -- *quoius* h. -- *hedificio* mon. -- *antiquis* e. -- *nichil* a b h. -- *commutavit* mon. *immutavit* h. -- *si quidem* E v. -- *esset* pat. -- *Usus .... iudicandum est* om. c. -- *Usus familia* pat. -- *nindicandum* alex.

diocri. Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi et plurimi librarii, ut ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset; pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, adprime boni. 4. Neque tamen horum quemquam, nisi domi natum domique factum, habuit: 5 quod est signum non solum continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci; et potius diligentia quam pretio parare, non mediocris est industriæ. 5. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omnisque diligentia munditiam, non affluentiam, 10 affectabat. Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. 6. Nec præteribo, quamquam non nullis leve visum iri putem: cum in primis lautus esset eques .R., et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus, non amplius quam terna milia æris, peræque in singulos menses, 15 ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum. 7. Atque hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpe enim propter familiaritatem domesticis rebus interfuimus.

XIV. 1. Nemo in convivio eius aliud acroama audivit, quam anagnostem: quod nos quidem iocundissimum arbitramur; neque 20

1. *Pueri* om. h. -- *Anaghnostæ* h. *anagostæ* a b ott. alex. -- *liberarii* E r. -- *pedissecus* E c. *pedisequus* (urb. ott.) E r s. -- *utrum horum* e schott. E r. -- *posset facere* h. -- *cœteri* mon. h E r v. (semper sic). -- *adprime* a schott. urb. h. *apprime* reliqui. -- *Nec* mon. h.

5. *Tam* mon. -- *quemquam horum* mon. -- *quemquam* om. urb. ott. alex. pat. -- *sed et dil.* pat. -- *Nam non* pat. -- *imperanter* a urb. e schott. *interperanter* mon.)(b collR. c d ott. alex. pat. h E r v c s. -- *pluribus* E v. -- *cont. diebus duci* mon. -- *potius* om. schott. E r. -- *prœtio* E c. *precio* a E v. *prœcio* mon. E r. -- *Ellegans* h. -- *splendidus et non* mon.

10. *Omnisq. diligentia* gif. (teste editione Manutii novissima a. 1582., cum in prioribus *omnique* expressum sit) *omnis diligentia* (sed *s* eraso) a. *omni diligentia* reliqui. -- *mũditā̃* E c. *mundiciam* a b urb. ott. alex. -- *affluebā* E c. *affluentam* ott. alex., spl. *i* ott. *affluentes* c. -- *Suppellex* a E r c. *Supplex* h. -- *S. non modica non* ott. alex. E r. *S. nec modica nec* pat. -- *in* om. alex. -- *patem* E r. -- *possit* pat. -- *Nec hoc præt.* Lambinus. -- *quamquam aliquibus leve* pat. -- *eques esset* pat. -- *.R.* a ott. alex. mon. E r. *.Ro.* b pat. E v s. *Romanus* rel. -- *in domum* Aldus 1513.

15. *Quam tria* mon. h E r. -- *millia* E s. -- *menses et ex* mon. -- *ephimeride* pat. -- *fere* b ott. alex. h. spl. *r* ott. *fore* e. -- *hoc* om. mon. h. -- *enim* om. E c. -- *eius* om. e. -- *aliquid* c. -- *ácraóma* h. *acroma* mon. *a Croma* E r. *aroma* pat. -- *vidit* pat.

20. *Anagostem* a b E r. *anaghnostem* h. *agonasten* e schott. *anagnosten* E c s. -- *quidem* om. pat. -- *iocondissimum* a. *iucundissimum* pat. E v s. -- *arbitrabamur* E s. -- *neque nunquam* e.

umquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, ut non minus animo quam ventre convivæ delectarentur. 2. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Cum tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ
5 consuetudine: tantaque usus est moderatione, ut neque in sextertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit, neque in sextertio centies affluentius vixerit, quam instituerat, parique fastigio steterit in utraque fortuna. 3. Nullos habuit ortos, nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italia,
10 præter Arretinum et Nomentanum, rusticum prædium: omnisque eius pecuniæ reditus constabat in Epyroticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, usum eum pecuniæ non magnitudine sed ratione metiri solitum.

XV. 1. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque
15 eius comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur an amarent. Quicquid rogabatur, religiose promittebat: quod non liberalis, sed levis arbitrabatur polliceri, quod præstare non posset. 2. Idem in nitendo, quod semel annuisset, tanta erat cura, ut non
20 mandatam, sed suam rem videretur agere. Numquam suscepti

10. Reatinum. 11. Epiroticis.

1. *Apud eum sine al. lect.* pat. -- *cenatum* a b E s. *cœnatum* E r c. -- *Nanque* h E r v (semper fere). -- *Quom* E r. -- *pecunia* e. -- *vitæ* om. mon.

5. *Usus eius mod.* urb. ott. alex., spl. *est* urb. -- *est de mod.* mon. -- *nec* h. -- *sextercio* a urb. *sextertio* b mon. h E c. *sestertio* alii. -- *vities* E c. -- *accœperat* E r v. -- *gessit* e. -- *nec* h. -- *sextercio* a urb. *sextertio* b mon. h E c. *sestertia* E v. *sestertio* alii. -- *centiens* mon. *certies* h. -- *quæ* E c. *qvvm* h. -- *fast. instituerat* mon. -- *habuerit* E v. -- *ortos* a b c urb. pat. mon. h E r c. *hortos* reliqui -- *nec* h. -- *ytalia* a. *italiam* mon.

10. *Arrentinum* gif. *Arretinum* d schott. urb. E r. *Aretinum* b ott. alex. pat. mon. h E v, item a, in quo tamen lineola supra *e* erasa est. *Arietinum* e. *Ardatinum* E c. *Ardeatinum* E s (ex edit. Romana 1490). -- *Momentanum* b h. -- *omnesque* mon. E r. *omneisque* E s. -- *reditus* a E s. *redditus* reliqui. -- *Epyroticis* a b urb. pat. E c. *Epyrotheis* E r. *Epyrrhoticis* h. *Epiroticis* reliqui. -- *et* om. c. -- *eum usum* h E v s. *eum usum* mon. -- *mer.ti* e. -- *solum* c. -- *nec* h. -- *nec* h.

15. *Sæveritate* E r. -- *nec* h. -- *facultate* mon. -- *eum* om. pat. *amici eum* mon. -- *venerentur* h. -- *quam amarent* de schott. h E r c s.)(ab collR. c urb. ott. alex. pat. mon. E v. -- *Quidquid* mon. *Quitquid* urb. -- *pollicetur* e. -- *annuisset* gif. leid. a d e pat. E r. *amisisset* urb. ott. alex. h E v. *admisisset* b collR. c mon. E c s. *al. admisisset* in marg. d.

20. *Mandatum* urb. pat. *mandata* E r. -- *Nusquam* E v. -- *suscæpti* E v.

negotii eum pertæsum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. 3. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis Marci, .Q. Hortensii, Auli Torquati, multorum præterea equitum .R. negotia procuraret. Ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio fugisse rei .p. procurationem. 5

XVI. 1. Humanitatis vero nullum afferre maius testimonium possum, quam quod adulescens idem seni Syllæ fuerit iocundissimus, senex adulescenti .M. Bruto; cum æqualibus autem suis .Q. Hortensio et .M. Cicerone sic vixerit, ut iudicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus. 2. Quamquam eum præcipue dilexit Cicero, 10 ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. 3. Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, undecim volumina epistolarum, ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multum desiderat historiam contextam eorum temporum. 15 4. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus rei .p. perscripta sunt, ut nihil in his non appareat,

3. Marci Catonis.

1. *Negocii* a h E v c. -- *eum* om. pat. -- *pertesum* a b mon. E r v c. *pertensum* h. -- *in eo agi* h. -- *qua nil* pat. -- *ut non Cic.* schott. -- *Ciceronem* schott. *Ciceronis* collR. mon. E c. *o. M. et Q. Ciceronum* E s (a Lambino). -- *Marci .Q.* gif. *Marci .q.* a. *Marcique* E r s. *M. que* e schott. E c. *M'que* collR. *Marci et* urb. ott. mon. E v. *Martii et* pat. *M. et* alex. *Marii et* h. *Catonis et Hort.*, spl. *M.*, ut sit *M. Catonis et Hort.* b. — *Auli Torquati* om. h. -- *multorum etiam eq.* pat. -- *.R.* a urb. ott. alex. *.Ro.* mon. E v s. *Romanorum* reliqui. -- *negocia* a h E v c.

5. *Inhertia* a. -- *iuditio fug. divino rei .p.* mon. *rei .p.* a b urb. ott. alex. mon. E v. *rei .pu.* h. *r. p.* E r. *reipublicæ* reliqui. -- *Humanitas* E r. -- *vero* om. urb. ott. alex. pat. -- *adferre* h. -- *testimonium maius* pat. -- *quod cum adolescens* E s. -- *Sillæ* urb. ott. alex. -- *fuerit Syllæ* h. -- *iucundissimus* E v c s. -- *Marco* E v. -- *Qu.* E v s. -- *et* om. h. -- *Cicerone se iunxerit* h. -- *iudicaret* e. *iudicari* E c. -- *facile sit* E r. -- *quoi* h.

10. *Dilexerit* mon. -- *quidem eius* monac. h E v. -- *.Q.* mon. h. *.A.* E v. *quantus* E r. -- *Et rei* mon. E v. *Eius rei* h. -- *inditio* b h. *indictio* E v. *iuditio* mon. -- *liberos* a E c. -- *in vulgus iam sunt* collR. c d e E r c s.)(a b urb. ott. alex. pat. mon. h E v. -- *æditi* E c. *editi sunt* h. — *sexdecim* E s (ab Aldo 1513.) *.XI.* alex. h. *undena* pat. -- *a* pat. -- *consolatu* a E r v. -- *ad Atticum* om. h.

15. *Desideret* collR. (ott. alex.) h E c s.)(a b c d e schott. urb. pat. mon. E v. *desyderat* E r. -- *hystoriam* E c. -- *illorum temp.* collR. c d e schott. E r c s.)(a b urb. ott. alex. pat. mon. h E v. -- *studiis suis princ.* alex. -- *pr. de vitiis* E s. *viciis* a urb. mon. E v. -- *vitiis ducum* om. h. -- *ducum, æmulationibus* E v. -- *rei .p.* a b urb. ott. alex. mon. h E r v s. *ro. po.* pat. *reipublicæ* reliqui. -- *scripta* e schott. E r. -- *in iis* d E r c s.

et facile existimari possit, prudentiam quodam modo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit, ut vates.

XVII. 1. De pietate autem Attici quid plura commemorem? 5 cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum .XC., cum .VII. et .LX., se numquam cum matre in gratiam redisse, numquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope æqualem habebat. 2. Quod est signum, aut nullam umquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in 10 suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. 3. Neque id fecit natura solum, quamquam omnes ei parēmus, sed etiam doctrina. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.

15 XVIII. 1. Moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. 2. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi .R., quæ non in eo suo tempore sit notata: et, quod difficillimum

1. *Et facile ...... divinationem* om. alex. — *quo modo* a schott. — *divinationem esse* monac. — *a solum* mon. — *se* om. mon. — *futura* om. h. — *non*, spl. *nunc* b. *non* urb. pat. mon. h. — *recinit* c. — *conmemorem* mon.

5. *Vere* om. pat. *vero* schott. — *audiverim* pat. h E r. — *.XC.* a b urb. ott. alex. pat. h. *nonaginta* reliqui. — *.VII.* a b urb. ott. alex. pat. E c. *septem* reliqui. — *.LX.* a b ott. alex. mon. *hc̄* urb. *hunc* pat. *letata* E o. *septuaginta* collR. *sexaginta* reliqui. Verba *annorum .... numquam* sic fideliter expressa sunt in a urb. E v; in reliquis vario modo correcta sunt: *haberet* post *.LX.* posuit ott., *cum* omiserunt e schott. E r, *cum .VII. et .LX.* omisit h, *esset* post *cum* interposuerunt b collR. c d alex. pat. E c s; idem factum in mon., sed *.XC.* omisso. — *rediisse* pat. E r c s. — *nonquam* mon. — *proprie* h. — *prope* *ætatem æqualem* E v. — *est in signum* E r. — *nullam nunquam* e. *aut nullam aut nunquam in eos* pat. — *intercess. inter eos querim.* h. — *hunc* om. E r. *tunc* pat. — *in* om. mon.

10. *Ei* h. — *nephas* pat. h. — *ei omnes* urb. pat. h. *ei omnis* ott. alex. — *sed et doctr.* mon. — *dottrina* urb. — *Nam principum* b urb. pat. mon. h. — *princip um* (erasa ante *u* littera) a. — *et principium et philos.* E v. — *ita præcepta habuit ut* mon. — *habuerat* E v. — *ut his .... habuit cognitam* om. urb. — *ut iis* b collR. d e schott. E r c s.)(a c ott. alex. pat. mon. h E v.

15. *Sumus* a. — *fuit immitator* h. — *antiquitatis amator* pat. — *voluminum* e. — *ordinavit* I G Vossius. — *nec* h. — *nec* h. — *nec* mon. h. — *populi R.* gif. pat. h E v s. *p. R.* a b urb. ott. alex. mon. E r e. *populo Ro.* Aldus 1513.

fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. 3. Fecit hoc idem separatim in aliis libris: ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeraverit, notans, qui a quoque ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset; 4. pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Æmiliorum. Quibus libris nihil potest esse dulcius his, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. 5. Attigit quoque poeticam: credimus, ne eius expers esset suavitatis. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, exposuit ita, 6. ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam unus liber, Græce confectus, de consulatu Ciceronis.

XIX. 1. Hactenus Attico vivo edita a nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur, et, quantum potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significavimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam. 2. Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus,

1. *Ex* om. h. — *claroum* Er. — *virorum* om. h. — *possumus* pat. — *cogere* Ec. — *seperatim* hEr. — *sep. ab aliis* mon. — *Bruti* om. mon. — *familia* Es. — *enumeravit* Bœclerus, itemque ed. Brixiana 1499., in qua tamen *ut* desideratur. — *a quo ortus* collR. cd Ecs.)(abe urb. ott. alex. pat. mon. hErv. · *ortus est quos* c.

5. *Quibusve* b. — *temporibus* om. mon. — *cœpisset* mon. hEv. — *Claudii Marcelli* pat. — *de* om. IA Bosius. — *Cornelii Fabii* h. — *Maximii* d. — *Maximi de Corneliorum et Fabiorum et Æm.* Es (a Lambino). — *Fabiorum Æmiliorum* d. — *Æmiliorum quoque: quibus* collR. cde schott. Ercs.)(a b urb. ott. alex. pat. mon. hEv. — *iis qui* deErcs.)(abc urb. ott. alex. pat. mon. hEv. — *aliam* eEr. — *noticiæ* ahErc. — *poeticæ*, spl. *l'am* a. *poeticam* collR. cdErc. *peticam* c· *poeticem* urb. mon. Ev. *poeticen* b ott. alex. pat. hEs. — *eius* om. schott. — *exspers* a. *experes* mon. — *exp. sit suav.* pat.

10. *Ro.* mon. Ev. — *p.* mon. — *posuit* pat. — *quinisve* (bd ott. alex. pat.) SBosius.)(a collR. ce urb. mon. hEvcs. *cumisque* Er. — *cr. est tantas* h. — *Est et unus* e. — *unus* om. collR. cdEcs.

15. *De* om. e. — *consolatu* mon. — *Actico* Ec. — *ædita* hEc. *edicta* (c adraso) a. *edita hæc a* collR. cdEcs.)(abe schott. urb. ott. alex. pat. mon. hErv. — *Nun* mon. *Hunc* pat. — *superstes* h. — *prosequemur* h. — *poterimus* schott. pat. hEc. — *ex. doctores doceb.* mon. — *sicut supra signif.* om. h. — *quoique* h. *plerunque* Erv.

20. *Fortunas* mon. — *æquestri* Ec.

in affinitatem pervenit imperatoris Divi filii: cum iam ante familiaritatem eius esset consecutus nulla alia re, quam elegantia vitæ, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliores. 3. (tanta enim prosperitas Cæsarum eum est consecuta,
5 ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit, et conciliarit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi.) 4. Nata est autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Cæsar, vix anniculam, Tib. Claudio Neroni, Drusilia nato, privigno suo, despondit: quæ coniunctio necessitudinem
10 eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

XX. 1. Quamvis ante hæc sponsalia non solum, cum ab urbe abesset, numquam ad suorum quemquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret, in primis quid legeret, quibusque in locis et quam diu esset moraturus: 2. sed etiam, cum esset in urbe et
15 propter suas infinitas occupationes minus sæpe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies temere intercesserit, quo non ad eum scriberet, cum modo aliquid de antiquitate ab eo requireret,

9. Drusilla.

1. *Divi filii* gif. abce schott. urb. ott. alex. pat. Ec. *duoi filii* Er. *divi Iulii* collR. d mon. hEv. *divi Iulii filii* Es (ex edit. Romana 1490). — *eius* om. pat. — *consequutus* Er. — *ellegantia* mon. h. — *quæ* e. — *ceperat* om. Er. *cœperat* hEv. *cæperat* mon — *humiliore* Ec. *humiliores anteibat. Tanta* Er. — *Cæsarum eum est* gif. a collR. d schott. Er. *Cæsarum causa est* e. *Cæsarum est cum* Ec. *Cæsarem eum est* c. *Cæsarem est* b urb. ott. alex. pat. hEvs. *Cæsaris est* mon. — *consequuta* Er. *secutus* e.

5. *Quoiquam* h. *cuique* mon. — *tulerit* Er. — *conciliaverit* pat. h. — *quod....consequi* om. Er. — *quod nemo adhuc civis* gif. leid. *quod civis* Ev. *quam civis* ab collR. reliqui. — *.ro.* pat. mon. Ev. — *est ante* pat. *autem est* Ev. — *autem A. n. est* h. — *quoi* h. — *filiam* om. pat. — *collocavit* mon. hEv. — *aniculam* Es. *amiculam* urb. ott. alex. pat. *amiclam* e. — *vix nubilem aviculam* mon. — *Tib.* om. e schott. Er. *Ti.* h. *.T.* Ev.)(ab urb. mon. *Tiberio* reliqui. — *.Cl.* h. — *Drusilia* abde mon. Ev. *Drusila* Ec. *Drusillæ* urb. pat., in marg. *la* urb. *Drusilla* reliqui. — *convinctio* Ec. *cognunctio* mon.

10. *Eorum* om. pat. — *sansit* d. — *familiaritudinem* Er. — *frequentiorem reddidit* pat. mon. — *Quanvis* Er. — *antehac* h. — *quum* h. *quia* e. — *esset* ae schott. Er, *ab* spl. a 2 manu a. — *a suorum* a. — *litteris* e. — *misit cum A.* c. — *morat. sed etiam cum esset* om. pat. — *sed et* Ev.

15. *Infinitas suas* gif. pat — *foueretur* ott. alex., spl. *r* ott. — *nulla* schott. — *tamen* e schott. Er. *tamen temere* collR. cdEc. — *intercessit* schott. Lambinus. *cesserit* Ec. — *scripserit* h. — *cum modo* leid. *quo modo* alex. *quo mo* a. *quo non* reliqui. — *aliud* h. — *requiesierit* h.

modo aliquam quæstionem poeticam ei proponeret, interdum iocans eius verbosioris eliceret epistolas. 3. Ex quo accidit, cum ædis Iovis Feretrii, in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret. 4. Neque vero a .M. Antonio minus absens litteris cole- 5 batur: adeo, ut accurate ille exul tum his terris, quid ageret, curæ sibi haberet certiorem facere Atticum. 5. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere usum benivolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, 10 quantam fuit incidere necesse inter Cæsarem atque Antonium, cum se uterque principem non solum urbis Romæ, sed orbis terrarum esse cuperet.

XXI. 1. Tali modo cum .VII. et .LXX. annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratia 15 fortunaque crevisset, (multas enim hereditates nulla alia re quam bonitate consecutus tantaque prosperitate usus est valetudinis, ut

6. ille ex ultumis terris.

1. ⁎ *aliquam* a. -- *ei quæst. poet.* collR. cdeErcs.)(ab urb. ott. alex. pat. mon. hEv. -- *petitam* e. -- *proposuerit* h. *preponeret* ott. alex. -- *verbosiores* omnes præter a. *verbosiores eius* h. -- *ellicuerit* h. *diceret* mon. -- *quum* hEs. -- *ædes* pat. mon. hEvs. -- *pheretrii* pat. -- *a Romulo* ott. alex. pat. hEr. -- *constitutæ* schott. -- *aque* urb. -- *in curia* Ec. -- *deiecta* pat. *tecta* e schott. Er. -- *prolaberentur* schott. E r c. *probarentur* e. -- *ammonitu* a urb. dErcs. *monitu* e.

5. *Neque uō bat M. Antonus* e. -- *Neque* om. pat. -- *vero* om. b urb. ott. alex. pat. mon. h. -- *ab .M.* collR. c schott. Ercs. -- *Marco* Ev. -- *colebantur* c. - *adcurate* h. -- *exul tum his t.* a e Evs. *exul tum iis* schott. *exultum iis* Er. *exul cum his* urb. ott. alex. pat. mon. h. *exul cum his*, spl. *in* h. *exul cum litteris* collR. *exul eum litteris* cdEc. *ex ultimis terris* Manutius 1544 -- *ageret* om. mon. -- *quid ageret, quid curæ* collR. cdEcs.)(abe schott. urb. ott. alex. pat. mon. hErv. -- *faceret* cdEcs.)(ab schott. urb. ott. alex. pat. mon. hErv. -- *sit* om. mon. -- *extimabit* h. -- *is* om. pat. -- *benivulentiamque* urb *benivolentiam quæ* h. -- *intra* E r. *in* E c.

10. *Æmula* h. -- *tanta* om. pat. -- *intercedat* h. -- *quanta* mon. Er. -- *invidere fuit* pat. *intercedere* Manutius 1544. -- *Cæs. et Ant.* pat. h. -- *utraquea*. *utrique* Er. -- *Romanæ* (ott. alex.) Erv. *.ro.* (i. e. *romanæ*) mon. -- *sed etiam orbis* h. -- *Tali* ⁎ a. -- *.VII.* a urb. ott. alex. hEcs. *septem* reliqui. -- *.LXX.* ab urb. ott. alex. hEcs. *sexaginta* e schott. Er. *septuaginta* reliqui.

15. *Hæreditates* Evc. -- *bonitate est consecutus* Es (a Lambino). -- *consequutus* Er. -- *consecutus nunquam prosp.* c. -- *est* om. Ec. *esset* Es (a Lambino). -- *valitudinis* b alex. pat. h Ervc.

annis .XXX. medicina non indiguisset) 2. nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contempserunt. Nam putarunt esse tenesmon, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. 3. In hoc cum tres menses sine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione
5 capiebat, consumpsisset: subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulæ puris eruperint. 4. Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se accersi iussit, et cum eo L. Cornelium Balbum Sex.que Peduceum.
10 5. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus ***quantam*****, inquit,** ***curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, ut spero, satis feci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam.***
15 Id vos ignorare nolui. **6.** ***Nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus quicquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto, ut consilium probetis meum, deinde, ne frustra dehortando impedire conemini.***

1. *Annos* schott. Lambinus. -- *.XXX.* a schott. alex. pat. h E v. *triginta* reliqui. -- *indiguerit* pat. -- *tenesmon* gif. a mon. h E s. *thenesmon* b. *tesmon* urb. *tenesmoti* ott. alex. *tenasmon* c d e schott. E r v c. *thenasmon* pat. - *putar̄* E c. -- *quoi* h. -- *præponebantur* alex. E v. -- *quum* h. *quom* E r. -- *treis* E s. -- *ullus* mon.

5. *In imum* Ascensius. -- *fisule*, in marg. *fistula* pat. *fistula* e? Manutius 1544.)(gif. a b collR. reliqui. — *putris* collR. (ott. alex.) E v c. *prius*, in marg. *pus* pat. *pus*, *putres*, *poris* inter versus schott.)(gif. a b c d e schott. urb. mon. h E r s. -- *erumperent* collR. d pat. E r c s, item inter versus schott. *erumperet* e schott., in marg. pat. *eruperit* gif.? c E v.)(a b urb. ott. alex. mon. h. -- *accederet* E v. -- *adcrescere* h. -- *febremque* Lambinus. -- *adcessisse* h. -- *accersi* gif. a b collR. c schott. urb. mon. E r. *arcessi* d. *arcersi* E s. *accersi*, spl. *ri* ott. *accersiri* alex. pat. E v c. *adcersiri* h. *arcessiri* c. -- *Sex.que* a E r. *Sextumque* reliqui. — *Peduteum* h. *Peducæum* E s.

10. *Nixus* E s (ex edit. Veneta 1499). — *curam et diligentiam in* E r. — *valitudine* b alex. pat. h E v c. -- *nos* d e. -- *nichil* a b h. -- *nihil opus est* E v. -- *est* om. b c urb. ott. alex. mon. h. -- *pluribus verbis* om. h. -- *satis feci*, *nihilque reliqui feci*, *quod* Lambinus. — *fæcisse* E r. — *est et* c. -- *michi* b pat.

15. *Nos i. volui* E c. -- *michi* b. -- *morbum et desinere* pat. -- *Nam his* mon. h. -- *diebus quicquam* mon. *diebus quibus quicquam* h. -- *cimbi* h. -- *cibi potionisque sumpsi* d? e schott. par5831. par8534. E r. -- *Quare* om. ott. alex. -- *impedire* om. omnes præter gif. leid.

XXII. 1. Hac oratione habita tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita sed ex domo in domum videretur migrare, 2. cum quidem Agrippa eum flens atque osculans oraret atque obsecraret, ne, ad id quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, et, quoniam tum quoque 5 posset temporibus superesse, se sibi suisque reservaret, preces eius taciturna sua obstinatione depressit. 3. Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit leviorque morbus esse cœpit. Tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto post quam id consilium inierat, pridie Kl' Aprilis .Cn. Domitio .C. Sosio 10 consulibus decessit. 4. Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est iuxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento .Q. Cæcilii, avunculi sui.

1. *Constancia* E c. -- *const. oris atque* h. -- *et non* c. -- *quumque eum Agrippa flens* h. -- *obseulans* b. -- *flens atque obsecrans oraret ne ad* mon. -- *orare atque obsecrare* pat. -- *ad* om. Lambinus. -- *cogerat* E s. *coegerat* E r. -- *sibi* om. I A Bosius. -- *adcelerarct* h. *accellerarct* E c.

5. Lacunam hic habent a b ott., eamque dimidii versus. Reliqui *accelerarct et quoniam* continuant. — *cum quoque* mon. — *præces* h E r. — *depræssit* E r. *repressit* pat. *repræssit* h. *compressit* Lambinus. -- *febri* E r. -- *leviorque ... decessit* om. e schott. E r. -- *moribus* d. -- *prepositum* ott. -- *nichilo* a b. -- *setius* a. *secus* d. *segnius* pat. - *Itaque dequinto* mon. -- *.V.* h.

10. *Inierit* h. -- *Kl'* a b urb. ott. alex. h E c. *Kll'* mon. *Kal.* E s. *Kalendas* E v. *Calendas* reliqui. -- *Aprilium* h. *Aprileis* E s. *Apriles* pat. *April.* d. X a b urb. ott. alex. mon. E v c. -- *gn.* E c. *in* d. -- *Domicio* mon. E v c. -- *Socio* mon. -- *cons.* mon. *cons.* h. *Coss.* E s. -- *Ellatus* h. -- *iusta* urb. ott. -- *Apiam* a urb. ott. mon., spl. *p* ott. *ppiam ad Aquintum* E r. -- *.V.* h. -- *monimento* h. -- *Qu.* E s. *Quinti* E v. -- *sui* om. h.

EXPLICIT a. *FINIS* E v. *Emylius probus de illustribus ducibus exterarum gentium explicit* collR., in quo libro scilicet Attici vita postremo loco posita est. *Explicit Vita Attici: incipit Vita Catonis* Mediolanensis prior et Gaddianus.

EXCERPTUM E LIBRO CORNELII NEPOTIS DE LATINIS HISTORICIS.

II. VITA CATONIS.

M. Cato, ortus municipio Tusculo, adulescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Inde hortatu .L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut .M. Perpenna
5 censorinus narrare solitus est, Romam demigravit in foroque esse cœpit. 2. Primum stipendium meruit annorum decem septemque .Q. Fabio .M. Claudio consulibus. Tribunus militum in Sicilia

5. censorius.

Excerptum e libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis. Sic codex Guelferbytanus. *Ex libro historiarum Latinarum Cornelii Nepotis Catonis maioris vitæ brevis descriptio* codex collegii Romani. Brevius ceteri libri, qui Catonis vitam suo loco non moverunt. *Ex eodem vita Catonis* Sangallensis, Urbinas, Fæsulanus. *Vita Catonis ex eodem libro* Gaddianus. *Vita Catonis Censorini ex eodem* Patavinus. *Vita Catonis* Parisinus 5826, Medicei 63,30 et 67,25. In aliis vel libri, unde excerpta vita est, intercidit memoria, ut: *Vita Catonis Maioris per Cornelium Nepotem* editio Fanensis, vel adeo scriptoris nomen: *Catonis vita incipit fæ.* Hænelianus. *Catonis* [vita] Marcianus prior; *Catonis vita ex Æmilio Probo* Harleianus 2580. *M. P. Cato, ex libro secundo Æmilii Probi, seu Cornelii Nepotis* editio Savaronis, Lambinum sequentis. Omni indice carent codex Monacensis et editio Corneriana. Reliquorum codicum, Vossiani primi et tertii (nam secundum mitto, in quo recens aliqua manus Catonis vitam ex editione Corneriana descripsit) Leidensis alterius, Schottiani, Uffenbachiani, Oxoniensis qui sint indices, traditum non reperi.

---

1. *M. Cato* a. Reliqui prænomen omittunt. *Catho* c. *Ato* E f. -- *ortus est mun.* pat. -- *Tusculano* mediceus 67,25. *Thusculo* pat. -- *quia ibi* h. *qui ibi* mon. -- *hæredium* E f. *prædium* venetus Magii f mon. h. -- *Inde* om. c E c.)(a b collR. d schott. urb. fæs. pat. ox. f mon. h med. E f s. -- *Flacci Valereii* pat. -- *Vallerii* mon. h. -- *Perperna* Lambinus.

5. *Censorinus* a b collR. c urb. fæs. pat. E c s. *censorionus* mon. *consobrinus* d? e schott. f h med. E f. *censorius* Magius. -- *Roma* fæs. -- *demigrarat* mon. -- *cepit* a b pat. f E c. -- *.XVII.* h. -- *.Qu.* E c. *.C. Fabio* f. *.A. Fabio* urb. fæs. pat. -- *Fabio Maximo, Claudio* d h. *Fabio Maximo, M. Claudio* E c.)(a b collR. c urb. fæs. pat. f mon. med. E f s. -- *Claudio Marcello Coss.* Lamb. -- *cons.* mon. *conss.* f. *coss.* pat. E s. -- *mil.* f. -- *in* om. mon. -- *Scicilia* a f.

fuit. Inde ut rediit, castra secutus est .P. Claudii Neronis, magnique opera eius existimata est in prœlio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. 3. Quæstor obtigit .P. Africano consuli, cum quo non pro sortis necessitudine vixit: namque ab eo perpetua dissensit vita. Ædilis plebi factus est cum .C. Helvio. 5
4. Prætor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quæstor superiore tempore ex Africa decedens .Q. Ennium poetam deduxerat: quod non minoris existimamus, quam quemlibet amplissimum Sardinensem triumphum.

II. 1. Consulatum gessit cum .L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. 2. Ibi cum diutius moraretur, .P. Scipio Africanus consul iterum, cuius in priori consulatu quæstor fuerat, voluit eum de provincia depellere et ipse ei succedere. Neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret: 15 quod tum non potentia, sed iure res .p. administrabatur. Qua ex re iratus senatu peracto, privatus in urbe mansit. 3. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe præfuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit et multas res novas in edictum

17. senatu, consulatu peracto.

1. *C. Claudii* Lambinus. — *eius opera* (pat.) E s (a Lambino). — *æstimata do. est* Ef. — *apud Scenam f. a presenna* med. *a Porsenna* h. — *decidi* e. — *Hanibalis* urb. fæs. *Hannyblalis* mon. h. — *P. Cornelio Scipioni Africano* Lambinus. — *Affricano* a urb. mon. f. *Aphricano* pat. — *coss.* pat. — *necessitudinem* e. — *nanque* f h E c f.

5. *Ædis* e. — *plebi* a urb. e mon. *pl.* E s. *plebis* reliqui. — *Helino* med. *Helivo* E c. — *Preter* E c. — *ottinuit* mon. — *syperiori* f. — *Affrica* a urb. mon. f E c. — *decendens* urb. — *Q. eūium* mon. *Q. omnium* e. — *quem non* E f. — *exstimamus* a. *existimationis* mon. med. *æstimamus* E f, Magius. *quenlibet* E f. *quomodolibet* urb. fæs. pat. — *Sardinensem* a urb. fæs. mon. *Sardinensium* pat. *Sardiniensem* reliqui.

10. *Flaco* mon. — *nactus provinciam* pat. — *ex eaque* mon. h. — *reportavit* Schottus. — *quum* E f. *quom* h. — *moraretur quod Scipio* c E c. — *Affricanus* a urb. f. *Affricano* mon. *Aphricanus* pat. E f. *.af.* h. — *consul* om. pat. *cons.* h. — *quoius* h. — *in* om. med. *impriori* mon. — *priore* pat. E s (a Lambino). — *de provincia* om. mon. — *expellere*, spl. *de* h. *pellere* e. — *ei ipse* E f. — *senatuum afficere* mon.

15. *Quum* E f. *quom* h. — *in civitate principatum* collR. c d e h med. E c f s)(a b urb. fæs. pat. f mon. — *quod cum* f. — *Res .PV.* h. *r. p.* mon. *respub.* E s. — *amministrabatur* a. *ministrabatur* e h med. E f. — *adm. Scipio iratus senatu* f. — *senatu privatu paratus in urbe*, o spl. mon. *senatui, consulatu peracto* I A Bosius. — *urbe remansit* h med. E f. — *censor eum* mon. — *secure profuit* med — *Nam in* med. — *plures* f. — *editum* urb. fæs., spl. e urb.

addidit, quare luxuria reprimeretur, quæ iam tum incipiebat pullulare. 4. Circiter annos octoginta, usque ad extremam ætatem ab adulescentia rei .p. causa suscipere inimicitias non destitit. A multis temptatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed,
5 **quo ad vixit, virtutum laude crevit.**

III. 1. In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers, et rei .p. peritus iurisconsultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus litterarum fuit. 2. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit,
10 **ut non facile reperiri possit, neque de Græcis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adulescentia confecit orationes. 3. Senex historias scribere instituit. Earum sunt libri .VII. Primus continet res gestas regum populi .Ro., secundus et tertius, unde quæque civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines**
15 **videtur appellasse. In quarto autem bellum Pœnicum est primum, in quinto secundum. 4. Atque hæc omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad præturam Servii Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces**

1. *Edidit* f mon. h med. E f. — *premeretur* mon. — *tunc* h. *tamen* f. *inceperat* mon. — *pululare* urb. pat. f mon. E c. *pullare* c. — *octuaginta* b E c. *.LXXX.* pat. f mon. h E f. — *rei .pu.* h. *reipub.* E s. — *causa* om. mon. — *inimicicias* E c f. — *desistit* pat. — *temptatus* a urb. E c. *tentatus* reliqui. — *sed quamdiu vixit* h.

5. *Singlari* a. — *fuit prudentia et industria* (c d) E c s.)(a b collR. e urb. fæs. pat. f mon. h med. E f. — *sollers* a b E s. *solers* reliqui. — *rei .pu.* h. *r. p.* mon. *rei publicæ* f. — *peritus et iuris* collR. c E s (a Lambino).)(a b c d urb. fæs. pat. f mon. h med. E c f. — *iure consultus* mon. h. — *concupidissimus* e. — *Quare* f h med. E f. — *stadium* h. — *et senior* c E c. — *senex*, spl. *ior* h. — *arripuerit* f E f. — *tamen* om. pat. f. — *tantum in eis progr.* Lambinus.

10. *Reperire possis* (urb. fæs.) c E c. *reperiri posset* pat. f. *repperiri possit* b)(a d e mon. h med. E f s. — *nec* mon. — *nec* mon. — *quid ei* mon. — *fuerat* h. — *confeci* f. *fecit* pat. — *Senex* mon. — *hystorias* a. — *Quarum sunt* (c d e?) E c.)(a b collR. urb. fæs. pat. f mon. h med. E f s. — *.lib.* a. — *.VII.* a urb. mon. h. *septem* reliqui. — *Ro.* a f. *R.* b. *Rôman.* E s. *Romani* reliqui. *po.* *ro.* spl. *i . . . i* mon. *P. R.* h E f. — *tercius* a E f. — *orta sit civitas* pat. — *ytalica* a. *in Italia* f. — *omnes* om. pat.

15. *Videntur* med. — *Pœnicum* gif. *Penicum* a. *Punicum* reliqui. — *ante bellum* pat. — *est* om. collR. c E c. *est Punicum* pat. *est bellum Punicum* d e?)(a b urb. fæs. f mon. h med. E f s. — *hæc* om. mon. — *capitula* mon. — *Reliqua quæque bella* mon. — *prosecutus* pat. f mon. E f. — *Ser.* h E s. *Sergii* E c.)(a b urb. fæs. pat. f mon. med. E f. — *quæ dir.* mon. — *dirupit*, spl. *i* et *u* urb. *dirapit* fæs. *deripuit* E c. — *eorum* pat.

non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In hisdem exposuit, quæ in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina. 5. Huius de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu .T. Pomponii Attici. Quare 5 studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

1. *In* om. c. -- *hisdem* a b c urb. fæs. med. E c. *eisdem* f, Magius. *iisdem* pat. mon. h E f s. -- *in Italia in Hisp.* mon. -- *aut fierent aut* om. collR. c d e f h med. E c f s.)(a b urb. fæs. pat. mon. -- *ammiranda* a. -- *comperet* mon. -- *compararet* pat. -- *multa doctr.* (c pat.) E c f s.)(a b collR. d e urb. fæs. f mon. h med. -- *doctria* E f. -- *prosecuti* a c pat. E c.

5. *Seperatim* mon. E f. -- *rogati* c. -- *.T.* om. mon. *Titi* E c,)(a b urb. pat. f h E f s. -- *.Pom.* h. -- *Athici* b. -- *relegamus* d? f, Magius. -- *TEAOC* h.

III.

VERBA EX
EPISTOLA CORNELIÆ GRACCHORUM MATRIS
EX LIBRO
CORNELII NEPOTIS DE LATINIS HISTORICIS EXCERPTA.

Verba .... excerpta. Præfixi indicem, qui testibus Savarone ac Petavio erat in codice Gifanii. Hunc descripsisse videtur, atque ex ipsa quidem, nisi fallor, Savaronis editione recens ille librarius, qui in ædilium Florentinæ ecclesiæ codice 87. *Verba ex ep. quadam Corn. Gr. m. ex l. C. N. de L. h. ad C. Gracchum filium* exaravit. Paulo brevius Guelferbytanus: *V. ex ep. Corn. Gracorum m. ex eodem libro C. N. excerpta* et Ottobonianus: *V. ex ep. Corn. Gr. m. ex eodem Cornelio* et Fæsulanus: *V. ex ep. Corn. Gr. m. ex eodem* et Urbinas: *Ex ep. Corn. matris Graccorum. ex eodem.* Neque multum discrepat inscriptio hæc: *Verba Corn. Gr. m. ex C. N. libro exc.*, quæ invenitur in codice atque editione Savaronis, in codice collegii Romani, in Vossianis duobus, in Gaddiano, præterquam quod *Graccorum* scriptum est in Gaddiano et Vossiano utroque et *Verba* omissum in Vossiano posteriore, *excerpta* in Gaddiano. Sequitur Harleianus 2580: *V. Corn. m. Gr. ex Cornelio Nepote et aliunde*; breviter Alexandrinus, qui fuerat olim Petavii: *V. Corn. m. Graecorum* [spl. c]; brevissime Schotti editio: *Epistola Corneliæ matris Gracchorum.* Oblitterata auctoris memoria Patavinus: *Ep. Corn. Gr. m. ad*

Dices pulchrum esse, inimicos ulcisci. Id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur, sed si liceat re .p. salva ea persequi. Sed quatinus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt atque, uti nunc sunt, 5 erunt, potius quam res .p. profligetur atque pereat.

EADEM ALIO LOCO.

2. Verbis conceptis deierare ausim, præterquam qui Tiberium Graccum necarunt, neminem inimicum tantum molestiæ tantumque laboris, quantum te ob has res, mihi tradidisse: quem oportebat 10 omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis eorum tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique, quæcunque ageres, ea velles maxime mihi placere, atque uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam sententiam

10. omnium meorum.

filium et Mediceus 63,30: *Ep. de morte Tiberii Gracchi auctore Anonymo.* Verbose Mediolanensis secundus: *Ex fragmentis epistolarum Corneliæ Scipionis Africani superioris filiæ Ti. et C. Graccorum matris ad Caium filium.*

Præter hos sedecim libros scriptos fragmentum exstare dicitur etiam in Uffenbachiano et Mantuano codice, denique in quattuor illis perverso vitarum ordine insignibus: Mediceo 67,25. Strozziano 57. Vindobonensi Palatino 3155. Chisiano B.

In quibus omnibus ultimum locum hæc verba obtinent et ita quidem, si exceperis codicem collegii Romani, qui Attico continuata habet, ut Catonem subsequantur.

---

1. *ICes* collR. *lices* alex. *dicis* savar. c E s.)(gif. a d urb. fæs. ott. pat. medic63,30. -- *pulcrum* fæs. pat. medic 63,30. *pulcherrimum* e. -- *cuicquam* E s. -- *pulcrius* a ott. pat. -- *esse mihi* E schott.)(a collR. c urb. ott. alex. pat. E s. -- *Repub.* E schott. -- *quatinus* a urb. *quatenus* reliqui. -- *multis que ætatibus* Petavius. -- *ut nunc* pat. *uti non* alex.)(gif. a savar. urb. ott. E s schott.

5. *Pocius* a. -- *Eadem alio loco* om. pat. (in quo tamen signo rubro interposito fragmenta distinguuntur) E s. *Verba eiusdem alio loco ad C. Gracchum filium* collR. -- *ausim quam qui* pat. -- *qui* om. savar. -- *Tyberium* E s. -- *Graccum* a d. *Græcum* e. *Gracchum* reliqui. -- *necharunt* d. -- *inimicum* om. (auctore Petavio) gif. -- *tantæ mol.* a c. -- *molestiæ tantumque* om. pat. *molestiæ motatumque* e.

10. *Ante habuerim* urb. ott. alex. E schott. *autem habuerim* pat.)(gif. a collR. savar. E s. -- *partibus* e. *partes* d E s. *partem* Petavius.)(gif. a collR. savar. urb. ott. alex. pat. E schott. -- *eorum* om. savar. -- *tollerare* a. -- *solicitudinis* E schott. -- *agens* a e. -- *mihi maxime* pat. -- *nephas* pat. -- *res* pat. -- *quicquam adversus* m. s. *fac.* ott.

quicquam facere; præsertim mihi, cui parva pars vitæ superest. 3. Ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin et mihi adversere et rem .p. profliges? Denique quæ pausa erit? ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et præbentes molestiis desistere? ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re .p.? 4. Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petito tribunatum; per me facito quod lubebit, cum ego non sentiam. Ubi mortua ero, parentabis mihi et invocabis deum parentem. In eo tempore non pudet te eorum deum preces expetere, quos vivos atque præsentes relictos atque desertos habueris. Ne ille sirit Iuppiter te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animum! Et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

1. *In tam parvas pausas vitæ* e. -- *supcrest* om. a. -- *potes* Petavius. -- *adversere* (auctore Petavio) gif. *adversēs* a. *adverses* collR. de savar. *'adverseris* gif. (si fides Savaroni) urb. ott. alex. pat. Es schott. -- *qua pausa* a. -- *pausas* e. -- *ecquando* gif. a. *etquando* reliqui. -- *ecq.* gif. a. *etq.* reliqui. -- *habere* spl. *i* urb.

5. *Ecq.* gif. a. *etq.* reliqui. -- *habentes,* spl. *s* ott. *absentes* alex. -- *præsentes* ott. alex. -- *ecq.* gif. a. *etq.* reliqui, præterquam quod *ecq. p. m. atque p. re .p.* om. alex. -- *tibi ego* savar. -- *per me* om. collR. d savar. Es. *post me* urb. ott. alex. pat. E schott.)(gif. a. -- *facite* e. -- *facito ut lub.* pat. -- *libebit* gif.? urb. ott. alex. E schott.)(a savar. pat. Es. -- *parentibus* e savar.

10. *Num pudebit* Petavius. *ne pudet* savar. Es. *non pudeat* pat.)(gif. a collR. de urb. ott. alex. E schott. -- *exponere,* spl. *et* ott. -- *sirit* gif. (teste Petavio) a. *sinat* reliqui. -- *Iupiter* pat. Es. -- *ea* om. e. *ea te* pat. -- *animo* Es. -- *uti* om. pat. -- *ullo tempore tuto* medic 67,25.

15. *Possis. Vale* pat.

Hi sunt, quorum vita ab Emylio Probo descripta hoc codice continentur. Milciades Atheniensis [sequuntur porro ceteri; extremus est] *Pomponius Atticus Romanus* collR.

IV.

FRAGMENTA LIBRORUM CORNELII NEPOTIS

ab aliis scriptoribus servata ac probabili ratione disposita.

I. FRAGMENTA E LIBRIS CHRONICIS.

1. Apologos Titiani et Nepotis Chronica, quasi alios apologos. (nam et ipsa instar sunt fabularum) — misi — ad institutionem tuorum. *Ausonius epistola XVI. ad Probum præfectum prætorio.*

2. Corneli, —
— ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter, et laboriosis. *Catullus prologo lib. I. v. 5—7.*

3. Saturnum — neque Diodorus Græcus aut Thallus, neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos — aliud quam hominem promulgarunt. *Tertullianus Apologetico c. 10. Idem Ad nationes II. 12. Minucius Felix Octavio c. 22, 8.* [Saturnum] hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriæ prodiderunt, Græci Diodorus et Thallus, Latini Nepos et Cassius et Varro. *Lactantius Institut. I. 13, 8.*

4. [Homerus vixit] ante Romam — conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chronico — dixit, annis circiter centum et sexaginta. *Gellius XVII. 21, 3.* Homerus poeta in Græcia claruit —, ut ait Cornelius Nepos, ante olympiadem primam annis C. *Hieronymus chronico Eusebii canone pag. 321. ed. A. Mai. Romæ 1833. 4. Freculphus Lexoviensis Chron. I. Tom. III. 7.*

5. Romam — placet conditam — Nepoti et Lutatio, opinionem Eratosthenis et Apollodori comprobantibus, olympiadis septimæ anno secundo. *Solinus Polyhistore c. 1. ed. Salmas. p. 2.*

2. Novum libellum Veronensis — poeta quondam — dedit — Nepoti. *Ausonius præfatiuncula ad Latinum Pacatum Drepanium v. 3.*

4. *Chronico* cod Regius. *Chronicorum* editiones pleræque.

6. Archilochum — Nepos Cornelius tradit, Tullo Hostilio Romæ regnante, iam tunc fuisse poematis clarum et nobilem. *Gellius XVII. 21, 8.*

7. M. Manlius [Capitolinus] — ut Cornelius — Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est. *Gellius XVII. 21,24.*

8. Alexander Magnus Pellæ — oritur, ut Nepos edidit, Marco Fabio Ambusto, Tito Quinctio Capitolino consulibus, post Romam conditam anno trecentesimo octogesimo quinto. *Solinus Polyhistore c. 40. ed. Salmas. p. 50.*

II. FRAGMENTA E LIBRIS EXEMPLORUM.

9. Nepos Exemplorum II.: »A virgine Vestale« inquit pro Vestali, quia non personam sed rem significat. *Charisius p. 119. Putsch. p. 84. Lindem.*

10. Cornelius — Nepos in libro Exemplorum quinto id quoque litteris mandavit, multis in senatu placuisse, ut ii [de decem captivis, quos Hannibal Romam miserat,] qui redire nollent, datis custodibus ad Hannibalem deducerentur, sed eam sententiam numero plurium, quibus id non videretur, superatam; eos tamen, qui ad Hannibalem non redissent, usque adeo intestabiles invisosque fuisse, ut tædium vitæ ceperint necemque sibi consciverint. *Gellius VII. 18, 11.*

11. ?. Magnificum factum Tib. Sempronii Gracchi in exemplis repositum est. Id exemplum huiuscemodi est. etc. *Gellius VII. 19, 1—7.*

12. Scandula contectam fuisse Romam ad Pyrrhi usque bellum annis CCCC LXX. Cornelius Nepos auctor est. *Plinius nat. hist. XVI. 10, 36.*

13. C. Nepos: »Ædis Martis est in circo Flaminio, architectata ab Hermodoro Salaminio.« Architectata passive posuit, ἀρχιτεκτονευθεῖσα. *Priscianus VIII. 4, 17. p. 792. Putsch.*

8. *Trecentesimo octogesimo quinto* vel *CCCLXXXV.* libri scripti Salmasiani et olim editi omnes. Pro eo numero, cum vitio laboret, reponi iusserunt 395 Salmasius, 399 Delrius, 400 Camers. Ceterum in codicibus Delrii scriptis is locus totus desiderabatur. Neque comparet in codice Basiliensi membr. Sæc. XIV.

11. Hunc locum, cum præsertim superiori testimonio apud Gellium continuetur, ex iisdem Cornelianis Exemplis desumptum probabili iudicio Thysius statuit.

13. *Gaius* codErlang 2. *C.* om. cod Basiliensis Sæc. XII. et Edd. principes.

14. Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte Cornelius Nepos tradit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrum C. Cæsaris in Gallia. — Adicit idem Nepos, eum primum totis ædibus nullam, nisi e marmore, columnam habuisse et omnis solidas e Carystio aut Lunensi. *Plinius nat. hist. XXXVI. 6, 48.*

15. Cornelius Nepos tradit, ante Sullæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuisse argentea. *Plinius nat. hist. XXXIII. 11, 146.*

16. Onychem in Arabiæ tantum montibus nec usquam aliubi nasci putavere nostri veteres, Sudines in Carmania. Potoriis primum vasis inde factis, dein pedibus lectorum sellisque, Nepos Cornelius tradit magno fuisse miraculo, cum P. Lentulus Spinther amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset; post quinquennium deinde triginta duorum pedum longitudine columnas vidisse se. *Plinius nat. hist. XXXVI. 7, 59.*

17. Nepos Cornelius — Me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat; nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther ædilis curulis primus in prætexta usus improbabatur: qua purpura quis non iam, inquit, tricliniaria facit? *Plinius nat. hist. IX. 39, 136. 137.*

18. Cornelius Nepos — cum scriberet, turdos paulo ante cœptos saginari, addidit, ciconias magis placere quam grues. *Plinius nat. hist. X. 23, 60.*

19. Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser. — Postea præcipuam auctoritatem fuisse lupo et asellis Cornelius Nepos et Laberius, poeta mimorum, tradidere. *Plinius nat. hist. IX. 17, 60. 61.*

20. [Lotum arborem] Nepos Cornelius brevem tradit. — Vinum quoque exprimitur illi, simile mulso, quod ultra denos dies negat durare idem Nepos, baccasque concisas cum alica ad cibos doliis condi. *Plinius nat. hist. XIII. 17, 104. 106.*

14. *Pr. R. marmoris frustis op. t. d. suæ parietes in* vet Dalech. — *operuisse totos* bamberg. — *idem Nepos* om. vet Dalech. — *a Carysto* vetDalech. — *Luniense* bamberg.

15. *Tricliniaria* codTolet.

16. *Ex eo et urceos magnitudine* vet Dalech. — *columnam* vet Dalech.

17. *Improbatur* vetDalech.

20. *Baccasque contusas* Edd. multæ. — *cum aqua* codd. Barbari.

III. FRAGMENTA E LIBRIS DE ILLUSTRIBUS VIRIS.

21. [De Viris Illustribus scripserunt] apud Latinos — Varro, Santra, Nepos, Hyginus, et — Tranquillus. *Hieronymus prologo in librum de Viris Illustribus T. II. p. 821. ed. Vallars. Venet. 1767.*

22. «Subinde» Nepos de Illustribus Viris lib. II. Sed et Brutus et Cœlius frequenter eo usi sunt. *Charisius p. 195 Putsch. p. 131 Lindem.*

23. [P. Terentium, Scipionem Africanum, C. Lælium] et Cornelius Nepos æquales — fuisse tradit. *Suetonius Terentii vita c. 1.*

24. Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kalendis Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno: Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt. *Suetonius Terentii vita c. 3.*

25. [De Philisto historico] in eo libro plura sunt exposita, qui de Historicis Græcis conscriptus est. *Æmilius Probus de excell. duc. ext. gentium X. 3, 2.*

26. Cornelius Nepos in libro de Historicis Latinis de laude Ciceronis: Non ignorare debes, unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Græciæ, sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui potuerit et etiam debuerit historiam digna voce pronuntiare: quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformavit orationē. Ex quo dubito, interitu eius utrum res publica an historia magis doleat. IDEM. Locuplex ac divina natura, quo maiorem sui pareret admirationem ponderatioraque sua essent beneficia, neque uni omnia dare nec rursus cuiquam omnia voluit negare. *Incertus scriptor in prima pagina codicis orationum Ciceronis Philippicarum Guelferbytani Gud. 278. Sæc. XIII.*

27. Excerptum e libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis: vita Catonis. *Supra p. 172.*

26. *Conformaverit oratione* ex emendatione Iac. Fr. Heusingeri. — *Locuples* ex emend. Heusing.

28. Iuste venusteque admodum reprehendisse dicitur A. Albinum M. Cato. Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Græca scriptitavit. In eius historiæ principio scriptum est ad hanc sententiam: Neminem succensere sibi convenire, si quid in his libris parum composite aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio; Græca oratio a nobis alienissima est. Ideoque veniam gratiamque malæ existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Eam cum legisset M. Cato, næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cum imprudentes erravimus aut cum compulsi peccavimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur? Scriptum est hoc in libro Cornelii Nepotis de Illustribus Viris XIII. *Gellius XI. 8, 1—5. cui sua debet Macrobius Saturnaliorum I. præfatione.*

29. Verba ex epistola Corneliæ Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis excerpta. *Supra p. 175.*

30. Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis: vita Attici. *Supra p. 149.*

31. Lucius Voltacilius Pilutus — primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. *Suetonius de Claris Rhetoribus c. 3.*

32. Cornelius—Nepos in libello quo distinguit litteratum ab erudito: litteratos vulgo quidem appellari ait eos, qui diligenter et acute scienterque possint aut dicere aut scribere; ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Græcis Γραμματικοὶ nominentur. *Suetonius de Illustribus Grammaticis c. 4.*

28. *Historiæ primo* Macrob. — *Latio; et eloquium Græcum a nobis alienissimum est* Macrob. — *Ea cum legisset* Macrob. — *erravimus aut cum noxam imperio compellentis admisimus. Te, inquit, oro quis* Macrob. — *Scriptum .....XIII.* om. Macrob. — *illustribus viris XIII.* cod. Tornæsii, cod. Petavii. *illustribus libris XIII.* cod. S. Marci Florentinus; cod. Schoppii. *illustribus libris* codd. Reg., Thuan., Guelf. Edd. ante Iuntinam. *illustribus viris* cod. Bernensis recentior, Edd. pleræque. In altero Bernensi antiquissimo totus liber XI. desideratur.

31. *Otacilius Pilitus* Edd. pleræque. *Piletus* Scaliger. *Plotus* Io. Ger. Vossius. *Philetus* vel *Pitholaus* alii. *Vultacilius Plautus* Hieronymi Canon chron. ed. A. Mai. p. 364. *L. Volcatius* puto legendum.

32. *Libello quodam distinguit* cod. Bongarsii.

33. [Prope cum] dativo casu — «propius grammatico accessi» Nepos in Illustri. *Diomedes p. 405 Putsch.*

34. «Partum» [pro partium] Cornelius Nepos Illustrium decimo quinto. *Charisius p. 114 Putsch. p. 81 Lindem.*

35. Cornelius Nepos Illustrium Virorum lib. XVI.: «A fratre patruele» inquit, rem necessitudinis sed etiam personam ostendat. *Charisius p. 113 Putsch. p. 81 Lindem.*

36. [Regum] omnium res gestæ separatim sunt relatæ. *Æmilius Probus de exc. duc. ext. gentium XX. 6, 1.*

37. Cleophantus Corinthius —, quem tradit Cornelius Nepos secutum in Italiam Damaratum, Tarquinii Prisci regis Romani patrem, fugientem a Corintho tyranni iniurias Cypseli. *Plinius nat. hist. XXXV. 3, 16.*

38. In hoc exponemus libro de vita Excellentium Imperatorum [exterarum gentium]. *Æmilius Probus de exc. duc. ext. gentium prologo 8.*

39. Cicero — virorum inlustrium, qui aput Athenienses extiterunt — intulit — commemorationem; primo Themistocli, qui primum bello Corcyreo prætor factus ex pecunia publica centum navium classem faciendam esse persuasit et Corcyreos cum prædonibus vicit. Cumque ille et ducentas naves longas et dua millia onerariarum et septingenta millia peditum et equitum quadringenta Xersex in Græciam induxisset; et ex responso Apollinis, quo prædictum erat, ut se Athenienses ligneo muro tuerentur, idem The-

33. Sic editiones quattuor Sæc. XV.

37. *Ephantus* cod. Bamberg. *Elephantus* cod. Monac., Petrop. *Ctelephantus* cod. Riccard.

39 Scholiorum Bobiensium Angelus Maius cum codicem, unde primus edidit, Sæc. IV. aut V. scriptum statuit (in Ciceronis trium orationum — fragmentis. Mediol. 1814. præf. c. 14. et in Catalogo codd. Ciceronis Ambrosianorum. Mediol. 1817. p. 240.) De ipso scholiasta gravis lis fuerat, quando vixerit. Etenim putarat primum Maius esse Asconium, qui Neronis temporibus floruit, in eaque opinione consentientem habuit Suringarum in historia critica scholiastarum Latinorum I. p. 145. At Niebuhrius in præfatione ad Frontonem p. XXXIV. de quarti sæculi homine cogitabat, Orellius in excursu XII ad Cicer. pro Plancio p. 272. ad quintum vel sextum relegabat, donec Madvigius in disputatione critica de Asconio p. 148. aut quinto sæculo, aut, quod fortasse verius esset, quarto exeunte ea scholia scripta demonstravit. Concessit doctissimo viro Orellius in sua scholiorum editione p. 220. et Maius quoque misso Asconio Caprum vel Volcatium, grammaticos certe Hieronymo memoratos, malle se tueri professus est in editione anni 1828. p. XI.

Cumque mille et Maius. — *Xerxes* Maius.

mistocles oraculum explanavit ad præsidium navium pertinere, ut in eas confugerent et partim Salaminam partim Trœzenam peterent, maiores natui in carcere relinquerentur. Astute præterea Xerxem fefellit, quasi futurum esset, ut pons, qui ab Hellesponto erat inpositus, rescinderetur; atque ita ille fugam maturavit. Egregia eius Themistocli consilio triplex aput Piræum portus constitutus est. Idem muros Atheniensium restituit, contra quam pactum convenerat cum Lacedæmoniis. Idem tamen ostrcismo damnatus, quod erat aput Athenienses, proditionis absens damnatus, Corcyram demigravit; inde ductuset expositus clauculo, ne in manus cideret Atheniensium. Ab Epheso ad Xerxem venit, sive, ut quidam putant, ad Artaxerxem: aput quem, quod fuit mirabile, Persico sermone usus est, quam linguam anno meditatus fuerat: amicissime ab rege susceptus est: domicilium postea sibi Magnesiæ constituit, quam illi rex addixerat cum Iamsaco et Mynda, unde illi necessaria victus exhiberentur. Deniquæ aput Magnesiam decessit. Ossa eius occultæ in Attica sepulta sunt ab amiciis. Alii vero existimaverunt eundem venientem ad oppugnandas Athenas cum Persico exercitu hausisse taurinum sanguinem atque ita vitam finisse. —

[Miltiades] fuit Atheniensis, Cimonis filius. Idem ex oraculo Apollinis colonos Chersonesum deduxit, velut præpositus regia potestate: Lemnum vero in dicionem Atheniensium redegit et Cycladas insulas. Cumque rex Darius exercitum induxisset in Græciam equitatu peditatuque maximo et navalibus copiis instructus, in campo Marathone dux idem Miltiades Persicos exercitus vicit. Verum postea in offensum civium deductus pecunia multatus est, quam cum non posset exsolvere, in carcerem coniectus ibique defunctus est. —

Neque [Aristidem] de viris inlustribus placet silentio præterire. Lysimachi filius Atheniensis fuit, æmulus præcipue Themistocli, quo accusante in exilium decenni actus est. Sexto tamen anno restitutus est, cum Græciam Xerxes iufestaret: aput Plateas rem bene gessit superato Mardonio barbarorum duce. Fuit autem summæ

Natu in arce Maius. — *qui Hellesponto* Maius. *ab illo Hell.* Orellius. - *Egregio eiusdem* Maius. — *Piræeum* Orellius. — *ostracismo quod erat* Maius. *ostracismo, damnationis genus quod* Orellius. — *inde deductus* Orellius. — *clanculo* Maius. — *caderet* vel *incideret* Maius. — *Lampsaco* Maius. — *Denique* Maius. — *occulte* Maius. — *amicis* Maius. *offensionem* Orellius.

iustitiæ, undem etiam Aristides cognominatus est: cumque Lacedæmonio Pausania ob sapientiam præpositus auctor fuisset indicemde civitatibus pecuniæ ad classem fabricandam et exercitus instruendos, summa prudentia et virtute rem gessit; ex ea pecunia his omnibus dispensandis, quæ facta per civitates conlatione Delum conferebatur. Obiit mortem in summa paupertate, cui rei hoc argumento est, quod eius filiæ dotem de publico acceperint. —

Pœnus Hannibal cum multos per annos Italiam gravissimis cum cladibus adfecisset, ad extremum in Africam decreto Karthaginiensium revocatus, congressione aput Zamam facta superatus a .P. Scipione, cum metueret ne comerces capi Scipio populo .R. dederetur a suis civilibus afuit et absens damnatus est, bona publicata, domus diruta est. Ipso vero primo se aclantiodum in Syriam contulit. Inde, cum parum fideret Antiochi animo, deficit ad Prostani Bityniam, ibique hausto veneno decessit Romanis imminentibus, qui eum comprehendere gestiebant. *Scholia Bobiensia ad Ciceronis orationem pro Sestio c. 67.*

40. Nos tempus est huius libri facere finem et Romanorum explicare Imperatores. *Æmilius Probus de exc. duc. ext. gentium XXII. 13, 4.*

41. *Ἡμεῖς — Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι — πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι. Plutarchus compar. Pelopidæ cum Marcello c. 1.*

42. *Ἀννίβᾳ — τῶν μὲν ἄλλων ἐλάχιστος ἦν λόγος, Μάρκελλον δὲ πεπτωκέναι πυθόμενος, αὐτὸς ἐξέδραμεν ἐπὶ τὸν τόπον, καὶ τῷ νεκρῷ παραστὰς καὶ πολὺν χρόνον τήν τε ῥώμην τοῦ σώματος καταμαθὼν καὶ τὸ εἶδος, οὔτε φωνὴν ἀφῆκεν ὑπερήφανον, οὔτ᾽ ἀπ᾽ ὄψεως τὸ χαῖρον, ὡς ἄν τις ἐργώδη πολέμιον καὶ βαρὺν ἀπεκτονὼς, ἐξέφηνεν· ἀλλ᾽ ἐπιθαυμάσας τὸ παράλογον τῆς τελευτῆς, τὸν μὲν δακτύλιον ἀφείλετο, τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι κόσμῳ, καὶ περιστείλας ἐντίμως ἔκαυσε· καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπην ἀργυρᾶν, καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν στέφανον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν. Τῶν δὲ Νομάδων τινὲς περιτυχόντες τοῖς κομίζουσιν, ὥρμησαν ἀφαιρεῖσθαι τὸ τεῦχος· ἀντιλαμβανομένων δ᾽ ἐκείνων, ἐκβιαζόμενοι καὶ μαχόμενοι διέῤῥιψαν τὰ ὀστᾶ. Πυθό-*

39. *Unde* Maius. — [*Aristides*] Orellius. — *Pausaniæ* Orellius. — *indicendæ* Maius. *civibus; afuit* Maius. — *Ipse* Maius. — *se ad Antiochum* Maius. — *defugit* Orellius. — *Prusiam in Bithyniam* Maius.

*μενος δ' Ἀννίβας καὶ πρὸς τοὺς παρόντας εἰπών, Οὐδὲν ἄρα δυνατὸν γενέσθαι ἄκοντος θεοῦ, τοῖς μὲν Νομάσιν ἐπέθηκε δίκην, οὐκέτι δὲ κομιδῆς ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισεν, ὡς δὴ κατὰ θεόν τινα καὶ τῆς τελευτῆς καὶ τῆς ἀταφίας παραλόγως οὕτω τῷ Μαρκέλλῳ γενομένης. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι. **Plutarchus vita Marcelli c. 30.***

43. Carthago — antea speciem habuit duplicis oppidi, quasi aliud alterum complecteretur, cuius interior pars Byrsa dicebatur, exterior Magalia. Huius rei testis est Cornelius Nepos in eo libro, qui Vita Illustrium inscribitur. *Servius ad Virg. Æn. I. 372.*

44. *Νέπως ὁ Κορνήλιός φησιν, οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ τοῦ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν, θυγατέρα γῆμαι Γάϊον [Γράκχον.] Plutarchus vita Gracchorum c. 21.*

45. *Νέπως — Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα· τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μέν, ὡς ἀγαπῷτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ' αὐτοῦ, τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν· ἐκστῆσαι δὲ καὶ καταλῦσαι τὸν λογισμόν, ὥστ' ἔτι ζῶντος αὐτοῦ τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν. **Plutarchus vita Luculli c. 43, 3.***

46.? Cornelius Nepos lib. edidit de Viris Illustribus. Scripsit et Iulii Cæsaris vitam et tempora, cuius fulsit temporibus. ***Guilielmus Pastregicus Veronensis de Viris Illustribus p. 17. ed. Blondi Venet. 1547.***

47. Non amplius ter bibere eum [Octavianum] solitum super cœnam in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. ***Suetonius Octavio c. 77, 1.***

IV. DE VITA ET MORIBUS M. CATONIS CENSORII.

48. Huius [M. Catonis censorii] de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus. *Vita Catonis excerpta e libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis II. 3, 5.*

V. FRAGMENTA E LIBRIS DE VITA M. CICERONIS.

49. Cornelius Nepos — in primo librorum, quos de vita illius [M. Ciceronis] composuit, — eum scripsit tris et viginti annos natum primam causam iudicii publici egisse Sextumque Roscium parricidii reum defendisse. *Gellius XV. 28, 1. 2.*

50. Refert — Cornelius Nepos, se præsente iisdem pene verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio, seditioso tribuno, defensionem peroratam. *Hieronymus contra Ioannem Hierosolymitanum c. 12. ed. Vallars. T. II. p. 419.*

VI. FRAGMENTUM EPISTOLARUM AD CICERONEM.

51. Nepos — Cornelius ad — Ciceronem ita scribit: Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitæ philosophiam beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistros vivendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. *Lactantius Institut. III. 15, 10.*

VII. FRAGMENTA E LIBRO, UT VIDETUR, GEOGRAPHICO.

52. Universum orbem mari circumfusum esse [dixit] Cornelius Nepos: — testem autem rei Q. Metellum Celerem adicit eumque ita retulisse commemorat: Cum Galliæ pro consule præesset, Indos quosdam a rege Botorum dono sibi datos, unde in eas terras devenissent requirendo, cognosse vi tempestatum ex Indicis æquoribus abreptos emensosque, quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiisse. *Mela III. 5, 8.* Nepos de septemtrionali circuitu tradit, Quinto Metello Celeri, Afranii in consulatu collegæ, sed tum Galliæ proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes tempestatibus essent in Germaniam abrepti. *Plinius nat. hist. II. 67, 170.* Idem Cornelius post captos Indos per Germaniam navigavit. *Marcianus Capella lib. VI. cap. de rotunditate terræ.*

49. *Quem de* codd. Memm., Petav. *qui de* cod. Guelf. — *primum causam* cod. Reg.

52. *L. Nepos* cod. Venet. — *Galliis* Edd. multæ. — *Boiorum* vel *Bœtorum* vel *Suevorum* a viris doctis editum. — Marciani locus ita legitur in Basiliensi quoque Sæc. XIV. codice.

53. Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus cum Lathanum, regem Alexandriæ, profugeret, Arabico sinu egressus, per hoc [Æthiopicum] pelagus, ut Nepos affirmat, Gades usque pervectus est. *Mela III. 9, 3.* Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quendam sua ætate, cum Lathurum regem fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usque pervectum. *Plinius nat. hist. II. 67, 169.* Cornelius — affirmat, quendam Eudoxum fugientem regis insidias ex Arabia in Gaditana pervenisse refugia. *Marcianus Capella lib. VI. cap. de rotunditate terræ.*

54. [Fretum Gaditanum] T. Livius ac Nepos Cornelius latitudinis tradiderunt, ubi minus, VII. M. pass., ubi vero plurimum, X. M. *Plinius nat. hist. III. procem. 4.*

55. Prævalidam hanc urbem [Lixon] maioremque Carthagine magna, præterea, ex adverso eius sitam et prope immenso tractu ab Tingi, [monstrifica] alia Cornelius Nepos avidissime credidit. *Plinius nat. hist. V. 1, 4.*

56. [Cernen insulam] Nepos Cornelius ex adverso maxime Carthaginis a continente passus mille [abesse prodidit]: non ampliorem circuitu duobus millibus. *Plinius nat. hist. VI. 31, 199.*

57. Alpes — patere — tradit — in latitudinem — Cornelius Nepos CM., T. Livius tria M. stadiorum. *Plinius nat. hist. III. 19, 132.*

58. [Interiit] Melpum opulentia præcipuum, quod ab Insubribus et Boiis et Senonibus deletum esse eo die, quo Camillus Veios ceperit, Nepos Cornelius tradidit. *Plinius nat. hist. III. 17, 125.*

59. [Istriam] cognominatam a flumine Istro, in Adriam effluente e Danubio amne eodemque Istro adversum Padi fauces, contrario eorum percussu mari interiecto dulcescente, plerique dixere falso et Nepos etiam, Padi accola. *Plinius nat. hist. III. 18, 127.*

60. Circuitu — totius Ponti vicies semel centena quinquaginta M. [passuum sunt,] ut auctor est Varro et fere veteres Nepos Cornelius trecenta millia quinquaginta adiicit. *Plinius nat. hist. IV. 12, 77.*

61. Inter Pontum et Caspium mare — interesse [tradidit] Cornelius Nepos CCL. M. [passuum]. *Plinius nat. hist. VI. 11, 31.*

53. *Lathurum* editores.

57. *CM.* nescio passuum, an stadiorum. *CLM.* cod. Tolet.

60. *Adiicit*, ut sint 2500 M. P.

61. *CL. M.* Edd. veteres.

62. [Paphlagoniæ] Henetos adiicit Nepos Cornelius, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi postulat. *Plinius nat. hist. VI. 2, 5.* [Paphlagonia] insignis loco Heneto, a quo, ut Cornelius Nepos perhibet, Paphlagones in Italiam transvecti, mox Veneti sunt nominati. *Solinus Polyhistore c. 44. ed. Salmas. pag. 52.*

VIII. CARMINA.

63. [Carmina fecerunt lasciviora viri sanctitate morum insignes.] Inter quos vel præcipue numerandus est P. Virgilius, Cornelius Nepos, et prius Ennius Attiusque. *Plinius epist. V. 3, 6.*

IX. INCERTA.

64. «Largitudo» nusquam invenitur, nisi apud Nepotem. *Charisius p. 78 Putsch. p. 57 Lindem.*

65. «Culmus» generis neutri, ut Nepus vult. *Incertus scriptor de generibus nominum, ed. Haupt. p. 75. Lips. 1838.*

66. *C. Plinius in multiplici sua naturali historia Cornelio Nepote usus etiam est, si fides indicibus auctorum, l. VII. qui est de hominum generatione et institutione atque inventione artium, l. XII. XVII. qui sunt de arboribus, l. XXXIV. qui est de æris metallis*

62. *Venetos adiicit* vetDalech. — *credere putat* codd. multi.

65. *Nepos* ex emendatione Hauptii.

MANTISSA EXCERPTORUM ET SCHOLIORUM AD ÆMILIUM PROBUM.

I. Incertus scriptor libri, cui titulus: Mensa philosophica.

1. Lib. II. c. 17. Emilius probat li. de ducibus exterarum gentium. Militandis filius principis Atheniensis caute fuit liberatus. ut, cum in pluribus locis ortos et predia haberet, nullum in fructi-
5 bus custodem posuit, ut quisque quibus vellet ibi frueretur. Super quem pedissequi cum nummis sequebantur, ut, si quis operis eius indigeret, statim ei daret. ne differendo videretur negare. Si male vestitum videret, suum ei amiculum dedit. Quotidie cena parabatur, ut, quos invocatos videret in foro, omnes invitaret, quod facere
10 nulla die pretermisit. Nulli fides eius, nulli opera eius, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit, multos pauperes suis sumptibus sepeliri fecit.

2. Lib. II. c. 18. Emillius ubi supra. Phocion Athenien. perpetue fuit pauper, cum ditissimus esse posset propter frequenter
15 delatos honores et potestates summas a populo sibi datas. Hic cum a rege Philippo munera magne pecunie repudiaret legatique eum ad recipiendum hortarentur, quia, si ipse his facile careret, filiis tū suis difficile esset, in tanta paupertate paternam tueri gloriam. Quibus respondit: si mei similes fuerint, hic agellus eos alet, qui
20 me ad hanc gloriam perduxit. si autem dissimiles, nolo meis impensis eorum ali foverique luxuriam.

II. Codex Patavinus chartaceus Sæc. XV.
VITA HANNIBALIS ET COMPLURIUM EX EMILIO PROBO.

25 1. Hannibal tanto reliquis ducibus præstantior, quanto populus Romanus ceteris clarior. Qui nono anno bellum gessit,

I. De eo libro Sæc. XIII. scripto videndi, quos nominat Ebertus num. 13819. Consului editiones complures, sequor antiquissimam Heidelbergæ anno 1489. 4. excusam. Scriptor non indoctus veterum multorum libro suo inclusit excerpta testimonia.

Legendum v. 2. *Probus.* — v. 3. *Cimon Miltiadis.* — v. 3. *tantæ fuit liberalitatis.* — v. 5. *posuerit.* — v. 5. *Semper quem.* — v. 6. *opis eius.* — v. 14. *perpetuo.* — v. 18. *filiis tamen.*

vicesimo quinto imperator creatus est. Post illatas po. ro. clades in Aphricam revocatus, cum Scipione manus conserens superatus et fugere coactus est. A Zama, ubi prœlium commissum est, usque Adrumentum biduo et binoctio pervenit: res mira, cum constet, Adrumentum a Zama circiter .MCCC. passuum abesse. Paulo post 5 revocatus cum Magone fratre prætor creatus: eo anno cum legati Romani Carthaginem venissent, ratus exposcendi sui causa venisse, clam ad Antiochum in Syriam confugit. Quam ob rem diu conquisitus, hostis iudicatus, bona publicata, domus a fundamentis diruta. Tertio post anno cum quinque navibus in Aphricam venit, 10 tentaturus animos Carthaginensium erga Romanos. Sed frustra: nam cognito eius adventu Carthaginenses Magonem fratrem eadem mulcta affecerunt. Reversus Antiochum accendit ad bellum gerendum contra Romanos. Cui fortasse melior fuisset fortuna, si Hannibal consilio audiens fuisset. Præfectus classis cum Rhodiis 15 conflixit in Pamphylio mari. Fugato Antiocho Cretam ad Cortinnos profectus, et quam ingentem auri summam attulerat minime credens fidei et avaritiæ Cretensium, eos hoc modo elusit. Nam discessu pronuntiato complures amphoras plumbo replevit, extrinsecus auro et argento operiens, easque in templo Dianæ custodiendas locavit; 20 pecuniam vero omnem statuis æneis, quas secum habebat, inclusam secum ad Prusiam detulit. Eumque similiter ad bellum conatus est accendere. Verum quia, repugnantibus finitimis regibus, minimæ eius vires erant, Eumenem Pergamenorum regem inter primos adversantem miro astu circumvenit. Nam cum classe pugnarent et 25 ad Eumenem fortuna inclinasset, vasa fictilia serpentibus plena in naves Pergamenorum coniici iussit, quibus illi territi fugere cœperunt. Cum a Romanis peteretur, veneno, quod paratum habebat, vitam finivit. Atticus tradit, eum mortuum M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone consulibus, Polibius Paulo Hemilio, M. Bebio 30 Pamphilio, Sulpitius vero Blito P. Cornelio Cethego et M. Bebio Pamphilio. Inter tot res bellicas litteris operam dedit, Sosillo Lacedæmonio in litteris Græcis præceptore usus, quem et Silenum secum semper habebat, ut res gestas scriberent. Hique, donec fortuna permisit, nunquam ab eo discesserunt. Historias Græce 35 scripsit, in quibus ad Rhodios multa de Cn. Mallii Volonis in Asia rebus gestis tradit.

15. Legendum: *Hannibalis.*

2. Hamilchar, Hannibalis filius, cognomine Barcha, extremo primi belli Punici tempore cœpit exercitui præesse. Pacem cum Romanis post acceptam apud Egathas cladem fecit, animo tamen, quotiens vires adessent, iterum belligerandi. Reversus Carthaginem comperit intestino bello laborantem. Mercenarii enim milites, quorum 5 opera usi fuerant adversus Romanos, quorum numerus erat viginti milium, omnem Aphricam a Carthagine alienaverant ipsamque Carthaginem oppugnaverant. Qua necessitate coacti sunt a Romanis auxilium petere, et impetraverunt. In ultima desperatione creatus imperator Hamilchar omnem Aphricam recepit summamque tranquillitatem peperit. Inde 10 in Hispania novem annis bella gessit. Contra Vettones pugnans occiditur. Successit ei Hasdrubal, quem ipse in delitiis habuerat, non sine libidinis nota. Hannibalem secum habebat annorum novem, quem iurare ad aras coegit perpetuum adversus Romanos odium.

3. Milciades, Cimonis filius, Apollinis oraculo delectus ad 15 constituendam Chersonessum coloniam; unde mira felicitate usus rediens Lemno, quam tunc Chares incolebant, potitus est atque Cycladas omnes Atheniensium potestati subegit. Nec multo post cum Darius universam Greciam occupare vellet, dux inter primos adversus eius præfectos Darium et Artiphernem delectus Milciades 20 cum decem milibus hominum Persarum peditum ducenta milia, equitum decem tanta felicitate fudit, ut nunquam antea tot copiæ tam parva manu deletæ sint. In ea victoria quamvis novem collegas habuerit, solus tamen in porticu Petile imaginem meruit in habitu adhortantis, tanquam Græciæ liberator. Inde præfectus classis 25 septuaginta navium creatus, insularum, quæ barbaris faverant, aliquot in deditionem recepit, non nullas vi expugnavit. Dum Pharum totis viribus oppugnaret, nocturno luci, qui in propinquo erat, incendio deterritus insidias timens, cum Pharii de deditione cogitarent, relicta obsidione integris machinamentorum operibus di- 30 missis, Athenas cum classe rediit: accusatusque proditionis, quod a Dario corruptus re infecta discessisset, a Sagora fratre defensus est, cum ipse vulneribus eger erat sibique patrocinari non poterat. Itaque pecunia mulctatus quinquaginta talentis: quæ cum solvere non posset, in carcerem coniectus vitam finivit.

35 4. Pausanias, Lacedæmone potentissimus, tam virtute laudandus quam vitiis improbandus. Primo Mardonium Medorum satrapem cum ingenti exercitu delevit et obtruncavit. Non tamen

caruit reprehensione, quod tripodem aureum ex ea præda Apollini cum epigrammatibus dedicaverit, in quo sua opera deletos apud Plateas barbaros iactabat. Inde cum classe Cyprum et Elespontum missus pari felicitate illinc barbarorum auxilia depulit. Itaque animo elatus Xersis affines, quos Bizantii ceperat, remisit, datis Gongulo 5 Cretensi ad Xersem litteris, quarum hæc erat summa: Remisi ad te propinquos tuos tecumque affinitate coniungi cupio; Spartham et omnem Græciam tibi tradam, modo filiam michi nuptui des. Gratum id Xersi fuit: itaque Artabatum ad eum misit, omnia pollicitus. Sed dissimulari res non potuit: in suspicionem enim venit, 10 revocatusque a præfectura mulctatus est et in vincula coniectus ab ephoris. Inde exemptus non minus suspicione caruit. Non tamen iusta præbebatur occasio ephoris intercipiendi eum. Expectabant itaque, ut res tempore prodiret: atque ita evenit. Nam cum Pausanias Argilio puero, quem unice amabat, litteras ad Artabazum ferendas 15 dedisset, quia ex his, qui alias litteras tulerant, nemo redierat, veritus puer, ne quid de se scriberet, litteras solvit atque, ubi comperit coniurationis et prodendæ patriæ indices esse, ad ephoros detulit. Hi re cognita maturius etiam se gesserunt, nec repente Pausaniam comprehendere, sed iusso puero confugere in templum 20 Neptuni, quod erat apud Græcos inviolabile, in subterraneo post aram loco unum constituerunt, qui exaudire posset cum Argilio colloquentes. Eo Pausanias venit, confugii causam querens. Qua cognita petit a puero, ne se prodat. Non diutius ergo expectandum rati ephori conciliatum puero Pausaniam comprehendere sta- 25 tuunt: quod ille animadvertens in aram Minervæ confugit. Qua obserata et tecto diruto, ut facilius sub divo moreretur, semianimis ex templo extractus illico periit. Corpus non procul a templo conditum, sed sequenti tempore Delphici oraculi iussu in locum, ubi obierat, relatum est. 30

5. Lisander factiosus et audax magis felicitate quam virtute Athenienses afflixit. Quos ubi ad Egos flumen deleverat, semper sui iuris omnia facere cogitavit simulansque, Lacedæmoniis omnia se acquirere, sibi vendicabat. Ut vero facilius Lacedæmonibus persuaderet tollendos esse reges, oraculum, ad quod illi omnia refe- 35 rebant, Hamonis adiit, spe corrumpendi sacerdotes. Quos ubi frustra se sollicitare cognovit, reversus a sacerdotibus per legatos

2. Leg. *epigrammate.*

accusatus est, quod corrumpere eos tentasset. Absolutus tandem Orchomenis subsidio missus, a Thebanis apud Haliactum occiditur.

6. Alcibiadis Cliniæ filii summas virtutes non minora vicia æquabant. Nemo unquam tanta varietate laboravit: idem summa
5 virtute, idem ingentibus vitiis memorandus: formosissimus, dives, eloquens, multi consilii, laboris patiens: quotiens rerum gerendarum occasio deerat, ad libidines convertebatur. Apud Periclem vitricum educatus est. Hipponicum habuit socerum, Græcorum omnium doctissimum. In adolescentia a multis amatus et a Socrate, cum
10 quo etiam pernoctavit, integer tamen abiit, ut Plato in Symposio meminit. Dux adversus Syracusanos creatus, Lamnacho et Nitia collegis. Antequam ad bellum proficisceretur, multi eius potentiam veriti accusare tentabant, quod domi misteria coniuratorum celebraret. Quare ipse petiit, ut antequam exiret, de se præsente
15 quæstio haberetur. Sed inimici accusationem in absentiam distulerunt. Itaque cum per litteras revocaretur ad dicendam causam, redire noluit, sed ad Thurios in Italiam navigavit: inde Elidem, postmodum Thebas venit. Cum autem comperisset, capitis se damnatum et bona publicata ac Olympios sacerdotes ab Atheniensibus
20 coactos, ut se execrarentur et execrationem, quo notior esset, publice marmori incisam, Lacedæmonem profectus est. Cum patria bellum gessit: eius consilio Persis regis amicitiam Lacedæmones inierunt, Celeam in Attica munierunt. Athenarum obstaculum Iones ab eorum societate avertit. Verum suspecta cœpit esse La-
25 cedæmoniis eius felicitas, ne captata occasione ad patriam desci-sceret. Itaque consilium de eo interficiendo ceperunt. Ipse re cognita ad Tisaphernem præfectum Darii regis se contulit. Non multo post a Trasibulo, Licei filio, in exercitum admissus Sami prætor constitutus est, et Theramenis suffragio in patriam plebiscito
30 revocatus, cumque his pari imperio præficitur. Lacedæmonios pacem petere coegerunt, Elespontum, Ioniam receperunt; Bizantium expugnarunt. Reversi Athenas cum ingenti præda. Solus Alcibiades omnium ora in se convertebat, coronis aureis et æneis ab omnibus donabatur. Concionem habuit, in qua populum ad lachrymas movit;
35 restitutaque sunt ei ab Atheniensibus bona, et Olympii sacerdotes abolere execrationem cum nominis restitutione iussi, et lapis, qui execrationem continebat, in mare præcipitatus. Iterum dux cum collegis Trasibulo et Adimanto creatus, quia rem male gesserat,

magistratu deiectus et alius in locum eius suffectus est. Ipse sponte patriam profectus, Bizam, Bornos, Theomonticos castella communivit. Bellum Thracibus primus intulit, a quibus non multo post bonis omnibus spoliatus ad Pharnabazum in Asiam transivit, a quo Grino oppido donatus est, unde annuum vectigal quinquaginta talentorum accipiebat. Hic tamen fracta fide Lacedæmoniis poscentibus Susametem et Bageum misit, qui eum interimerent. Interfectus itaque est, caput ad Pharnabazum relatus, annos XL. natus; corpus mulier, cum qua commercium habebat, veste propria contectum cremavit. 5 10

7. Trasibulus, Licei filius, in fide, constantia, magnitudine animi, amore in patriam nulli posthabendus. Bello Peloponessiaco multa præclara gessit. Patriam XXX. tyrannis a Lacedæmonibus constitutis liberavit. Corona oleagina donatus est, ea sola cum eterna laude contentus. Ad extremum cum prætor classi præesset, in Siciliam profectus, dum incautius a suis castra custodiuntur, a barbaris noctu in tabernaculo occisus est. 15

8. Conon Atheniensis bello Peloponessiaco contulit se ad remp. Terrestribus et maritimis prœliis æque clarus, Persarum regem contra Lacedæmonios concitavit, classeque comparata eorum copias Cmidum delevit. Qua victoria non modo Athenas sed omnem Græciam Lacedæmonum imperio liberavit. Rediens cum parte navium in patriam muros dirutos restituit: quinquaginta talenta, quæ a Pharnabazo acceperat, civibus donavit. Inde cum Ioniam et Æoliam Atheniensibus restituere cogitaret, a Thiriazobo per fraudem evocatus, qui Sardibus præerat, in vincula coniectus est periitque in carcere, quamvis Dion historicus neget eumque effugisse scribat. 20 25

9. Iphicrates disciplinæ militaris scientissimus, magni consilii, militiæ in diem novæ repertor. Nam pro scuto peltam, pro brevibus hastis longas, pro gladiis curtis longos militibus dedit. Peltastæ milites post eum sunt appellati. Linteas loricas, non ferreas, suos habere voluit, ut expeditiores essent. Cum Thracibus bellum gessit. Seuthen Atheniensium socium in regnum restituit, apud Corinthum exercitui præfuit, ut exercitus nunquam visus sit moderatior. Sepenumero Lacedæmonios debellavit. Ab Artaxerse, cum Ægyptiis bellum inferre vellet, dux ab Atheniensibus petitus, Lacedæmoniis etiam favit contra Epaminundam Thebanum. Statura 30 35

Leg. 8. *relatum*. 21. *apud Cnidum*.

fuit procera et imperatoria, aspectu venerabilis, laboris tamen impatiens, ut tradit Theopompus. Bello sociali capitis causam ipse simul cum Thimoteo dixit et absolutus est. Menesta filium reliquit ex Tursa Cothi regis filia susceptum. Qui interrogatus, matremne
5 an patrem magis diligeret, matrem respondit, quod ea se Atheniensem, pater Thracem genuisset.

10. Chabrias, inter summos duces numerandus, Agesilaum Lacedæmoniorum ducem, fugere compulit suosque obnixo genu scuto, hasta proiecta hostium impetum excipere docuit. Quo in-
10 vento victoriam adeptus, tantum laudis meruit, ut statua publice ab Atheniensibus donatus sit. Multa in Europa gessit; in Ægypto vero dux ab Atheniensibus electus, sponte bellavit: Mitilenem in regnum restituit: Cyprum omnem subiugavit. Inde exorto inter Persas et Ægyptios bello, cum socius Atheniensium esset Arta-
15 xerses Persarum rex, nihilominus Ægyptiis contra Persas favit. Hanc ob rem dicta ei dies ab Atheniensibus et nisi rediret, capitalis pœna edicta. Rediit itaque. Nec diu Athenis mansit; multum enim invidiæ ipse concitaverat. Secessit, ut plerique potentium fecerant, qui in libera civitate exosi erant. Nam Conon diu Cypri
20 mansit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigeo. Bello sociali dum Chium Athenienses oppugnant, solus Chabrias ausus cum navi hostium portum intrare, cumque reliqui non sequerentur, maluit telis confodi quam natando in tutum confugere.

11. Thimoteus, Cononis filius, disertus, impiger, laboriosus,
25 Olinthios, Bizantios subegit. Samum, in qua oppugnanda mille et ducenta talenta Athenienses consumpserant, sine ulla impensa cepit. A Cotho rege mille et ducenta talenta prædæ in publicum retulit. Cizicum obsidione liberavit, Laconum classem delevit, Corcyram subegit, Athamanas, Epyrotas, Chaonas in societatem Atheniensium
30 ascivit. Quam ob rem factum est, ut Lacedæmonii maritimo imperio Atheniensibus cesserint. Ara tum primum et pulvinar Paci dedicatum ab Atheniensibus et statua Thimoteo in foro posita. Insequenti tempore cum Athenienses bello premerentur, a Mnesteo genero, cui datus erat collega, per litteras accusatus, quod eius culpa
35 Samum recipere non potuerit, revocatus est mulctaque centum talentorum imposita, Calchidem secessit atque illic obiit. Pœnituit eius iudicii postea Athenienses. Itaque filio XC. talenta remiserunt decemque duntaxat muris reficiendis conferre voluerunt.

12. Datames patre Camisare Chario, matre Scythissa natus, primum fortiter se gessit in bello, quod Artaxerses contra Gadusios gessit, multis hostium milibus trucidatis. In eo bello patrem amisit. Itaque parte Ciliciæ iuxta Capadociam, quam Eusyri incolunt, cui præerat pater, a rege donatus est. Non minus strenue 5 contra Antophrodatas pugnavit, regis exercitu conservato. Quam ob rem eiecto Thiaune, qui regi audiens non erat, Paphlagoniæ præficitur. Cum Thiaune vero quamvis affinis esset, nam ex fratre et sorore nati erant, bellum gessit eumque vivum cum uxore et liberis cepit et cunctis stupentibus ad Artaxersem captum duxit. 10 Itaque a rege donatus, ad exercitum missus est, ut collega cum Pharnabazo et Taraste ducibus contra Ægyptios creatus esset. Revocato vero Pharnabazo summam imperii accepit. Sed antequam ad bellum Ægyptium proficisceretur, Aspim Ciliciæ montane superbum dominum, in venatione incautum oppressit et captivum ad 15 regem misit. His gestis cum comperisset, se odio aulicis esse, Mandrocli cura exercitus relicta, in Capadociam secessit, quo animo in regem esset, dissimulans. Occupata Paphlagonia Ariobarzanique adhærens contra Artaxersem acriter bellum gessit innumerasque eius copias delevit cum paucis, ex quibus non amplius mille ceci- 20 derunt. Inde eum sæpe insidias Artaxersis evitasset, Mitridatis Ariobarzanis filii dolo per colloquium occisus est.

13. Epaminundas, Polimni filius, honesto genere sed inopi, eruditus, cytharistriæ operam dedit et philosophiæ sub Lisia Pithagoreo Tarentino. Primo palæstræ vacavit, magis velocitati quam 25 robori studens, ut ad militiam esset expeditior. Modestus, gravis, prudens, temporibus inserviebat. Veritatis adeo cultor, ut nunquam ne ioco quidem mentitus sit. Clemens, æque unius cuiusque iniurias patiens; taciturnus arcanorum conservator. Paupertatem facile tulit. Gloriæ non divitiarum appetens. Cum aliquem amicum ab hostibus 30 captum audiret, qui se proprio ære redimere non posset, aut virginem nubilem paupertate oppressam, certam ex singulis amicis pecuniarum summam colligebat, non tamen accipiens, sed eos, qui missi erant pro pecuniis, ad amicos deducebat, ac se præsente numerari pecunias iubebat. Tentavit eum auro corrumpere Arta- 35 xerses misso Diomedonte Circeno, qui cum ingenti summa auri Thebas profectus primum Michitum, elegantis formæ puerum Epaminundæ delitias, quinque talentis corruptum suæ voluntati satisfacere

coegit. Is cum Epaminundæ causam adventi illius narraret, non tulit Epaminundas, sed Diomedonti, nihil, inquit, pecunia conficies, si ea quæ contra patriam sunt petis. Inde ad Michitum conversus, tu vero, inquit, redde quod accepisti: id nisi feceris, te magistratui 5 tradam. Atque illum reiectum salva pecunia, nequid videretur accepisse, reverti iussit. In eloquentia Thebanis omnibus præferebatur. Tyrannidem Lacedæmonum non minus acri oratione quam victoria apud Leutras felicissima concussit. Sæpenumero exercitum incuria ducis obsessum obsidione liberavit. Cum accusaretur, 10 quod contra leges diutius exercitum detinuisset, ut pugnare apud Leutras posset, capite plecti non recusavit, modo in sepulchro suo inscriberetur: Epaminundam a Thebanis capite mulctatum, quod eos apud Leutras pugnare coegisset et vincere Lacedæmonios, quos Boetiorum nemo ante se aspicere ausus esset, quodque ea victoria 15 non solum Thebanis, verum universæ Græciæ libertatem peperisset. Hac concione Thebanos ad risum et hilaritatem provocavit iudicumque ora repressit. Absolutus itaque est cum ingenti laude. Sequenti tempore cum apud Mantineam contra Lacedæmonios iterum pugnaret, iaculis omnium tamdiu petitus est, quoad letale vulnus ac- 20 cepit. Et non ante ferrum corpori infixum dempsit, quam suos victores esse audisset; extractoque ferro animam emittens, satis, inquit, vixi: invictus enim morior. Cum a Pelopide reprehenderetur, quod sine prole decessurus esset, malle se sine liberis quam cum infami filio decedere respondit, satisque sibi esse, si non mortalem 25 relinquat, cum pugna Leutrica sit heres nominis sui, de qua nullum seculum conticescet. Contentiones civiles exosas habuit, neutram in partem inclinans.

14. Pelopides, Thebanus, cum Athenis exularet, dignum memoria facinus aggressus est. Nam vesperi cum XII. adolescen- 30 tibus, qui tum etiam exulabant, venatorum habitu Athenis egressus, silentio noctis Thebas pervenit in domum Charonis, qui consiliorum eius particeps erat. Res defertur ad magistratum epulis vacantem, epistolaque scripta ad Archiam summum inter civitatis principes, in qua exulum perscribebantur consilia. Ille ne comessationes re- 35 linqueret, pulvino subiecit atque in crastinum, inquit, differo res severas. Itaque cum res tanta negligitur, Pelopides magistratus obtruncat, vulgum et suburbanos ad arma et libertatem concitat, præsidium Lacedæmonum ex arce deiicit. Solus hic post Epami-

nundam Thebarum gloriam auxit. Sequenti tempore cum legatus ad Thessaliam in potestatem Thebarum redigendam mitteretur, ab Alexandro Pheræo tyranno, fracto iure legationis, in vincula coniectus est, a quibus eum exemit Epaminundas bello tyrannum persecutus. Itaque non oblitus acceptæ iniuriæ petiit, ut adversus tyrannos 5 dux deligeretur. Impetravit, eductisque copiis non diutius conflictum distulit victoriaque potitus: quamvis paulum digressus a suis occubuerit. Interfectum eum Thessalæ civitates coronis aureis et æneis donarunt, liberos vero eius compluribus prædiis ditarunt.

15. Agesilaus. Lacedæmoniis mos erat, duos habere reges 10 nomine magis quam imperio, alterum ex familia Procli, alterum ex familia Eristenis, qui Sparthe rex Herculis progenie regnaverat: nec licebat ex alia familia regem creari. Post vero regis obitum maximus natu succedebat, si virilis sexus non esset, sanguine iunctior mortuo deligebatur. Regnaverat Hagis, Agesilai frater, eoque de- 15 functo hereditario iure Leotychides filius succedebat: verum Agesilaus, suffragante Lisandro, illum regno deiecit primusque de regno cum fratris filio contendit. Hic Ægyptios et universam Asiam variis cladibus afflixit. Inde cum magna spe potiundi Persarum imperii elatus bellum animo agitaret cum exercitu exstructissimo, 20 a suis qui bellum Boetiis et Atheniensibus indixerant, revocatus rediit tanta celeritate , ut XXX. diebus iter confecerit, quod anno vertente confecerat Xerses. Apud Coroneam Boetios et Athenienses fudit, conservatis, qui ad Minervæ templum confugerant. Inde apud Corinthum decem milia Græcorum occidit, miseratusque est Græciæ 25 fortunam, quod illis milibus potuissent Persæ subigi. Spartham ab Epaminunda obsessam liberavit. Dona plurima in eum collata patriæ contulit, avita et paupere domo contentus. Altero pede claudicabat: quamobrem tanquam deformis contemnebatur. Cum annorum LXXX. in Ægyptum subsidio Tacho regi missus esset, 30 tentoria stramentis tecta solum pelle superiecta habuit gregario habitu. Munera barbarorum sprevit, vitulina carne et vilibus obsoniis acceptis, distributa servis secunda mensa cum unguentis et coronis, cetera legatos referre iussit. Tanta parsimonia contemptui barbaris fuit. Ex Ægypto rediens cum CCXX. talentis, quibus cum 35 rex Notanabis donaverat, ut patriæ suæ conferret, in portu Menelai, qui est inter Cyrenas et Ægyptum, morbo implicitus decessit. Corpus cera oblitum, quia mel deerat, a suis Spartham relatum.

16. THIMOLEON, Corinthius, Syracusas et universam Siciliam tyrannide liberavit. Fratrem Tymophanem, qui Corinthi dominatum occupaverat, occidi curavit: ipse tamen non interfuit. A matre vero postea in domum nunquam admissus tanquam fratricida. Ex
5 hac re, quia nonnullis odio erat, sæpenumero de morte cogitavit. Sed cum iterum Dyonisius Syracusarum potiretur, adversus eum dux electus tota insula deturbavit, et cum capere posset, incolumem Corinthum venire permisit, plus in clementia quam crudelitate laudis ponens, et ut non solum auribus sed oculis perspici posset, ex
10 quanto regno ad eam fortunam tyrannum compulisset. Carthagineusium copias apud Crimissum flumen fudit, qui Siciliæ imperabant; ac inde Mamercum Italum cepit, qui auxilio tyrannis in eam insulam cum exercitu venerat. Cum vidisset non solum oppida, sed regiones diutino bello attritas et eversas, Syracusas, quæ primum
15 conditæ a Corinthiis fuerant, iterum Corinthiis colonis instauravit, universæ insulæ libertatem restituens Syracusisque privatus, cum imperare posset, vivere maluit, quod reliquum ei vitæ fuit. In extremis vitæ diebus orbatus est oculis, quam calamitatem adeo æquo animo tulit, ut nunquam queri aut gemere sit visus. Vehi-
20 culo ducebatur in consilium. Eius natalem insula religiose colebat. Corpus eius ingenti pompa elatum, in gymnasio conditum, quod Thimoleonteum appellatum.

III. Codex Ottobonianus 1417. chartaceus Sæc. XV.

25 1. MILCIADES, Cimonis filius, Atheniensis. nobili genere et maiorum gloria satis insignis fuit. hic Darium Persarum regem eiusque ducenta milia peditum et XXX. equitum cum decem milibus armatorum in campo Maratonio profligavit. Accusatus postremo proditionis ab ipsis Atheniensibus in vincula publica coniectus est
30 ibique diem obiit supremum.

2. THEMISTOCLES, Atheniensis, Neocle generoso parente ex Archamana matre ortus: ut ait Tuchidides de instantibus verissime iudicabat: et de futuris callidissime conijciebat. hic una cum Euribiade rege Lacedæmoniorum Xersem apud Thermophilas profli-
35 gavit. Cuius classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo milia honerariarum sequebantur. terrestres autem exercitus septingenta decem milia peditum. Equitum quadringenta milia fuerant parique modo apud Salaminam parvo numero navium

maximam classem devicit. de ipsius vero morte Thuchidides ait Magnesie morbo esse consumptum, neque negat venenum sua sponte sumpsisse.

3. Aristides, Lisimachi filius *et reliqua.*

IV. Scholia e codicibus Italicis excerpta (ad paginas et versus editionis meæ collecta.) 5

6, 10. Pythia Sacerdos bacchi. *hænel.*

8, 2. Cyclades dictæ sunt ἀπὸ τοῦ κύκλου non quod rotundæ sint sed quia oportet eas in orbem circuire. *angel.*

9, 1. niteretur ⁒. substentaretur. *hænel.* 10

10, 1. Ἡμεροδρόμοι cursores tabellarii a cursu dicti. Ἡμέρα dies. ὁ δρόμος cursus græce dicitur. *angel.*

10, 11. mille. τὴν χιλιάδα. *vatic. (3170.)*

10, 19. tractu ⁒. regione. *hænel.*

11, 14. obsolescunt ea quæ veterascunt et ex usu recedunt. *hænel.* 15

14, 2. Acarnania pars est Epiri. quæ nunc dicitur Albania. Hæc uxor suspendio vitam finiit propter turpitudinem vitæ Themistoclis. Vale. Max. de mutat. fortunæ. *angel.*

15, 6. 7. Demostenes in oratione apud senatum Atheniensem per Leonardum traductum ita inquit: Non adest Themistocles, qui 20 Xerxem trescentenis milibus militum elatum, quatuor milium et ducentarum navium numero terribilem, exigua latentem navicula fugere coegit. Iustinus item ait. Iam Xerxes septingenta milia de auxiliis ut *et quæ sequuntur usque ad illa* tantum milia habuisse dicitur. *angel.* Et quicquid Græcia mendax audet in hystoria. *vatic.* 25

16, 13. Apud Termophilas Leonida rex Lacedæmoniorum cum quingentis Lacedæmoniis occisus est ab Xerse. *hænel.*

16, 14. Astum civitas τὸ ἄστυ. *vatic.* Astu apud poetas astutiam designat cuius origo ut ait Festus ex græco vocabulo ἄστυ deducitur, quod oppidum sive urbem indicat, in qua qui as- 30 sidue versati sunt, cauti et acuti videntur. *angel.*

17, 6. ingratis adverbium. *vatic.*

17, 20. Maratone oppidum in agro Attico, apud quem Milciades cum quingentis Lacedæmoniis fuit occisus ab Xerse. *hænel.*

19, 8. Legatorum nomina ἀβρώνυχος ὁ λυσικλέους. ἀριστείδης 35 ὁ λυσιμάχου. *vatic. angel.*

19, 9. Ephoros principes. *hænel.* Ephori ἀπὸ τοῦ ἐφορᾶν.

quod est inspicere. ea enim apud Lacedæmonios erant auctoritate, qua Romæ tribuni plebis. *angel.*

20, 10. Nota testulas pro fragmentis tegularum, in quibus unus quisque mentem suam inscribebat, cum aliquid ageretur in 5 consilio. *vatic.*

20, 18. Admetus rex Colossorum. *vatic.*

21, 15. Ephesus civitas Carye in Asia. quam Amazones condidere. ut ait Iustinus in II.° suarum epitomarum libro. *angel.*

22, 21. Magnesia regio est teste Pli.° li.° 4.° nat. hyst. 10 Thessaliæ annexa, unde et Magnesii nominantur. Est etiam eodem nomine urbs in Asia, iuxta quam Scipio Asiaticus Antiocum regem perculit. *angel.*

23, 3. Lampsacus fuit teste Cic. li.° 4. Verrinarum oppidum in Helesponto clarum et nobile, cuius cives Lampsaceni dicuntur. 15 quæ dictio æ (?) diphtongo scribitur. Ex eo oppido oriundus fuit Priapus, qui teste Servio ob longitudinem virilis membri ab aliis civibus pulsus fuit. Et teste Plinio nat. hyst. eam urbem Homerus Adrastiam vocitavit. *angel.*

23, 3. Smyrna urbs est minoris Asiæ. quam fluvius Meles 20 circumfluit. hanc teste Herodoto in vita Homeri Theseus Tesalus in monumentum ux suæ quæ Smyrna vocabatur construxit. *angel.*

23, 15. Aristides duo fuerunt: unus est hic: alius fuit Thebanus pictor insignis et quem æqualem Apellini dixit Pli. li.° XXXV.° nat. hy. Is ut inquit animam pinxit et sensus hominum expressit, 25 quos Græci ἤϑη ·/. perturbationes vocant. durior paulo in coloribus. Cuius unam tabulam Atalus rex centum talentis emisse traditur. *angel.*

26, 7. *Θουκυδίδης. ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων. Παυσανίας φοίβω μνημ' ἀνέθηκε τόδε.* *vatic. angel.*

30 26, 10. *ἐξεκόλαψαν.* *vatic.*

28, 1. *σκυπάλην* appellata. *ϑουκυδίδης.* *angel.*

30, 19. custodia *Ἡ φυλακή.* *vatic.*

36, 1. In alio textu sic est repertum. sed scripta ut viderentur congrua sententiæ. *vatic.*

35 38, 19. *ὁ ἕρμης* hermæ ·/. mercurii. hoc est statuæ mercurii. nam hermis græce, la. mercurius et scribitur per *H* quod postea vertitur in e longum apud la. et hoc modo *ερμHς* hermes. *vatic.*

42, 19. *εἰς τὸ ἄστυ.* *vatic.*

58, 1. suspexerunt ·/. admirati sunt. *hænel.*

61, 19. Rapsodia significat librum ex diversis versibus congestum et consutum, ut Homeri Ilias et Odyssea, quod consuta sunt a Pysistrato Athen. duce, Homero iam vita perfuncto, cum in locis diversis eius versus edidisset, ac dispersos reliquisset. 5
Dicitur autem rapsodia a *ῥάπτω* suo et *ὠδή* cantus, hoc est cantus sutus. *βῆτα ὁμήρου ῥαψωδίας· οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανία εἷς κοίνος ἔστω· εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε παῖς ἀγκυλομήτεω.* *vatic.*

70, 3. Sigæus promontorium Troyæ, a *σιγή* quod est silentium. *marcianB.* 10

70, 14. sidere ·/. de pupi. *hænel.*

87, 19. Vale. Max. de fiducia sui in externis c.° *Non patiuntur.* Epaminondas cum ei cives irati sternendarum in oppido viarum contumeliæ causa curam mandarent (erat enim illud ministerium apud Tebanos sordidissimum) sine ulla cunctatione id recepit. 15
daturumque operam se ut brevi speciosissimum fieret, asseveravit. Mirifica deinde procuratione abiectissimum negocium pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit. *angel.*

105, 10. progenitor *πρόγονος.* *marcianB.*

106, 2. acta ·/. litore. *hænel.* 20

131, 12. dare manus ·/. consentire. *hænel.*

137, 3. Trasimenus ·/. lacus Perusii. *hænel.*

DE

LIBRORUM NUMERO

ET

AUCTORITATE

DISSERTATIO.

DE

LIBRORUM NUMERO ET AUCTORITATE

DISSERTATIO.

De Cornelio Nepote et Æmilio Probo quoniam Rinckius et docte et copiose disseruit, superest ut ego, qui illorum verba ad artis criticæ leges exigere conatus sum, doceam, quibus libris et quo iudicio usus eam rem vel potuerim vel debuerim perficere. Itaque primum de libris et manu et formulis descriptis exponam, tum rationes, quibus in ponderanda librorum auctoritate editorem obsequi par fuit, explicabo. Atque in enumerandis quidem libris ordinem sequar eum, ut quos codices manuscriptos hodie in bibliothecis Italiae, Germaniae, Galliae, Hispaniae, Bataviae, Britanniae, Daniae, Helvetiae asservari compertum habeo, primo loco exponam, deinde eorum mentionem faciam, qui a superioribus vel sunt consulti criticis, hodie deperditi aut latitantes, vel, quia omnino nulli fuerunt, fingebantur visi fuisse, tertio loco de editionibus pauca disputem.

I. LIBRI MANUSCRIPTI ITALICI.

A. FORI IULII in bibliotheca S. Danielis (San Daniele del Friuli).

1. Codex 83. Æmilius Probus. Plutarchi Coriolanus et Alcibiades ex latina Antonii Beccariæ interpretatione. Codex elegantissime scriptus.

2. Codex 87. [Donati] vita Virgilii, [Æmilii Probi] vita Hannibalis.

cf. Blume: bibliotheca librorum MSS. Italica, Gœtting. 1834.p . 232 sq.

B. VENETIIS in bibliotheca S. Marci.

1. Codex D. I. chartaceus, foliorum quaternariorum 211. Sæc. XVI. Post alia scriptæ sunt *Æmilii Probi Vitæ Plurimorum Excellentium Imperatorum*, in quarum fine legitur: *Æmilii Probi Vitæ illustrium Imperatorum finiunt.* Sequitur *Catonis* [vita], tum *P. Virgilius*, id est P. Virgilii vita a Donato scripta. Has vitas Catonis et Virgilii bibliothecarius aliquis in primo codicis folio scripsit se putavisse aliquando ineditas et auctoris esse anonymi, sed postea vidisse editas, unam in Virgilio Servii, alteram in libro de viris illustribus. [1])

Codicem non magis vitiis refertum quam ad cognoscenda librorum genera utilem summa diligentia cum editione Lipsiensi anni 1806. contulit Rinckius. Signavi littera f.

cf. A. M. Zanetti: Latina D. Marci bibliotheca. Venet. 1741. p. 204.

2. Codex præfecti bibliothecæ Marcianæ, membraneus, foliis quaternariis Sæc. XVI. Foliis 51. primis continetur *Æmilius Probus*, sed extremo Hannibale mutilus. Quippe post verba *huc ut rediit*, quæ leguntur Hannib. 7, 4. continuo sequuntur folio 52. verba: *fuit et civibus: quare necessarium erat* etc., quod est fragmentum vitæ Virgilii a Donato scriptæ c. 19, 78. Sequitur *Francisci Philelfi ad Thomam Thebaldum Mediolanensem Convivium secundum.* Folium unum vel duo deficere, manifestum; sed cum in hoc codice defectus vestigium non deprehendatur, necesse est id in antiquiore exemplari sit factum.

Liber asservabatur olim Patavii in bibliotheca Zabarella cf. Tomasini de bibliothecis Patavinis. Patav. 1639. p. 91. Montfaucon bibl. bibl. p. 487. qui falso volumine contineri Æmilium Probum *de viris illustribus* memorant. Postea a Comite Iacobo Zabarella dono datus Octavio Ferrario, bibliothecæ Seminarii Patavini præfecto, denique et quidem post editum a Zanettio Marcianæ catalogum Venetias perlatus est, ubi Iacobi Morellii fuerat, nunc est Bettii.

Contulit Rinckius sua diligentia, quæ summa est, cum editione Lipsiensi anni 1806. Insignivi littera g.

---

[1]) Videtur intelligi debere Corneriana editio vel similis aliqua, cui quidem *de vita excellentium* inscriptum sit, nisi fuit Fanensis a. 1504.

C. PATAVII in bibliotheca Seminarii.

1. Codex chartaceus foliis octonariis Sæc. XV. rebus memorabilibus in margine liquore rubro scriptis.

Continentur hoc volumine imperatorum Ro. vitæ e Spartiano, Capitolino, Vulcatio, Lampridio, Vopisco, Ammiano Marcellino in epitomen contractæ. Sequitur *Vita Titi Pomponii Attici viri clar. composita a Cornelio Nepote, vita Catonis Censorini ex eodem, Epistola Cornelie Gracchorum Matris ad Filium* integræ omnes, tum *Vita Hannibalis et Complurium ex Emilio Probo* hoc ordine: *Hannibal. Hamilchar. Milciades. Pausanias. Lisander. Alcibiades. Trasibulus. Conon. Iphicrates. Chabrias. Thimoteus. Datames. Epaminundas. Pelopides. Agesilaus. Thimoleon.* Horum omnium vitæ sunt decurtatæ. Sequuntur e Plutarcho Demosthenis, Pyrrhi aliorumque vitæ et ipsæ in brevius contractæ, sed aliæ atque Tiberti epitomæ anno 1492 editæ. Denique orationes nonnullæ e Taciti Annalibus et Iustini Historiis excerptæ.

Fragmenta Corneliana diligentissime ad editionem Erlangensem anni 1800. examinavit, epitomas Æmilianas summa cum fide exscripsit Rinckius, quarum exemplum repetendum curavi in hac editione p. 190 sqq. Signavi pat.

2. Codex chartaceus foliorum dimidiatorum 31. Sæc. XVI.

Inest *Probi Æmilii de Virorum Excellentium Vita*, post Hannibalem scriptum *Probi Emilii de Virorum Excellentium vita Liber fœliciter finit.* Hunc codicem ex editione principe Veneta anni 1471. descriptum esse, et Ioannes Bizzattius monuit in Catalogo MS. eius bibliothecæ et Rinckius instituta inter duo volumina comparatione [2]) comprobavit.

3. Codex olim Zabarellus, nunc Venetus, de quo supra exposui.

D. MANTUÆ in bibliotheca Capilupiana.

Codex membraneus, foliis octonariis, Sæc. XV. exeunte eleganter scriptus.

Codice continentur Æmilii Probi vitæ cum sex distichis. Sequitur vita Pomponii Attici, vita Catonis, duo fragmenta epistolæ Corneliæ Gracchorum matris, præterea vita Virgilii per Donatum.

cf. Giov. Andres: Catalogo de' Códici MSS. della famiglia Capilupi. Mantova. 1797. 8.° p. 10 sq.

---

2) Scriptum, ut nonnullas lectiones exempli causa memorem, in Apographo Patavino Cim. 4, 1. *devoraret.* Alc. 5, 6. *dementia.* Conon. 5, 1. *ultimi.*

E. MEDIOLANI in bibliotheca Ambrosiana.

1. Codex membraneus, foliis dimidiatis Sæc. XIV.

Inest: *Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis Vita Attici: vita Catonis.*

2. Codex membraneus, foliis octonariis. Codicem scripsit et præfationem ad Galeacium Comitem, discipulum suum, præposuit Baldus Martorellus anno 1456.

Insunt: *Vitæ Virorum Illustrium. Incipit Æmilius probus.* Vitæ titulis non sunt distinctæ, Atticique et Catonis in eadem pagina continuantur. Postremo: *Ex fragmentis epistolarum Corneliæ Scipionis Africani superioris filiæ Ti. et C. Graccorum matris ad Caium filium.*

Vidit et perlustravit codicem utrumque Rinckius anno circiter 1817. Reperitur etiam in Catalogo Montfauconis complurium codicum memoria, sicut p. 506: Æmilii Probi vita illustrium virorum. membr. *bis.* p. 509: Baldi Martinelli vitæ illustrium virorum. p. 512: Cornelii Nepotis vita Attici membr. p. 522: Pomponii Attici vita, bombyc. Quo magis miror, qui factum sit, ut anno 1838. coram iuvene quodam docto Ambrosianæ bibliothecæ custodes superesse Æmilii Probi et Cornelii Nepotis codices negarent omnesque se dicerent Francogallorum in imperio deperditos putare.

F. AUGUSTÆ TAURINORUM in bibliotheca Athenæi.

1. Codex H. I. 1. membraneus, foliorum dimidiatorum 205. Saec. XV. nitidissime scriptus et auratis passim ornamentis insignitus.

Inest fol. 1—6. *Titi Pomponii Attici vita ex Cornelio Nepote.* Quam sequuntur Ciceronis epistolae ad Brutum, ad Quintum fratrem et ad Atticum.

cf. Pasinus: Codd. MSS. bibl. regii Taurinensis Athenaei. Taur. 1749. fol. p. 82. Montfaucon p. 1396.

2. Eadem vita, foliis quaternariis. cf. Montfaucon p. 1396. Non est in Catalogo Pasini.

G. PARMÆ in bibliotheca Ducis.

«Cornelius Nepos. Chartac. 4.º Saec. XV.»

cf. Blume: bibl. librorum MSS. Italica p. 235.

H. CÆSENÆ in bibliotheca Fratrum minorum.

Q. Curtius de gestis Alexandri. Item Æmilius Probus de excellentibus ducibus. Item Frontinus et Vegetius de disciplina militari.

cf. Montfaucon bibl. bibl. p. 434.

I. LUCÆ in aedibus Patrum S. Mariae Curtis Orlandigorum.

Codex chartaceus, foliis dimidiatis. Extremo folio scriptum: *die VII. Iulii 1452. Pisis.*

Inest *Æmilii Probi de excellentibus ducibus exterarum gentium* liber, et Xenophontis historia latinitate donata.

cf. Fr. A. Zachariae: Iter litterarium, Venet. 1762. 4.° p. 24.

K. FÆSULIS in bibliotheca Cœnobii Canonicorum Regularium S. Bartholomaei.

Codex 181. nunc Florentinus, de quo statim dicetur no. 6.

L. FLORENTIÆ in bibliotheca Medicea Laurentiana.

1. Codex 30 Plutei LXIII. membraneus, foliorum dimidiatorum 203. Saec. XV. elegantissime scriptus, litteris initialibus affabre pictis.

Insunt Vitae complurium e Plutarcho conversae. Tum f. 173—179. *Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis liber. Vita Attici. Vita Catonis. Epistola de morte Tiberii Gracchi auctore anonymo.*

cf. A. M. Bandini Catalogus codd. Latinorum bibl. Med. Laur. T. II. Florent. 1775. p. 701 sqq. Montfaucon bibl. bibl. p. 366.

Lectiones nonnullas ad vitam Catonis pertinentes, quas anno 1820. collato hoc codice cum editione Leidensi anni 1734. excerpserat Franciscus de Furia, debeo Godofredi Seebodei Viri Clarissimi humanitati. Signavi med.

2. Codex 25. [3]) Plutei LXVII. chartaceus, foliorum quaternariorum 136. Saec. XV. litteris initialibus singularum vitarum inau-

[3]) Numerum 18 exhibet Montfaucon, in aliis quoque discrepans a Bandinio, quem tamen sequor, cum videam non inconsulto alia atque Montfauconem tradere. Ceterum Antonius scriba codices multos Florentinos scripsit, annis 1420—1458.

ratis; adscriptis in margine notulis quibusdam et summariis rerum, de quibus agitur. In fine haec leguntur: *Antonius Marii filius Florentinus civis atque notarius transcripsit Florentiæ IIII. Kl'as Decembris MCCCCLI. Valeas qui legis.*

Inest fol. 1—102. *Emilii Probi de excellentibus viris et ducibus gentium exterarum.* Praefationem vitae hoc ordine sequuntur: *Thimoleon. Hamilcar. Titus Pomponius. Hannibal. Miciades. Themistocles. Aristides. Pausanias. Cimon. Lipsander. Alcibiades. Thrasibulus. Conon. Dion. Hiphycrates. Chabrias. Thimotheus. Datames. Epaminondas. Pelopidas. Agesilaus. Eumenes. Phocion.* Tum fol. 102. *Cato* et fragmentum epistolae Corneliae, titulo non distinctum. Postremo Virgilius. Dido. Sardanapalus. Cn. Pompeius.

cf. Bandini Catalogus T. II. p. 830 sqq. Montfaucon bibl. bibl. p. 373.

Timoleontis vitam collatam cum Edit. Leidensi anni 1734. debeo amicitiae Ottonis Iahni Kiliensis. Signavi flor.

3. Codex 61. Plutei super. XC. olim Gaddianus, chartaceus, foliorum quaternariorum 102. Saec. XV. scriptus, aquis pluvialibus fœdatus.

Insunt post Demosthenis et Æschinis orationes Leon. Arretino interprete fol. 86 sqq. *Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis Vita Attici. Vita Catonis. Verba Corneliæ Graccorum Matris ex Cornelii Nepotis Libro. Æmilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium.* Praefationem excipiunt tres tantum vitae Timoleontis, Hamilcaris et Hannibalis.

cf. Bandini Catalogus T. III. Florent. 1776. p. 643 sqq.

Timoleontis vitam cum Ed. Leidensi 1734. contulit Otto Iahn. Signavi gadd.

4. Bibliothecae, quae fuit olim Ædilium Florentinae Ecclesiae, postea iussu Petri Leopoldi in Laurentianam illata est, codex 87. membraneus, foliis dimidiatis.

Insunt Decretales et Clementinae Saec. XIII. In primis quattuor codicis foliis, quae vacua supererant, recentior quaedam manus exercitationis causa cum alia tum *Verba ex Epistola quadam Corneliæ Gracchorum matris ex Libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis ad C. Gracchum filium* exaravit.

cf. Bandini Biblioth. Leopoldina Laurentiana. T. I. Florent. 1791. p. 119 sq.

5. Bibliothecae olim Strozzianae, quae iussu Leopoldi in Laurentianam illata est, codex 57. membraneus, foliorum octonariorum 194. Saec. XV. nitide scriptus. In primo folio legitur: *Petrus Strozza Eques Hierosolymitanus Magnifici Philippi Strozzæ filius.*

Deest titulus, sed insunt Æmilii Probi Vitae Excellentium Virorum et Ducum exterarum gentium. cum Praefatione. Vitarum hic est ordo: Hannibal. Hamilcar. Timoleon. Epaminondas. Cato. [4]) Pelopidas. Agesilaus. Eumenes. Phocion. Timotheus. Miltiades. Themistocles. Aristides. Pausanias. Cimon. Lysander. Alcibiades. Iphicrates. Chabrias. Conon. Dion.

cf. Bandini bibl. Leopoldina T. II. Florent. 1792. p. 394 sq.

6. Bibliothecae olim Faesulanae a magno Cosmo Medice excitatae, quae ante 50. ferme annos iussu Leopoldi cum Medicea Laurentiana coniuncta est, codex 181. membraneus, foliorum dimidiatorum 274. Saec. XV. nitidissime scriptus, litteris primis singulorum librorum variis coloribus et auro exornatis, praemisso per quattuor prima folia librorum et capitum, quae codice continentur, indice copiosissimo.

Insunt Sallustius, Florus, Sextus Rufus, Plinius de viris illustribus, tum fol. 95—131 *Æmilius Probus de excellentibus Ducibus exterarum gentium* cum Prooemio et versibus 12 elegiacis. *Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis vita Attici. Ex eodem vita Catonis. Verba ex Epistola Corneliæ Gracchorum matris ex eodem.* Sequuntur Suetonius et epitome Plinianae naturalis historiae, confecta a Ludovico de Guastis ad Paulum Gumisium principem Lucensem.

Primus huic libro aliquid debuit Andreas Schottus, cum descriptum ex eo exemplum Verborum ex Epistola Corneliae ab Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi anno circiter 1585 acciperet, quod anno 1609 typis exprimendum curavit. Tum anno 1820. Franciscus de Furia, Seebodei gratia codicibus bibliothecae

---

[4]) Catonis vitæ adhærere puto titulo non discreta verba Corneliæ. Certe eo loco exstant in codice ChisianoB. et in Vindobonensi Palatino 3155. in quibus idem, qui in Strozziano, vitarum ordo est, id est misere turbatus et confusus. Idem factum in Mediceo LXVII. 25. non minus turbato.

Laurentianae Æmilianis et Cornelianis sedulo inspectis, cum nullum vetustum reperisset, hunc tamen Faesulanum ceteris praestantiorem iudicasset, lectiones in vita Catonis ab editione Leidensi anni 1734. discrepantes excerpsit. Ea excerpta Seebodeus, qua fuit erga me liberalitate, utenda mihi permisit. Signavi faes.

cf. Schotti editio fragmentorum Cornelii Nepotis p. 177. Montfaucon diarium Italicum 1702. p. 393. Bibl. *bibl.* p. 419. 430. Bandini bibl. Leopoldina T. III. Flor. 1793. p. 121 sqq. Gerlachii editio Salustii T. II. p. 43 sq.

7. Praeterea memoratur a Montfaucone bibl. bibl. p. 430. codex N.° 33. *Probus Æmilius de excellentibus Ducibus exterarum gentium* in bibliotheca ordinis Servorum S. Mariae Annunciatae. Qui liber an supersit etiamnunc, compertum non habeo. Neque absonum videtur monere hoc loco, Hænelii Viri Clarissimi codicem Florentiae et scriptum et in cœnobio quodam asservatum fuisse, donec nuper Francogallis dominantibus Patrum abdicatorum bibliotheca distracta est. Itaque fieri potest, ut sit liber Haenelianus idem atque hic memoratus.

M. ROMÆ.

De Romanis libris cum nihil fere antehac innotuisset, Alberti Dresselii Magdeburgici opera, cuius in amicitiam Richardo Lepsio Viro Doctissimo intercedente perveneram, factum est, ut non solum de eorum numero externaque specie sed etiam auctoritate constet. Quem virum, postquam per quattuor annos doctorum virorum desideriis Romae inservivit, altero oculo captum tam utilem reliquisse curam, dolebunt mecum quicunque norunt, quam raro homo Transalpinus eorum, qui bibliothecas Romanas custodiunt, gratiam inveniat.

a. Codices bibliothecae Vaticanae.

1. Codex Vaticanus 3170. chartaceus, foliorum quaternariorum 47. Sæc. XV. ineunte atramento pallido compendiisque non raro ambiguis scriptus; adnotatis in margine nominibus virorum, de quibus agitur, et scholiis quibusdam tam Latinis quam Græcis.

Inest *Probus Emilius de excellentibus Ducibus exterarum gentium* cum sex distichis.

Non tam consilio quam casu factum est, ut hunc codicem,

quem solum Montfaucon bibl. bibl. p. 108. commemoraverat, cum editione Lipsiensi anni 1828. Dresselius conferret. Signavi littera i.

2. Codex Vaticanus 3412. olim Fulvii Ursini, membraneus, foliis octonariis, Sæc. XIV. ineunte scriptus.

Inest *Emilius Probus. de vita XXII. Virorum illustrium grecorum* et *Cornelius Nepos de vita Attici.*

Ex hoc libro proposui varias lectiones ad vitam Timoleontis omnes, ad vitas Epaminondæ, Pelopidæ, Agesilai selectas.

3. Codex Vaticanus 5262. membraneus, foliis octonariis. In extremo folio hæc scripta: *1456. XVI. Kl' Apriles Dominicus Bellonus manu absolvit. Verum quia more maiorum hoc est priscorum scripsit, lectores scholasticos orat, nequid impingant aut ascribant. Nam illi quom pro cum, quur pro cur, quoi pro cui scribebant, quæ moderniores brevitatis causa aut minoris diligentiæ......*

Inest *Æmilii. Probi de clarorum imperatorum vita liber* cum Præfatione et sex distichis. Vita P. Virgilii Maronis. *Cornelius. Nepos. de. Vita. T. Pomponii Attici.*

Collata est cum hoc codice Timoleontis vita.

4. Codex Ottobonianus 1417. chartaceus, foliis dimidiatis, Sæc. XV.

Inest *Iustini Abreviatoris XLIIII. Librorum Trogi pompei hystoriography Liber*, tum fol. 108. *Ex Emilio Probo* vitae Miltiadis ceterorumque usque ad Phocionem, non integrae sed in angustum deductae.

Exempli causa duas Miltiadis et Themistoclis vitas p. 200. editionis meae repetii.

5. Codex Ottobonianus 1455. olim Ducum ab Altaemps, chartaceus, foliis dimidiatis Saec. XV. eleganter scriptus.

Inest Suetonius de grammaticis et rhetoribus, Cornelii Taciti dialogus de oratoribus et poetis, Pomponii Melae cosmographia, alia; tum *Ex libro Cornelii Nepotis de latinis historicis incipit vita Pomponii Attici* et *Verba ex epistola Cornelie Gracchorum matris ex eodem Cornelio.*

Utrumque fragmentum reperies collatum. Signavi ott.

6. Codex Ottobonianus 1711. Non est scriptus liber, sed Epistolarum Ciceronis ad M. Brutum, Quintum fratrem et Atticum cum *T. P. Attici. vita. per. Cornelium. Nepotem* editio Romana anni 1490, membranis impressa cum notulis viri cuiusdam docti manu scriptis.

7. Codex Ottobonianus 1909. olim Ioannis ducis ab Altaemps. chartaceus, foliis dimidiatis, Saec. XV.

Inest post Sallustii bellum Iugurthinum *Libellus de vita excellentium imperatorum probi Emilii.*

Ex hoc codice collata est Timoleontis vita. Signavi ott.

8. Codex Urbinas 436. membraneus, foliorum quaternariorum 63. diligenter et nitide scriptus; nominibus propriis in margine repetitis. Extremo folio scriptum *Liber Poggii* et credibile est, vel ipsum Poggium vel eius iussu doctum aliquem scribam librum conscripsisse.

Inest *Emilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium* cum distichis, *Cornelii Nepotis vita .T. Pomponii Attici, ex eodem vita Catonis, ex epistola Cornelie matris Graccorum ex eodem.*

Collata sunt fragmenta Corneliana et ex Æmilio Probo Timoleontis vita versiculique duodecim. Signavi urb.

9. Codex Urbinas 505. chartaceus, foliis quaternariis, anno 1421. scriptus.

Titulum, qui est *Emilii Probi de excellentibus ducibus exterarum gentium,* sequuntur vitae Hamilcaris, Hannibalis, Attici.

10. Codex Alexandrinus [5]) 768. olim Pauli Petavii (cuius manu primo folio scriptum οἷς ἀτυχῶ, λίαν εὐτυχῶ *PPetavius*) membraneus, foliis dimidiatis, Saec XV.

Insunt complurium vitae, ut Demetrii per Donatum Acciaiolum Florentinum. Sequitur *Vita Attici per Cornelium Nepotem* et *Verba Cornelie matris Graccorum.*

Hoc eodice primus usus est Ioannes Savaro in edendo Æmilio Probo. Diligentius utrumque fragmentum examinavit Dresselius, non neglectis lectionibus, quas ad Verba Corneliae Petavius cum e codice Gifanii tum ex suo ingenio depromptas in margine consignavit. Signavi alex.

cf. Æmilius Probus ed. Savar. Par. 1602. in praef. et p. 151.

---

[5]) Bibliotheca Alexandrina sive Reginæ est ea, quæ a Christina Alexandra, Suecorum regina, Pontifici Maximo dono data Vaticanæ anno 1690 accessit. cf. Greithi Spicilegium Vaticanum, Frauenf. 1838. p. 13 sqq. Pauli autem Petavii bibliothecam Christina, procuratore Isaaco Vossio, anno 1650. emerat.

11. Codex [6]) Alexandrinus 1843. chartaceus, foliis dimidiatis, Saec. XV.

Deest titulus, sed insunt vitae Æmilii Probi omnes, e quibus collata Timoleontis. Signavi alex.

b. codices reliquarum bibliothecarum Romanarum.

12. Codex Angelicus S. IV. 12. chartaceus, foliorum quaternariorum 66. diligenter scriptus, Saec. XV. ineunte. In margine scholia non indocta, quorum specimen proposui supra p. 201.

Inest *Emylii Probi de excellentibus ducibus exterarum gentium liber. ad Atticum.* cum procemio et versibus 12. elegiacis.

Collatam cum hoc codice videbis vitam Timoleontis integram et XII. versiculos excerptasque e reliquis quadringentas ferme lectiones. Signavi ang.

13. Codex Chisianus, membraneus, foliis octonariis, anno 1466. Senae Iuliae scriptus.

Inest *Emilii Probi de excellentissimis ducibus exterarum gentium liber ad Atticum* cum procemio.

Consultus est liber ad vitam Timoleontis, ubi signavi chisA.

14. Codex Chisianus F. IV. 101. chartaceus, foliorum quaternariorum 89. Saec. XV.

Inest *Emilius probus de excellentibus ducibus exterarum gentium.* Vitarum idem ordo est qui in Strozziano, de quo dixi p. 213.

Collata est ex hoc codice vita Timoleontis. Signavi chisB.

cf. C. Fea: questione antiquarie, Roma 1813. Blume bibl. librorum MSS. Italica p. 178., qui falso Cornelii Nepotis nomen posuit.

15. Codex Patrum Philippinorum.

Inest Æmilius Probus. Plura cognoscere cupientem Dresselium monachi prohibuerunt.

16. Codex collegii Romani, membraneus, foliis octonariis, Saec. XIII. exeunte diligentissime scriptus.

Inest *Probi Æmilii vitis illustrui virorum libellus aureus hac emendatissimus. Ex libro historiarum latinarum Cornelii nepotis.*

---

6) Est fortasse idem, quem Montfaucon p. 21. numero 301. insignitum continere tradit Sallustium, Sallustii et Ciceronis Invectivas cum Vitis Cornelii Nepotis. cf. Salustius ed. Gerlach. II. p. 28.

Catonis maioris vitæ brevis descriptio. Pomponii Attici vita et mores. Verba Corneliæ gracchorum matris ex cornelii nepotis libro excerpta. Mirum, post Attici vitam haec legi: *Emylius probus de Illustribus ducibus exterarum gentium explicit* et post Verba Corneliae haec: *Hi sunt quorum vita ab emylio probo descripta hoc codice continentur. Milciades Atheniensis*, et sic reliqui deinceps, postremus est *Pomponius Atticus romanus.*

Æmilii Probi praefationem contulit et quingentos fere locos, quos per omnem hunc codicem inspiciendos indicaveram, excerpsit Dresselius. Signavi collR.

17. Codex Barberinus miscellaneus, in quo insunt Hamilcaris et Hannibalis vitae.

Ceterum per iniquas leges, quibus hac tempestate Barberinis libris lecturi intercluduntur, fieri non potuit, ut aut hic codex aut reliqui, quos illic asservari compertum erat, examinarentur.

N. NEAPOLI, in bibliotheca Musei Regii Borbonici.

1. Codex IV. C. 14. membraneus, foliis quaternariis, Saec. XV. scriptus, litteris principibus pictis auroque exornatis, præfixis Virorum illustrium indicibus.

Inest: Clarissimi et eloquentissimi Viri Plinii Veronensis opus de Viris illustribus. Sequitur: *Æmilius Probus de excellentibus* [omissa voce *ducibus*] *exterarum gentium. Non dubito* etc. In fine Hannibalis additum: *Laus Deo.* Postremo Plutarchi libri duo de Fortuna Alexandri, in Latinam linguam conversi ab Iacobo Angelo ad Petrum Candiensem Cardinalem.

cf. Cataldus Iannelli: Catal. Bibl. Latinae MS. quae in Regio Neapolitano Museo Borbonico adservatur. Neapoli 1827. 4.° p. 84 sq.

2. Codex IV. C. 15. chartaceus, foliis octonariis chartae subnigrae minus eleganter scriptus. Saec. XV.

Inest: *Æmilius Probus de illustribus Ducibus externarum Gentium.* Hannibalis vitae subiectum: *Finis.* Sequitur: *Ex libro Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis Catonis Maioris vitae brevis descriptio* et Pomponii Attici vita, cuius in fine adscriptum: *Antonii Seripandi ex Iani Parrhasii Testamento.*

cf. Iannelli l. c. p. 85.

LIBRI MANUSCRIPTI GERMANICI.

A. KILIÆ in bibliotheca Regia.

Codex olim Budensis Matthiae Corvini regis, postea Petri Axenii, cuius ab heredibus anno fere 1796. in bibliothecam Kiliensem dono illatus est: membraneus, foliorum dimidiatorum 63. eleganter scriptus, primis singularum vitarum litteris auro distinctis; satis vetustus. (Saec. XV. nisi fallor.)

Inest *Emilii probi de excellentibus ducibus externarum gentium* cum prologo et sex distichis.

Primus hunc codicem inspexit Io. Fr. Noodt Slesvicensis, cuius labore anno 1747. Heusingerus usus est in paranda sua editione. Iterum libro diligentissime cum editione Lipsiensi anni 1806. composito Iul. Gul. Mosche lectiones ab illis vel praetermissas vel falso memoratas correxit et supplevit in tribus programmatis, Lubecae 1808—1810 editis. Signavi littera k.

B. GUELFERBYTI in bibliotheca Ducis.

1. Codex Gudianus 166. membraneus, foliorum quaternariorum 86. binis laterculis exaratus, litteris singulorum capitum principibus pictis, scripturae genere et compendiis iis, quae G. Freund in edita ab se oratione Ciceronis Miloniana opere lithographico describenda curavit, Saec. XII. exeunte, (ut mea fert opinio vel Augustae Trevirorum vel ab homine Treviro [7]) scriptus.

Foliis 56 primis continetur Valerii Maximi summarium in octo libros distributum, diversum ab iis quae A. Maius edidit, cuius principium: *Incipiunt capitula libri Valerii Maximi.* Tum fol. 57. *Ex libro Cornelii nepotis de latinis historicis incipit vita Attici.* fol. 60. *Emilius probus de excellentibus ducibus exterarum gentium* cum sex distichis. fol. 85. *Excerptum e libro Cornelii nepotis de*

---

[7]) Eius oppidi ter in margine scriba mentionem iniecit: memorat conditum a Trevete Semiramidis privigno et olim Trebiam dictam, tum, se vidisse ibi fratres duos ita inter se similes, ut unus pro altero salutatus sit. Præterea urbem nominat nullam.

latinis historicis [vita Catonis] et *Verba ex epl'a corneliæ Gracorum matris ex eodem libro cornelii nepotis excerpta.* Sequitur particula Iustini XXV. 4, 8. denique historiolae nonnullae, in quibus Alexander tertius pontifex maximus commemoratur, sed eae manu recentiore scriptae.

Codicem hunc primus consuluit Iac. Fr. Heusinger, Ioannnis Michaelis ex fratre nepos, cuius rei et in editione sua Officiorum Ciceronis et in programmatis duobus annis 1759 et 60. editis non pauca exstant argumenta. Postea God. Seebode Bardilii rogatu librum ad editionem Heusingerianam composuit. Denique contigit mihi, ut librum hunc omnium, quos adhuc superesse compertum est, longe optimum ipse tractarem et, qua par est, diligentia perscrutarer. Quæ res si commoda evenit Æmilio Probo et Cornelio Nepoti, gratia habenda est Viris Clarissimis Ph. C. Hessio et C. P. C. Schœnemanno, quorum virorum benevolentia factum est, ut Basiliam, quod oppidum DCCC. milia passuum Guelferbyto abest, transmitteretur codex egregius. Signavi littera a.

> cf. Iac. Fr. Heusinger de Corn. Nepote bene merendi aliquot subsidia bibliothecæGuelferbytanæ. Guelferbyti 1759. 4.º quem libellum repetiit Bardilius in editione sua T. II. p. 379 sqq. F. A. Ebert bibl. Guelf. codices græci et latini, Lips. 1827. p. 63 sq. Mirum, non reperiri codicis mentionem in Bibl. Gudii, Kilonii 1706. 4.º p. 566—568, neque inter codices Valerii Maximi eos, quos a Gudio inspectos prodit Io. A. Fabricius in bibl. Lat. Hamb. 1721. T. II. p. 459—464.

2. Codex Gudianus 278. membraneus, foliis octonariis, Sæc. XIII.

Insunt Ciceronis orationes Philippicæ. Primo folio *Cornelius Nepos in libro de historicis latinis de laude Ciceronis*, hoc est fragmenta duo ab Iac. Fr. Heusingero edita et libellis modo memoratis copiose defensa.

> cf. Bibl. Gudii Kilonii 1706. 4.º p. 559. N.º 196. Ebert bibl. Guelf. codd. p. 64. Supra p. 181.

C. LIPSIÆ in bibliotheca G. Hænelii.

Codex olim in cœnobio quodam Florentino asservatus, cf. supra p. 214., postea Alex. Padoani medici Foroiuliensis, emptus ab

Hænelio Romæ anno 1825. Chartaceus, foliorum octonariorum 225., atramento pallidiore scriptus. In extremo folio hæc leguntur: *M⁰ CCCC⁰ LXVIIII⁰ XII⁰ Kl'Augustas: Præsbyter Nicolaus Pini. Ecclïæ sancti Angeli plebanus manu hoc opg absolvit.*

Continetur primis 55 foliis *Æmilii Probi de clarorum imperatorum vita liber* cum præfatione et versibus 12. elegiacis. P. Virgilii Maronis vita. fol. 62. *Cornelius Nepos. de vita .T. Pomponii Attici.* Ciceronis et Salustii orationes invectivæ, Plutarchi vitæ octo interprete Leonardo Arretino. fol. 217. *Catonis vita incipit foe.* Commentariorum C. Cæsaris Prelium cum vertingentoride [Cæsar B. G. VII. 71—90. cf. ed. Herzog. p. 743.]

Librum hunc G. Hænelius Clarissimus in Academia Lipsiensi Antecessor, quæ est eius multis experta liberalitas, cum Gerlachii Viri Clarissimi amicitia intercessisset, utendum mihi committere non dubitavit, cui viro gratias ago iustissimas. Inter paucos enim sui generis is liber Attici Catonisque vitas Cornelianas continet, easque mirum quantum ab Æmilianarum specie discrepantes. Etenim in his *quom, quoi, quoius, quur, adferre, adcersere* alia id genus obsoleta scriba procudit vel potius in exemplari paulo antiquiore inventa recepit. Neque multum abest, quin exemplum existimem e Vaticano 5262. plane gemino descriptum. Codicem ad editionem Lipsiensem anni 1806. collatum signavi h.

D. VRATISLAVIÆ in bibliotheca Regia.

Codex Rehdigeranus, chartaceus, foliorum quaternariorum 118.

Inest Asinii Pollionis de progenie Augusti liber et Aemilii Probi vitæ excellentium imperatorum.

Varias ex eo codice lectiones ad Chabriæ et Timothei vitas spectantes a Passovio acceperat Günther, verum is duas retulisse satis habuit, quarum certe altera dubitari non debet quin falsa sit. Postea codicem examinasse audio Iulium Heldium, scholæ Sueidnicensis rectorem. Ego quamvis multo labore non sum consecutus, ut aliquid de eo libro certius comperirem.

cf. Cornelius Nepos ed. Günther, Halis 1820. p. 161.
A. Wachler de Thoma Rehdigero. Vratisl. 1828. p. 39.

E. VINDOBONÆ in bibliotheca Palatina sive Cæsarea.

1. Codex 254. olim U. 236. membraneus, foliorum quaternariorum 64. Sæc. XV.

Foliis primis 9. continetur Ex Cornelio Nepote (?) de vitis excellentium imperatorum (?) vita Hamilcaris, Hannibalis et Timoleontis particula. Sequitur Plinius de viris illustribus, Sextus Rufus, Fr. Petrarcha al.

cf. St. Endlicher Catal. codd. Latt. bibl. Palat. Vindob. Vind. 1836. 4.° p. 139.

2. Codex 3155. olim H. p. 596. chartaceus, foliorum dimidiatorum 174. Sæc. XV.

Post Plinium de viris illustribus et Dictyis Cretensis libros VI. sequuntur fol. 54—89. neque titulo neque subscriptione distinctæ vitæ Hannibalis, Hamilcaris, Timoleontis, Epaminondæ, Catonis cum Corneliæ Gracchorum matris epistola, Pelopidæ, Agesilai, Eumenis, Phocionis, Timothei, Miltiadis, Themistoclis, Aristidis, Pausaniæ, Cimonis, Lysandri, Alcibiadis, Thrasibuli, Iphicratis, Chabriæ, Cononis, Dionis, Datamis, Attici. Denique Plutarchi vitæ aliquot interprete Leonardo Arretino.

cf. St. Endlicher Catal. codd. Latt. bibl. Palat. Vindob. p. 140.

F. MONACI in bibliotheca publica.

Codex Latinus 433. membraneus, foliorum quaternariorum 89. Sæc. XV. dilucide scriptus, capitum litteris initialibus auro et coloribus varie pictis, vitarum indicibus nullis. Fuerat hic codex olim Io. Gremperi, postea Barth. Amantii (de quo cf. Adelung. Suppl. lex. Iœcheriani T. I. p. 686. Saxe Onomast. III. p. 170.) tum anno 1558 bibliothecæ Io. Iac. Fuggeri illatus, paulo post publicæ Monacensi, ab Alberto V. excitatæ.

Fol. 1. *Emilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium* cum versibus 12 elegiacis; fol. 77. *Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis* [vita Attici et Catonis.]

Hunc codicem anno 1595 Maximiliani ducis permissu Gifanio Ingolstadinæ academiæ antecessori creditum contulit G. Schoppe, adolescens annos XVIII. natus, et Verisimilium libris quattuor Noribergæ 1596. editis satis multas inseruit lectiones, paucas, hoc

est sex, M. Piccartus [8]) in Periculis suis criticis Altorfii 1608. editis p. 34. Anno circiter 1828. contulit codicem A. Iaumann, verum sine ullo editionis suæ vel fructu vel ornamento. Denique meis precibus obsecuti Viri doctissimi Io. Ge. Krabinger et Al. I. Vollmer codicem excusserunt, ille ut de specie habituque exponeret sexque disticha compararet, hic ut vitam Cornelii utramque, Æmilias duas Datamis et Timoleontis, præterea locos plus centum, quos per ceteras vitas inspici desideraram, cum editione Lipsiensi anni 1806. conferret, id quod ea sollertia ac religione fecit, qua maiorem vix cogitari posse arbitror. Quibus viris eius humanitatis gratias ago quam maximas. Codicem signavi mon. vel monac.

III. LIBRI MANUSCRIPTI GALLICI.

A. PARISIIS.

a. in bibliotheca Regia.

1. Codex Græcus 1863. chartaceus, foliis dimidiatis, Sæc. XV. [9])

Post Aristotelem de partibus animalium scripta est *Vita Pomponii Attici ex Cornelii Nepotis historia.* Sequuntur multi scriptores et græci et latini.

cf. Catal. codd. MSS. græc. bibl. Paris. reg. T. II. p. 412.

---

[8]) Schoppii collationem ad margines exempli Ingolstadini anni 1593. consignatam Piccartus acceperat describendam, non donatam. Eidem collationi I. A. Bose lectiones eas, quas ad vitas Iphicratis et Chabriæ primus prodidit, debuisse videtur. Quin etiam admodum nuper ea exstitisse putanda est, siquidem is Cornelius, quem ab Rittershusio collatione MSS. expolitum se vidisse anno fere 1755. apud F. D. Hæberlinum professorem Helmstadiensem narrat Meuselius (in horrei historici litterarii bibliographici fasciculo quarto anno 1791 edito p. 92.) sine dubio idem est atque Schoppianus. Verum hodie id exemplar deperditum esse videtur, quippe neque Helmstadii neque Guelferbyti a V. cl. Hessio repertum.

[9]) Videtur codex olim Cardinalis Radulphi fuisse, cf. Montfaucon bibl. bibl. p. 768. N.° 78. Non liquet, quinam sit hodie Montfauconis p. 760. codex Regius 5973. *Æmilius Probus* fol. Neque magis exploratum est, quemnam declaraverit Phil. Labbe: nova bibl. MSS. Paris. 1653. 4.° p. 65 his verbis: *Aimilii Probi de excellentibus Ducibus exterarum gentium liber ad Atticum*, cum epigrammate in calce.

2. Codex Latinus 5826. membraneus, anno 1437. scriptus.

Post alia exstant *Historiarum latinarum Cornelii Nepotis Capitula: vita Attici, vita Catonis,* tum *Æmilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium.* Sequuntur vitæ Plutarchi latine, Aurelius Victor, alii.

Uno loco inspexit Descuret in editione Paris. 1820., octo locis, cum anno superiore Parisiis commoraretur, amicissimus Wunderlich ICtus.

cf. Catal. codd. MSS. lat. bibl. Paris. reg. T. IV. p. 162.

3. Codex Lat. 5831. membraneus, Sæc. XV. exeunte eleganter scriptus atque exornatus.

Continet Plutarchi vitas latine interque eas Caroli Magni per Donatum Acciaiolum et *Pompeii Attici viri illustris et clarissimi civis Romani mores et vita per egregium virum Cornelium Nepotem.*

Hic codex ex editione aliqua latina Vitarum Plutarchi descriptus esse videtur. Tribus locis vitæ Attici, quos inspexit Wunderlich, consentit hic liber cum editione Plutarchi Romana.

cf. Catal. codd. lat. T. IV. p. 163.

4. Codex Lat. 5837., olim 5251. membraneus, anno 1459. exaratus.

Inest *Æmilius Probus de ducibus illustribus* cum Attici vita.

Tribus locis inspexit Descuret, octo Wunderlich.

cf. Catal. codd. lat. T. IV. p. 165. Montfaucon bibl. bibl. p. 756.

5. Codex Lat. 6143. chartaceus, olim Puteaneus, anno 1457. (Bononiæ, si Savaroni fides) scriptus.

Inest *Probi Emilii vitæ Atheniensium liber.*

Huius codicis primum ab Claudio Puteano Andreæ Schotto copia facta est anno 1578. cf. A. Schottus ad Æm. Prob. p. 2. et ad Sexti Aurelii Victoris epitomen cp. 34. Antw. 1579. deinde a Claudii filiis Ioanni Savaroni anno fere 1601. Sed neuter sæpe libri auctoritate nititur. Duobus in locis inspexit Descuret, quinque Wunderlich.

cf. Catal. codd. lat. T. IV. p. 207.

6. Codex Lat. 8534. membraneus, olim Colbertinus 3562. Sæc. XV.

Inest *Vita Pomponii Attici ex Cornelii Nepotis historia*, quam sequuntur Ciceronis epistolæ ad Brutum, ad Quintum fratrem et ad Atticum.

cf. Catal. codd. lat. T. IV. p. 488. Montfaucon bibl. bibl. p. 981. Tribus locis inspexit Wunderlich.

b. in bibliotheca Armamentarii.

7. Codex hist. Rom. 74. chartaceus, foliis quaternariis, Sæc. XVI.

Salustii opera; *Æmilius Probus de viris excellentibus.*

cf. G. Hænel Catal. libr. MSS. p. 318. Salustius ed. Gerlach. T. III. p. 367. Quinque locis inspexit Wunderlich.

B. LUGDUNI in bibliotheca civium.

Codex 158. membraneus, foliis quaternariis, anno 1470. scriptus. Inest *Æmilius Probus de excellentibus ducibus.*

cf. Hænel Catal. libr. MSS. p. 192.

C. MONTISFERRANDI (Clermont-Ferrand) in bibl. civium.

Codex membraneus, foliis quaternariis, Sæc. XIII.

Æmilius Probus de viris illustribus.

cf. Hænel Catal. libr. MSS. p. 140.

Est, nisi fallor, idem codex, quo usum esse Savaronem infra p. 236. docebo.

IV. LIBRI MANUSCRIPTI HISPANICI.

A. In bibliotheca S. Laurentii SCORIALENSI.

1. Codex Plut. III. Arm. g. N.° 2. membraneus, foliis dimidiatis, Sæc. XV. nitide scriptus.

Inest *Æmilius Probus de excellentibus ducibus.*

cf. Hænel Catal. libr. MSS. p. 935.

2. Codex Plut. I. Arm. O. N.° 10. membraneus, foliis dimidiatis, Sæc. XIV.

Inest idem opus et *ex libro Cornelii de Latinis historicis vitæ* [Attici et Catonis.]

cf. Hænel l. c.

B. MADRITI in bibliotheca Regia.

1.? Codex Cajon. X. N.° 161. Cornelius Nepos; carta á Salustio Crispo [10]).

2. Codex Cajon. X. N.° 190. membraneus, foliis octonariis, Sæc. XIV. Cornelius Nepos, vitæ excellentium virorum.

cf. Hænel Catal. p. 969.

C. TOLETI in bibliotheca Ecclesiæ maioris.

1. 2. Codices duo Cajon. 49. N.° 15 et 16. membranei, foliis quaternariis, Sæc. XIV. Insunt Cornelii Nepotis vitæ.

Horum altero Schottum usum esse suspicor, de qua re infra p. 235. dicam.

cf. Hænel Catal. p. 993.

D. VALENTIÆ.

Codex 187. membraneus, foliis quaternariis.

Inest *Æmilius Probus de excellentibus ducibus.*

cf. Hænel Catal. p. 1003.

V. LIBRI MANUSCRIPTI BATAVI.

LEIDÆ in bibliotheca publica.

1. Codex, quem vulgo Leidensem secundum dicunt, chartaceus, foliis dimidiatis, Sæc. XV. exeunte scriptus.

Hoc codice continentur Livii epitomæ (cf. Livius ed. Drakenborch. VII. p. 328.) Florus, Petrus Candidus Decembris de origine

---

10) Non dubito, quin hic codex personati illius Daretis Phrygii contineat historiam de excidio Troiæ, cuius initium: *Cornelius Nepos Sallustio Crispo S.* Ac ne supersit dubitatio, in eodem volumine Cajon. X. N.° 161. paulo infra Hænelius memorat contineri: *Daretis Phrygii historia e Græco sermone in Latinum versa a Cornelio Nepote.* Eadem res est in codice 288. bibliothecæ S. Albini Andegavi in Gallia. cf. Montfaucon p. 1228. et in codice ecclesiæ S. Petri prope Eboracum in Britannia. cf. Ed. Bernard Catal. MSS. Angliæ T. II. 1. p. 4. N.° 46. Montfaucon p. 673. et in Bodleiano Oxoniensi. cf. Bernard. I. 1. p. 162. N.° 3362. et aliis permultis. Ceterum quivis videt, quam parum certa fide de libris Hispanicis proditum sit.

fidei, Pomponius Mela, Fenestella de magistratibus Romanorum, Eutropius, Plinius de viris illustribus, *Probi Hæmylii de vitis clarorum Imperatorum liber* cum vita T. Pomponii Attici et Catonis Censorii vita. Sallustius, Vegetius, Petri Candidi dialogus de ignorantia vitæ.

cf. Catal. bibl. Leid. 1674. p. 400. no. 21. Catal. bibl. Leid. 1716. p. 325. no. 19.

Librum aliquot locis inspexerunt Thomas Munckerus et Petrus Burmannus maior, integrum contulit Franc. Oudendorpius cum editione Hackiana anni 1705. (?), quam collationem dono accepit Augustinus a Staveren. Signavi c.

2. Codex membraneus, foliis quaternariis, olim Isaaci Vossii et Vossianus A. vulgo dictus. Frequentes ad marginem et inter versus variæ lectiones e codice diverso excerptæ. Ultimo folio legitur: *Antonius Grinclus scripsit de mense Iulii MCCCCL quinto.*

Inest *Æmilius Probus de excellentibus Ducibus exterarum gentium.* Vita Attici. Vita Catonis. *Verba Corneliæ Graccorum matris ex Cornelii Nepotis libro excerpta.*

cf. Bernard Catal. MSS. Angliæ 1697. II. 1. p. 65 no. 2438. Montfaucon p. 679. no. 2438. Catal. bibl. Leid. 1716. p. 381. no. 52.

Contulit Augustinus a Staveren. Signavi d.

3. Codex chartaceus, foliis octonariis, olim Isaaci Vossii et Vossianus B., vel Bœclerianus vel Schefferianus vulgo dictus. Manus recens.

Inest *Probus Emilius de excellentibus Ducibus exterarum gentium.* Sequitur Catonis vita recentissima manu scripta, scilicet ex impresso Corneri exemplo repetita.[11]) Eadem editione usus esse videtur is, qui et inter versus et in marginibus varias lectiones adscripsit.

cf. Bernard Catal. II. 1. p. 67. no. 2556. Montfaucon p. 680. no. 2556. Catal. bibl. Leid. 1716. p. 387. no. 23.

---

[11]) Quidquid e vita Catonis profertur et a Bœclero et a Stavereno, conspirat cum editione Corneri: cuius rei alia causa esse non potest, cum ille editor codicem diversi generis secutus sit, quam ut eam vitam ex impresso libro descriptam statuas. Quod eundem dixi hunc librum atque Bœclerianum, de ea re infra amplius exponam.

Contulere Sebastianus Mieg Argentoratensis, Io. Henr. Bœcler, Augustinus a Staveren. Signavi l.

4. Codex chartaceus foliis octonariis, propter compendia lectu difficilis. Fuerat olim Isaaci Vossii et Vossianus C. Stavereno dicitur.

Insunt Æmilii Probi vita Attici, Catonis, *Corneliæ Graccorum matris ex Cornelii Nepotis libro excerpta*, Timoleontis, Amilcaris, Anibalis, Miltiadis, Themistoclis, Aristidis, Pausaniæ, Cimonis, Lysandri. [12]) Desunt Alcibiadis et ceterorum vitæ.

cf. Bernard Catal. II. 1. p. 68. no. 2570. Montfaucon p. 680. no. 2570. Catal. bibl. Leid. 1716. p. 388. no. 58.

Contulit Augustinus a Staveren. Signavi e.

Quattuor hos codices Leidenses quam dubia fide consuluerit Staverenus, post Heusingeri et Bardilii crimina pluribus exponam. Non uno nomine ille vir notandus. Primum enim non ad certum aliquod exemplum eos libros composuit, editionibus usus anno 1705 Ultraiecti, 1708 Oxonii, 1715 Londinii vulgatis: qua re factum est, ut non raro ex uno codice lectiones memoraret, quæ non minus in aliis comparebant, sed, quod ab exemplis non discrepabant, ideo non excerpebantur. Tum hæc excerpta ad Bosianam editionem, immemor quantum ea discreparet ab superioribus, applicavit, ut interdum lectiones a Bosio vel consilio vel errore receptas suorum librorum, quoniam de dissensu se non monuisse reperiebat, confirmatas existimaret consensu. Denique in tota re perficienda negligentia ac levitate usus est quanta qui maxima, siquidem et litteras, quibus libros distinxerat, confudit, et aliis locis alia de lectionibus eorum prodidit, et temerarias *Aldi*, Lambini aliorumque coniecturas, quas in nullo umquam libro visas esse compertum est, suorum auctoritate munivit. Itaque factum est, ut de libris Leidensibus, excepto fere Vossiano B., recte institui iudicium non queat, nisi ab aliquo rei librariæ perito iterum fuerint examinati. Quod ut fiat, vehementer et cupio et rogo.

---

[12]) Similiter vitarum ordo turbatus est in codice Strozziano cf. supra p. 215., paulo aliter in compluribus, quorum fit mentio nota 4.

VI. LIBRI MANUSCRIPTI BRITANNICI.

A. LONDINII in bibliotheca Harleiana musei Britannici.

1. Codex 2580. chartaceus, foliorum dimidiatorum 169. Sæc. XV. Foliis 53. continetur *Cornelii Nepotis Vita Pomponii Attici* (præcedit titulus pro Æmilio Probo et pauca de Eumene) *Catonis vita ex Æmilio Probo, Verba Corneliæ Matris Gracchorum ex Cornelio Nepote et aliunde, Æmilius* [13] *Probus de Excellentibus ducibus exterarum Gentium,* liber imperfectus, desinens in vita Epaminondæ. Sequuntur Andreæ Iuliani et Guarini Veronensis orationes et epistolæ.

Verborum Corneliæ exemplum Iacobus Bongarsius ex hoc codice desumptum Andreæ Schotto e Germania dono misit. cf. edit. Schott. p. 177.

cf. A Catalogue of the Harleian bibl. London 1759. Catal. of Manuscripts in the british Museum, Lond. 1808. fol. T. II. p. 701.

2. Codex 2601. chartaceus, Sæc. XV.

Cornelii Nepotis de excellentibus Græciæ et exterarum Gentium ducibus, auctore catalogo anni 1808.; *Cornelii Nepotis fragmenta quæ secutus est Livius,* fide catalogi anni 1759. utrumque, ut opinor, falsum.

B. OXONII.

Codex vetustissimus (?), olim Francisci Bernardi.

Deest titulus, sed insunt Æmilii Probi vitæ et Cornelii Nepotis vita Attici et Catonis. Sequuntur Lactantii versus de Phœnice.

Codicem a Bernardo creditum contulisse se credi vult G. A. nescio qui, certe levissimus homo, qui editionem Oxon. 1675. 1697. 1708. (tertia Staverenus usus est et ego) curavit.

cf. Bernard Catal. MSS. Angliæ II. 1. p. 90. no. 3611. Montfaucon p. 683. no. 3611.

---

[13] *M. Æmilii Probi de exc. duc. ext. gentium liber* legitur in catalogo anni 1759.

C. CANTABRIGIÆ in bibliotheca collegii S. Trinitatis.

Codex nitidissimus, quo continetur *Aemilius Probus de excellentibus exterarum nationum Viris.* Codicem conferendum curavit Stubbeus, Cantabrigiensis professor, in usum istius G. A. qui editiones Oxonienses emisit. Eius hominis opera, non minus pigritiæ quam malæ fidei documentum, de integro reficienda est.

cf. Bernard Catal. I. 3. p. 96. no. 291.

VII. LIBRI MANUSCRIPTI DANICI.

HAUNIÆ in bibliotheca Regia.

Codex membraneus, foliorum quaternariorum 72., nitide scriptus, litteris singulorum capitum principibus variis coloribus auroque adumbratis, rebus gravioribus ad marginem repetitis, Sæc. XIII. (?) ineunte scriptus, olim Ottonis Comitis de Thott, cuius post mortem 1785. testamento in bibl. Regiam illatus est.

Inest *Emilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium.*

De codice hoc exposuit et nonnullas inde lectiones, præsertim ad Miltiadis et Hamilcaris [14]) vitam spectantes, excerpsit Io. Henr. Schlegelius: Observatt. criticæ et historicæ in Corn. Nep., Hauniæ 1778. 4.° p. 24 sqq. Signavi thott.

VIII. LIBRI MANUSCRIPTI HELVETII.

SANGALLI in bibliotheca civium sive Vadiana.

Codex B. I. 10. membraneus, foliis octonariis, nitide ac dilucide scriptus, Sæc. XIV.; vel teste Orellio V. Cl., ab Italo quodam, quo tempore Constantiæ concilium habitum est.

Inest *Emilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium. Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis: incipit vita Athici. Ex eodem vita Catonis.*

cf. Hænel Catal. p. 732.

---

[14]) Atque eas quidem, satis pravo consilio, quas nemodum commemorasset.

Hunc codicem inter paucos magni faciendum cum editione Lipsiensi a. 1828. sollerter ac diligenter contulit Io. Iac. Bernet V. D. M. bibliothecæ civium Sangallensium præfectus. Cuius viri rarissimam humanitatem et laudibus prosequi et cum gratia referre mihi religioni duco. Signavi b.

LIBRI DEPERDITI AUT HODIE IGNOTI.

A. HIER. MAGIUS, antequam ederet Æmilium Probum, complures codices scriptos una cum Pompeio Nutio iuvene litterarum studioso contulerat, unum post editum inspexit. Nominat

1. Librum Venetum e bibliotheca cœnobii D. Antonii acceptum, membraneum, quo continebatur Æmilius Probus cum sex distichis; præterea vita Catonis. Hodie ne cœnobium quidem illud superest, audivitque ab Iacobo Morellio Rinckius, ante annos plus centum conflagrasse. Neque ulla eius apud Montfauconem mentio facta. Videtur tamen ab I. Ph. Tomasini in eo libro, quem de bibliothecis Venetis MSS. publicis et privatis Utini 1650. edidit, Antoniæ bibliothecæ index proditus esse; in quo nescio an Æmilius Probus compareat.

2. Codex Burgensis, chartaceus, cuius Magio copiam fecerat quidam Gaspar Fuccius architectus, in quo inerat Æmilius Probus cum versibus duodecim elegiacis. — De eo libro res adeo obscura est, ut ne oppidi quidem, a quo dictus est, nomen sit in aperto. Certe is codex Burgensis, quem in Hispania vidit Andreas Schottus, in rebus omnibus a Magii diversus fuit. cf. Edit. Bardilii T. I. p. XII. Neque desunt Etruriæ et Umbriæ oppida, unde is liber Burgensis dici poterat.

3. Codex membraneus Æmilii Probi, alioquin ignotus. cf. Bardili T. I. p. VII.

Atque his codicibus ita Magius usus est, ut vulgares inde libros raro emendaret, rarius varias lectiones proferret, idque non sine aliqua suspicione nominum et auctoritatum vel negligenter vel per errorem confusarum. Posteaquam editionem suam absolvit, Venetiis in ædibus Zirleti bibliopolæ Magio oblatus est

4. Codex Arnoldi Arlenii Belgæ, quem is Ferrariæ emerat. Cui inscriptum erat: *Aemylii Probi de imperatoribus exterarum gentium*

liber, et in fine subscriptum: *Completum est opus Aemylii Probi Cornelii Nepotis*. Sed incertum, fragmenta Corneliana utrum in codice scripta fuerint et quo loco, an omissa fuerint. Tum id quoque dubium est, ipsiusne Arlenii liber fuerit, an, id quod magis credibile, eius, cui Arlenius a bibliotheca erat, Didaci Hurtadi de Mendoza Hispaniarum regis apud Venetos legati. Ea bibliotheca cum Mendoza mortuo in Scorialensem illata sit, ibi fortasse Arlenianus liber reperiri poterit.

cf. Hier. Magii Miscellanea 1564. IV, 15.

B. CODEX DANIELIS sive GIFANII.

Iacobus Bongarsius Godofredo Iungermanno, cum is Probi vitas fragmentaque Corneliana editurus esset, editionis Longolianæ a. 1543. dono dedit exemplum, in cuius marginibus Petri Danielis Aureliani manu adscriptæ erant variæ lectiones, e membranis vetustissimis excerptæ [15]). Eam lectionis varietatem ad calcem editionis Francofurtanæ typis Marnianis 1608. expressam reperies, satis illam quidem diligenter institutam, sed typothetarum mendis non raro corruptam et, quod magis doleas, in media Agesilai vita 5, 2. intermissam [16]). De hoc codice, quoniam omnium quicunque innotuerunt longe optimus fuit ac non sine magna criticæ artis iactura intercidit, paulo copiosius dicendum existimavi.

Vitarum tabulæ præfixus erat index hic: *Incipiunt capitula in librum Aemilii Probi de excellentibus ducibus exterarum gentium* et ipsi libro titulus: *Liber Aemilii Probi de laudibus* (?) *exterarum gentium. Prologus. Non dubito* cet. Ante Attici vitam legebantur hæc verba: *Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis*, Catonis vitam sequebantur *Verba ex epl'a Corneliæ Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis excerpta*. Liber vetustissimus videtur fuisse, neque tamen antiquior Sæc. XI., siquidem Themist. 10, 3. scriptum erat *his* ꝙ *u'bis* i. e. his quidem verbis.

---

15) cf. Præfatio excerptis e codice Danielino præposita, et G. Iungermann in notis ad Iul. Pollucem ed. Hemsterh. p. 43 b.

16) Nisi quod quater ad Eum. 3, 4. 8, 1. Hamilc. 4, 3. Hann. 3, 4. Danielini libri auctoritas laudatur, ut manifestum sit, non defuisse membranas, sed qui conferret. Neque Cornelii Nepotis fragmenta in eo libro desiderabantur, si Gifanianum librum eundem fuiss e recte statuo.

Asservatum fuisse arbitror in bibliotheca S. Benedicti Floriacensis ad Ligerim, quod fuit florentissimum prope Aureliam cœnobium, antequam in bellis Francogallorum civilibus anno 1562. diriperetur. Indidem reliquam suam supellectilem librariam amplissimam Daniel, cœnobii tum advocatus, nactus est.

cf. Premier voyage littéraire de deux Bénédictins de S. Maur p. 65 sq. A. Septier Manuscrits de la bibl. d'Orléans, 1820. p. 287.

Conferendi laborem, tam utilem libris vulgaribus futurum, quominus ad finem perduceret [17]) multæ res prohibere potuerunt, interpellarunt, ut equidem opinor, Gifanii amici preces, qui eum codicem sibi credi postulabat. Postea Danielis collatio cessit Bongarsio, nescio utrum ante annum 1581. (cf. Bong. ad Iustinum II. p. 86, 28.) an mortuo demum Daniele.

Codicem, ut ego quidem statuo, Daniel vel dono dedit vel utendum commodavit Oberto Gifanio, ut non alius sit Gifanianus codex atque Danielinus. Eius rei auctorem habeo A. Fabricium bibl. latina, Hamb. 1708. I. p. 64., recentem quidem sed gravem, ut qui plurimas collectas haberet virorum doctorum, sicut Iungermanni, epistolas. Accedit, quod Iungermannus dixit, videri sibi alios antea eodem codice usos esse. Verum vel sine testibus spero me de ea re æquis iudicibus persuasurum. Primum enim Gifanius in Conlectaneis suis Lucretianis veteri libro ita utitur, ut appareat cum maxime inter edendi laborem accepisse statimque contulisse [18]). Tum familiaris Danieli erat [19]) plurimosque ab illo codices scriptos acceperat, etsi, quod fuit ingratum subdolumque hominis ingenium,

---

[17]) Laudatur ab Daniele ad Epam. 8, 2. Cuiacii Observationum liber quintus, Lugduni anno 1562. editus.

[18]) Conlectanea enim cum per litterarum ordinem digesta sint, veteris illius libri ante vocem *Ingratis* mentio facta est nulla, inde vero paulatim crebrior, postremo plurima iniicitur; denique ut priorum litterarum defectum suppleret, Gifanius appendicem addidit. Is liber typis exprimebatur anno 1565.

[19]) cf. Mureti epistolæ I. ep. 78. et *αὐτόγραφοι* Gifanii ad Danielem epistolæ tredecim, quæ Bernæ in codice MS. 141. continentur, anno 1566. et insequentibus Parisiis et Aurelia et Argentorato datæ. In quibus doleo non inventam esse, quod suspicatus eram, crediti codicis Æmiliani mentionem. Multus in iis est sermo de edendo Gellio.

(cf. Scaligeri iudicium in Gudii epistolis a Burmanno editis p. 356.) meritas amico gratias non egit. Denique duorum codicum indoles plane eadem est, et ubique, nisi quid errore turbatum est, lectiones proditæ concinunt, quod non parvi faciendum est in illa singulari et prope unica codicis Danielini integritate ac præstantia. Quæ si recte disputata sunt, non diversus fuit Gifanii liber vetus a membranis Danielinis.

Gifanius igitur hoc codice cum editione Magiana [20]) collato, plurimas lectiones, quæ erant totidem vulgarium librorum emendationes, Conlectaneis suis Lucretianis inseruit (quas dolose sublegit Lambinus [21]) paucas in Observationibus de Lingua Latina post eius mortem 1624. mendosissime editis atque in epistola quadam (Burmanni Sylloge I. p. 342.) prodidit. Præterea excerptarum e codice suo lectionum copiam fecit Claudio Puteano omnium et Paulo Manutio earum, quæ ad Attici vitam pertinebant, utrique Venetiis, in quam urbem Gifanius, legato regis Gallorum ab epistolis, anno 1568. profectus erat. Et Manutius quidem scholiis a se in Attici vitam iam conscriptis et simul cum commentario in epistolas Ciceronis ad Atticum Venet. 1568. 8. edendis inseruit acceptas a Gifanio lectiones cum nonnullis eiusdem emendationibus. Quæ scholia sæpius repetita, postremo Venet. 1582. typis Aldinis edita sunt. Claudius vero Puteanus ineunte anno 1570. Venetias profectus, cum Gifanio fraudis Lambini, cuius ipse minister fuerat, aperuisset rationem [22]), amicitiæ fructum tulit variarum codicis lectionum exemplum. Eas schedas Puteanus cum Andrea Schotto, anno 1578. Parisiis communicavit [23]), aliud exemplum Christophorus Puteanus, Claudii filius natu maximus, sua manu scriptum Ioanni Savaroni anno 1602. obtulit. Nec dubito, quin ab iisdem Puteanis acceptæ sint paucæ illæ lectiones, quas Paulus Petavius

---

20) cf. lectiones ad Milt. 3, 3. 3, 6. 8, 1. Eum. 3, 4. memoratæ.

21) vide Mureti epistolas I. 76. 77. II. 7. Id nesciverunt Bosius ad Timol. 3, 2. Ernstius ad Hamilc. 1, 4. cf. tamen Thomasius de plagio §. 448.

22) Hæc ex epistolarum codice Bernensi MS. 141. desumpta.

23) cf. Schotti editio Æmilii Probi p. 2. Sed spectabant ad solum Æmilium Probum, cum ad vitam Catonis Corneliæque verba Schottus Gifaniani codicis mentionem non faciat, ad Attici vitam e commentario Manutii petat. Verum Savaronis excerpta ad utrumque scriptorem pertinebant.

in margine codicis quondam sui, nunc Vaticani cf. supra p. 216. ad Verba Corneliæ adscripsit. Neque magis Gaspar Schoppe, quamvis familiaris esset Gifanio, ipsum codicem tractavit, nullamque lectionem solus, unam ad Milt. 5, 3. primus prodidit.

Enumeravi libros omnes, in quibus aliquam memoriam codicis Danielini sive Gifaniani superesse exploraveram. Præterea neque in libris neque in bibliothecarum pluteis eius libri vestigium deprehendi. Danielis anno 1603. mortui libros Iac. Bongarsius et Paulus Petavius emerunt: Bongarsiana pars aliquamdiu Argentorati collocata anno 1632. delata est Bernam, Petaviana anno 1651. Holmiam, inde post aliquot annos Romam deportata. Pauci quidam codices Danielini Amstelodamum, Genevam, Parisios devenerunt. Sed nusquam præstantissimus ille codex inveniri potuit. Relinquitur, ut Gifanius existimetur codicem vel dono acceptum vel per fraudem [24]) retentum possedisse. Gifanium reperio Pragæ anno 1604. mortuum, eiusque filium Oeniponti commorantem anno 1660. cf. Burmanni Sylloge epp. T. III. p. 816 sqq., ut fortasse liber ille, nisi in perpetuum periit, in Austriacis bibliothecis reperiri possit.

Signavi dan. *et* gif.

C. CODEX A. SCHOTTI.

Codex membraneus, anno M. CCCC. L. scriptus, in quo continebatur *Æmilius Probus de Excellentibus ducibus exterarum gentium. Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis vita Attici.* vita Catonis.

Hunc librum in Italia comparaverat Franciscus Bovadilla de Mendoza Cardinalis idemque Archiepiscopus ecclesiæ Burgensis in Hispania. Eius anno 1566. mortui bibliothecam emit Garcias de Loaysa Archiepiscopus Toletanus. cf. A. S. Peregrinus (i. e. Andreas Schottus) Hispaniæ bibliotheca, Francof. 1608. p. 543 sq. Schotti editio Nepotis p. 160. 174. Contulit Schottus, dum annis 1580—83 Toleti commoratur, Æmilium Probum cum exemplo Lambiniano, vitam Attici cum editione Simeonis Bosii 1580. Haud scio an alter codicum, quos supra p. 226. docui Toleti asservari, Schottianus sit. Signavi schott.

[24]) Symmachi sane codicem MS. præstantissimum a Gifanio ex bibliotheca D. Marci Veneta fuisse surreptum, exprobravit Schoppe in præfatione Symmachi Mogunt. 1608. et in Amphotidibus Scioppianis Paris. 1611. p. 139.

D. CODEX LANGII sive PIGHII.

Stephanus Vinandus Pighius annalibus suis Romanorum T. II. p. 220. libro IX. *Vitam Marci Catonis ex Cornelio Nepote de Viris illustribus*, quam videtur typis nondum editam putavisse, et T. III. *Epistolarum fragmenta duo*, quæ quidem tum edita non erant, *Corneliæ P. F. Gracchorum matris ad C. Sempronium filium Tribunatus plebis Candidatum: ex Corn. Nepotis libro de latinis historicis* inseruit, edidítque Pighio mortuo A. Schottus, Antw. 1615. Catonis vitæ ei copia facta erat ab amico Carolo Langio Bruxellensi, quem scimus anno 1573. mortuum esse. Id exemplum, cum per se vitiosissimum esset, Pighius suis inventis corrupit; neque Epistolarum fragmentis abstinuit, e codice, si non Gifanianus fuit, certe optimo descriptis. Quam ob rem Pighianam varietatem referre nolui.

E. CODICES SCHOPPII.

De uno Schoppii libro, quem e Monacensi bibliotheca acceperat, etiamnunc superstite supra dixi p. 222. Eiusdem bibliothecæ alium codicem, chartaceum, in quo solæ Æmilii Probi vitæ inerant, et ipsum a Gifanio commodatum, Schoppius inspexit. Paucas commemorat lectiones, quæ pleræque in editione Veneta principe exstant, ut ex ea descriptus fuisse videatur. Quare repetere nolui. Hunc librum, Bavaricum secundum dicere consuerunt, dudum non reperiri Monaci, scripsit mihi humanissimus Krabinger. Quid, si Patavium delatus sit? cf. supra p. 209.

Præterea idem ille Schoppius in libro de arte critica Norībergæ anno 1597. edito et Amstel. a. 1662. repetito, ad Cornelii Nepotis locum e vita Attici 21, 4. se vidisse ait in tribus optimæ notæ codicibus scriptum *fistula puris*. Sane repererat *fistulæ puris* in Monacensi scriptum. Verum quod amplius est, non dubito *quin* id ex vano haustum sit.

F. CODEX SAVARONIS.

Ioannes Savaro Arvernus, qui Parisiis anno 1602. Æmilium Probum et Cornelii Nepotis fragmenta edidit, præter libros ab aliis commodatos, de quibus supra p. 216. 224. 234. dictum est, consuluit codicem ab Guiberto Mauguin, ecclesiæ Claromontensis canonico et syndico, sibi dono datum, quem librum ut ceteris longe

integriorem atque emendatiorem plerisque in locis sequendum existimavit. Erat eleganter scriptus et præter Æmilium Probum vitam T. Pomponii Attici ex Cornelio Nepote vitamque Catonis et *Verba Corneliæ Gracchorum matris ex Cornelii Nepotis libro excerpta* continebat. Codex videtur etiamnunc Montisferrandi asservari; vide supra p. 225.

G. CODEX SALISBURGENSIS.

In Sylloge epistolarum Burmanniana T. III. p. 310. litteræ exstant ab I. Fr. Gronovio anno 1652. ad N. Heinsium datæ, in quibus ille ait, Salisburgi in palatio Archiepiscopi se vidisse in parvo scrinio collocatos codices Plauti, Cæsaris, Celsi, *Nepotis*, Tibulli, aliorum scriptos.

H. CODEX HEINSII.

Idem Nicolaus Heinsius in litteris ad Gronovium anno 1657. datis cf. Burmanni Sylloge T. III. p. 367. scribit se Æmilii Probi habere scriptum exemplar, sed chartaceum. Non reperi memoratum in Bibl. Heinsiana, Lugd. Bat. s. a. 12.°

I. CODEX UFFENBACHII.

In bibliotheca Zach. Conr. ab Uffenbach, quæ Francofurti ad Mœnum constituta erat, asservabatur codex, numero 160. insignitus, membraneus, foliorum octonariorum 86., litteris initialibus variis coloribus eleganter exornatis, vix ante Sæc. XV. scriptus.

Foliis 71. primis continebatur *Æmilius Probus de claris ducibus*, cuius tamen præfatio cum principio Miltiadis desiderabatur. Post duodecim versiculos scripta erat Attici Catonisque vita, postremo loco epistola Corneliæ.

De hoc codice disseruit versusque elegiacos descripsit Io. Henr. Maius: bibl. Uffenbachiana MSS. 1720. P. IV. p. 220 sq. Quo delatus sit, ignotum. Certe neque Gœttingæ, neque Bambergæ repertus est.

K. CODEX ARNTZENII.

Ioannes Arntzenius in sua Pliniani Panegyrici editione anno 1738. emissa p. 243. vidisse se scribit in codice MS. *odium* scriptum pro *odio* ad Hann. 2, 3. eamque varietatem comprobari codicis Vossiani tertii a Stavereno collati auctoritate.

LIBRI FICTI FALSOQUE IACTATI.

A. CODEX LONGOLII.

Guibertus Longolius, qui Coloniæ anno 1543. Æmilium Probum edidit, exemplaris scripti fide se multa correxisse profitetur. Verum neque lectiones e codice propositæ, quamvis sint paucæ [25]), ei rei fidem faciunt, neque omnis Longolii labor is est, qui ad librorum haud dubie inspectorum auctoritatem accedat. Totus ex editione pendet Argentoratensi anni 1511. et quidquid ex ea non petiit, ex suopte ipse ingenio procudisse putandus est. Eam varietatem repetere nolui. cf. Bardilii præf. nota 54.

B. CODICES ERNSTII.

Henricus Ernesti, Ernstium vulgo dicunt, et Cornelii vitam Attici et Æmilii vitas librorum scriptorum ope a se gloriatur esse emendatas. Et Attici quidem vitam edidit Hauniæ 1629. et Amstelodami 1637., de quibus libellis Harlessius exposuit ad *Attici* principium. Æmilianas vitas non ipse edidit, sed ad eas scholia a se conscripta Bosio transmisit, quæ editioni Lipsiensi anni 1657. accederent. Is igitur Attici codices scriptos refert a se examinatos duo Mediceos bibliothecæ Laurentianæ, quos utendos credidisset Ferdinandus III. Etruriæ princeps. Sane illo tempore Florentiæ soli duo codices Corneliani servabantur, plutei LXIII. codex 30. membraneus et plutei LXVII. codex 25. chartaceus, de *quibus* supra dixi p. 211 sq., neque dubitari potest, quin Ernstius, cum anno circiter 1632. Italiam peragraret, bibliothecam illam viderit, siquidem eius catalogum descripsit, postea editum Amstel. 1641. Verum ut viderit eos codices [26]), usus cum fide non est. Quippe quæ lectiones per se satis sunt probabiles, demonstrari potest, eas e libris editis desumptas esse; contra eæ, quas primus protulit, suspicione fraudis premuntur.

---

25) Novies ad libri sui auctoritatem provocavit, et impudenter quidem Milt. 4, 3. Them. 4, 1. Alc. 7, 4. Reliquis fere locis librum suum fecit cum editione Argentoratensi consentientem.

26) Quamquam non recte utrumque membraneum dixit. Ceterum de alia improbitate eiusdem Ernstii videndus Endlicher in Analectis grammaticis, Vindob. 1837. præf. p. XVI.

Magis etiam dubia est Ernstii fides in proferendis lectionibus, quas e codicibus Æmilianis excerpsisse videri vult. Complures enim cum inspexisse memoret cf. ad Them. 1, 2. Alc. 2, 2. unumque vetustissimum membraneum, in quo Attici quoque et Catonis vitæ inerant, Aureliæ ex bibl. Io. Thiballieri nescio cuius suo ære emptum ad manum se habuisse dicat, permirum accidit, qui factum sit, ut lectiones non reperiret in suis libris nisi vel ante se proditas vel post se a nemine inveniendas. Quare recte de fide codicum Ernstianorum Heusingerus et Bardilius meus dubitavit; verum non librarius aliquis insimulandus erat, tamquam codicem suum interpolasset, sed Ernstii improbitas notanda erat, quem oportebat, si modo unum codicem veterem inspexisset, multis locis emendare libros vulgares. Equidem a me impetrare non potui, ut Ernstiana lectionis varietate meas copias inquinarem.

C. CODEX LEIDENSIS BŒCLERI.

Difficillima res est de codice Leidensi priore, cuius ducentæ fere lectiones leguntur in editione Argentoratensi anni 1640., ut vix quidquam veri simile statui possit. Namque ante illatos bibliothecæ Leidensi codices Vossianos unum modo codicem Æmilii Probi scriptum, eum de quo supra p. 226 sq. dixi, norant et editi annis 1595. 1625. 1640. 1674. 1716. catalogi et, quod Cl. V. Iacobus Géelius me docuit, scripti eius bibliothecæ indices. Iam attende, quæso, quæ sine ulla dubitatione de altero quodam codice verba fecerint Boxhornius, Bœclerus, Schefferus, Gronovius. Ille in litteris ad Bœclerum Leida Cal. Oct. 1639. datis [27]) sic ait: *Laudo curas tuas, quas Cornelio Nepoti impendere decrevisti. — Nepotis exemplar antiquissimum in membranis exstat in Academiæ nostræ bibliotheca.* Tum Bœclerus in editione sua prima, cui extremam manum IV. Id. Ianuar. 1640. admovit, sic: *Lectiones quædam Manusc. Leidensis. Indicium mihi per litteras fecerat — Marcus Zuerius Boxhornius, asservari in Bibliotheca Leidensi MSC. quendam codicem Cor. Nepotis. eius ego postea enotatas, industria Ioannis Schefferi Nostri, studiorum caussa Leidæ agentis, lectiones accepi. quas ne omnes huc transferrem, caussis non levibus sum retentus. præsertim cum pleraque ad codicem P. Danielis, congruerent,*

27) cf. Chr. Aug. Heumanni Pœcile, Halis 1726. 8.° T. II. p. 412 sq.

cuius lectiones in Lambin: edit. sunt annotatæ. Schefferus autem in scholiis suis ad Æmilium Probum, quæ inserta sunt Miscellanearum observationum criticarum Volumini VIII. et IX. (Amst. 1738.) lectiones codicis MS. Leidensis aliquoties [28]) laudat easdem, *quas* Bœclerus protulerat, nec tamen usquam a se collatum fuisse memorat librum eum. Denique Iacobus Gronovius in editionis operum Ciceronis a se Leidæ 1692. emissæ septima parte, in qua *Attici* vita inest, codicem bibliothecæ Academiæ Leidensis MS. sexies commemoravit, tamquam inspectum antea ab Ernstio [29]) ipse iterum contulisset; atque is unam prodit lectionem, a Bœclero memoratam, reliquas solus.

Codicem igitur aliquem antiquissimum in membranis, qui *Æmilii* Probi vitas omnes et Cornelii vitam Attici continebat, in Leidensi bibliotheca vidisse volunt viri non contemnendi, ignoraverunt ipsius bibliothecae custodes ad unum omnes. Inde non potest non colligi, rem vel errore vel fraude implicatam esse. Existimet quispiam, visum fuisse viris illis codicem Leidensem hodie superstitem; at is est chartaceus et continet Catonis quoque vitam et longe deterior [30]) est. Coniecerit aliquis, dolo malo vel Boxhornium vel alium quem lectionum specimen illud confinxisse, delectis ex editione Ultraiectina et codicis Danielini Gifanianique collatione iam tum edita optimis lectionibus. Sed ne talis quidem suspicio omnem rei difficultatem expedit, cum in his excerptis reperiantur haud paucæ lectiones nec aliunde notæ et verissimæ. Quare equidem ita opinor, ut ab aliquo docto viro excerptas ex ipso codice Danielino lectiones putem adscriptas fuisse ad margines editionis Lambinianæ [31]),

---

[28]) Quaterdecies hoc factum est, sed ad Bosianæ, ut videtur, editionis fidem, cum ad Timol. 1, 3. in codice Leidensi memoret esse *et patriæ parere legibus*, quem errorem Bosius induxerat.

[29]) Nescio, unde Ernstii nomen Gronovius sumpserit. Ipse Ernstius codicem Leidensem nusquam commemoravit.

[30]) Ut paucis utar exemplis, Them. 1, 3. et Ages. 8, 2. desiderantur verba, quæ Leidensis Bœcleri in paucis servavit.

[31]) Lectiones omnes ad editionem Lambinianam anni 1569. congruunt, nisi quod ad Eum. 9, 2. *transisse* et ipsum Lambinus ediderat. Ceterum Leidæ quod servatur Lambinianum exemplum, non collatione codicis alicuius exornatum est, neque manu Henrici Stephani, sed adscriptæ sunt ex editione Francofurtana anni 1608. codicis Danielini paucæ lectiones. Docuit humanissimus vir Iac. Geel.

interpositis suis coniecturis et emendationibus; earumque exemplum pro collatione genuina Bœclerum accepisse. Certe aliquam fraudem latere, eo adducor ut credam, quod multæ lectiones et per se et quia in nullo postea libro repertæ sunt, in tam egregio codice nequaquam credi possunt exstitisse [32]), et magis etiam suadet ipsius Bœcleri ratio, qui ea excerpta, cum semel protulisset, in iteratis suis editionibus neque repetenda curavit neque adeo ad emendandum adhibuit, etsi aliquot annis post codicem nactus, qui fuit longe deterior Leidensi, multa inde ad emendationem vulgarium exemplarium convertit, plurima scholiis inserta aliquoties repeti passus est.

Quæ cum ita sint, lectiones e Leidensi codice excerptas neque relegandas putavi, neque, nisi aliorum librorum auctoritas accederet, sequendas. Signavi leid.

D. CODEX BOECLERIANUS.

Bœcleriani codicis hoc loco mentionem inserendam existimavi, non quo negarem omnino fuisse, aut dubia fide consultum iudicarem, sed ne quis librum, cuius plurima est in superiorum interpretum commentariis memoria, incuria a me neglectum arbitraretur vel sponte prætermissum. Bœcleri librum admitto, non reiicio, sed ita mihi persuasi, ut in nulla re ei libro non convenisse statuam cum Leidensium codicum tertio (Vossianum B. vulgo dicunt, cf. supra p. 227.) nisi in nomine, quod ab alio domino diversum nactus erat, Bœclero. Non est novum, quod posui. Quippe ipse Staverenus, cum primum Nepotem ederet, præfatus erat, videri sibi Vossianum codicem vix alium atque Bœclerianum. Commendabat eius sententiam ipsa quasi historia, qua Bœclerum una cum Vossio, librorum MSS. cupidissimo, in Suecia commoratum traditum est; accedebat, quæ fidem faceret, lectionum e duobus libris memoratarum mira et plane singularis consensio; poteratque res confecta videri, nisi Heusingerus, acerrimus ille et non ubique satis æquus Staveriani laboris iudex, litem movisset, tamquam chartaceum suum librum cum Bœclerianis membranis male composuisset. Commovit

32) cf. lectiones ad Lys. 4, 1. Alc. 10, 4. 11, 1. Dion. 6, 2. 8, 2. Dat. 4, 2. 6, 6. 8, 3. 5. 10, 1. Epam. 2, 5. 6, 4. Pelop. 3, 2. Eum. 13, 3. Ham. 2, 4. Att. 9, 5. 10, 1. memoratæ.

doctissimi viri confidentia Batavum, ut in postrema sua editione utrumque librum ex antiquiore aliquo descriptum atque inter se simillimum satis haberet dixisse. Verum non erat, quod sententiam retractaret. Etenim inane et commenticium fuerat Heusingeri de membranis argumentum, cum neque a Bœclero neque a Scheffero, quotiescunque[33]) de codice suo memorant, ullo loco membraneus dictus fuisset. Gravius erat alterum Heusingeri crimen, quod ad lectiones haud paucas aliter a Bœclero, aliter ab Stavereno excerptas spectabat; sed neque illud magni momenti, cum Staverenisocordia eius discrepantiæ culpam sustineret.

Quæ cum ita sint, haud scio an comprobaverim doctis viris meam rationem, qua collatis inter se et Bœcleri Scheffer*ique* et Stavereni excerptis, quid potissimum amplectendum quoque loco foret, ipsa rei probabilitate, id est, librorum maxime affinium suffragio decernendum duxi. Signavi l.

E. CODEX KEUCHENII.

Robertus Keuchenius, qui aliquoties Cornelium Nepotem *Leidæ* edi curavit, in præfatione a. 1675 scripta *vetus quoddam manu exaratum exemplar, cuius auctarium rubrico lemmate signatum*[34]) *ex bibliotheca sua olim præstitisset amicissimus Sluiskenius*, consuluisse se memoravit. De eo Sluiskenio nihil mihi innotuit, neque Keuchenii labor is est, qui fidem verbis faciat, cum neque correxe-

---

[33]) Bœclerus codice primum ad editionem a. 1648. parandam usus est eiusque ope non solum multis in locis lectore non monito vitia sustulit, id quod collata inter se editione prima et tertia comperi, *sed amplam* lectionum copiam in commentarios retulit. Scriptum librum dono Bœclerus acceperat a Scheffero isque, cum servasset exemplum Stephanianæ editionis 1572. ad eundem illum codicem manu Sebastiani Miegii Argentoratensis correctum, prolatas inde lectiones, quas male Bœclerus omisisse videbatur, inseruit plerasque Adversariis suis, postmodo a Dorvillio in Miscellanearum observationum criticarum volumine VIII. et IX. Amst. 1738. editis, paucas in Lectionibus Academicis, Hamb. 1675. et in epistolis (Burmanni Sylloge T. V. p. 9.) et ad Phædrum II. 2, 4. protulit.

[34]) His verbis quid sibi voluerit, fatear me nescire. Ceterum est quod suspicer, in prioribus quoque editionibus Keuchenianis de codice Sluiskenii fucum factum esse.

rit vulgata exempla nisi in peius, et prolatæ e libro suo (membranas alio loco dixit) lectiones, quamvis paucæ sint, confictæ esse videantur. Quapropter omittere malui.


DE EDITIONIBUS.

Libros formulis descriptos, quas editiones dici usu receptum, cum Bipontini tum Fischerus et Harlessius Bardiliusque et diligenter enumerarunt et pro singularum indole laudaverunt. Mihi post illos doctissimos viros, acta enim agere animus non est, pauca restant monenda atque addenda. Ac vetustiores modo attingere libet editiones, ut quæ et auctoritate posterioribus præstare censeantur neque eorum, qui curaverunt, aut præfationibus aut commentariis illustrari solitæ sint.

A. De Editionibus Æmilii Probi.

1. Æmilii Probi editionem principem Venetiis anno 1471. Nicolai Iensonis typis imprimendam quis curaverit, traditum non est, neque magni interest rescisse. Gravius sit nosse, qualem librum editor secutus esse et numquid de suo intulisse videatur. Equidem sic existimo, non unum aliquem vetustum codicem operis, quem describerent, fuisse traditum, sed doctum quendam virum, vel collatis inter se duobus libris vel usum exemplari, cui inter versus et in margine varias lectiones adscriptas reperiebat, non paucis locis emendasse scripturam typothetis sequendam. Nam cum plerisque locis ac fere ubique editio Veneta e codice pendeat eius generis, cuius est codex c (Leidensis), deflectit tamen et quasi desciscit nonnumquam ad librum diversi generis, qualis est h (Hæuelianus). cf. Milt. 5, 3 *nova arte, vi summa.* Them. 6, 5 *sive prophanus.* 8, 3 *principes civitatis.* Alc. 10, 2 *irrita futura.* Con. 5, 3 *magna festinatione.* Dat. 10, 2 *missam* al. At coniecturariæ artis ægre vestigium deprehendas. Principem editionem, hodie rarissimam, primi critico consilio inspexere Vulpii fratres, quos diligentia Fischerus superavit; quæque Fischerus deliquit non pauca, mea gratia ex exemplari Heidelbergensis bibliothecæ correxit et supplevit optimus amicus, quo diligentiorem neminem inveniri non ego primus expertus prædico. Insignivi Ev.

2. Proxime insequentium editionum, brevitati studens, simul quo commodius singularum origo omniumque inter se quasi cognatio perspiciatur, indicem confeci stemmatum more compositum.



In hoc stemmate erunt fortasse qui desiderent editiones Venetas a. 1473. et 1476. et 1499., itemque Parmensem a. 1480. Omisi prudens, quas convenit inter viros in hoc litterarum genere versatissimos, cum recentiore tempore nusquam repertæ sint et olim parum certa fide memoratæ, omnino non fuisse videri. Deinde prætermissis iis, quæ ad disciplinam bibliographicam pertinent, in universum hoc teneri velim, tot editorum operam ad restituenda scriptoris verba non adeo multum valuisse, quippe quorum plerique alter alterum sequentes naevos manifestos sustulisse satis haberent et, si quid amplius, ingenii viribus propositi exempli vitiis mederi conarentur. Quo in genere modestius egere incertus Brixianae editor et Ascensius Parisinarum, licentissime Aldus [35]), qui Venetam a. 1522. et Longolius [36]), qui Coloniensem curaverunt. Scriptos

[35]) Hæc sunt Aldi: Them. 1, 2 *uxorem Halicarnassiam.* Alc. 4, 5. 6, 5 *Eumolpidas et Cerycas.* Epam. 8, 2 *in sepulchro suo* Pelop. 3, 2 *ab Archia hierophante.* Eum. 7, 1 *et Teutamus.*

[36]) Longolii: Iph. 1, 1 *non tam genere quam magnitudine.* Dat. 1, 2 *hostium, regiorum quoque non paucis.* 10, 2 *inimicitiam adversus regem simulat.*

libros evolvere atque inde veriora petere, paucis curae fuit. In quibus Magius (Bas. 1563.) cum a veteribus libris satis instructus fuisset, cf. supra p. 231., nonnulla bene restituit, operae pretium vix fecit. Sed laude digni sunt editores Argentoratensis et Ultraiectinus.

3. Argentoratensem editionem anni 1511 (non 1506.) curavit Volgangus Angstius, de quo exposuit Veesenmeyer bibliogr. Anal. Ulmae 1826. p. 82. Eius ratio haec fuit, ut pauca leviaque coniiciendo, plurima recipiendis e libro scripto melioribus scripturis corrigeret. Codice usus est ei, quem littera l distinxi, qui hodie Leidae asservatur, adeo consimili, ut is ipse fuisse videatur. Sic Them. 6, 4. *quam* omissum, Con. 2, 4. *maximo* scriptum in solis his duobus libris. Omnemque dubitationem dimittet, si cui persuasimus supra p. 241. Leidensem librum Argentorati apud Bœclerum olim fuisse. Editionem Argentoratensem a multis consultam denuo examinavi. Signavi E a.

4. Sequitur Ultraiectina editio, tum raritate [37]) exemplorum notabilis, tum interna virtute veterum omnium longe præstantissima. Permagni fecerat olim is, qui solus ante nostram memoriam inspexerat, quamvis negligenter factum esset, Andreas Schottus prædicabatque libri sibi manuscripti vicem præstitisse. Laudibus extulit Bardilius et, qua par fuit, diligentia examinavit. Titulus est: *Æmylii Probi Excellentium Imperatorum Liber Prior. Ultraiecti, Harmannus Borculous excudebat.* In fine hæc leguntur: *Ultraiecti in ædibus Harminij Borculoi M.D.XLII. mense Augusto.* Complectitur paginas 166. octonarias, quibus præfigitur pagellis 12. de

---

37) Non amplius duo exemplaria norunt hodie bibliographi; alterum in Gœttingensi bibliotheca repositum Bardilius meus contulit; alterum Guelferbytanum, ad me Schœnemanni beneficio delatum, eo maiore cum voluptate pervolvi, quod videbam idem exemplum esse, quo Schottus usus fuerat. Erat enim inscriptum: *Cornelius Valerius And. Schotto discipulo cariss. D. D.* tum *Schottus Valerio Andreæ D. D.* Schotto eam editionem reperio ad manum fuisse, cum edebat Aurelium Victorem de viris illustribus, Paris. 1579 (ad c. 33.). Præterea exemplaria in privatis Perizonii ac Burmanni Secundi bibliothecis reperiebantur, cf. Catal. bibl. Periz. Leidæ 1715. p. 162. Bibl. Burmanniana, Leidæ 1742. p. 195. Denique eius editionis auctoritatem laudaverunt Dukerus ad Livium XXIII. 7, 11. Arntzenius ad Plinii paneg. 20, 4.

utilitate legendæ historiæ Simonis Grynæi præfatio (ad Plutarchi Vitas, Basil. 1553. scripta) et index erratorum; postremo loco est syllabus rerum memorabilium in pagellis 10. Nullo loco aut de editore aut de codicibus collatis monitum, ut aliquid veri *simile* divinare satis difficile sit. Et codice quidem editor usus est haud dubie optimo ac primariæ classis, quales fuerunt Danielinus Gifanianusque et Leidensis, quod comprobant loci permulti, *præsertim* Them. 1, 3. Alc. 3, 2. Ages. 8, 1.; usus est [38]), me iudice, Danielino, cui iudicio tum ex indole eius libri mire consimili, tum maxime ex iis, quæ supra p. 240 sq. de Leidensi codice exposita sunt, argumenta repeto. Difficilius etiam, eum, qui edidit, indagare, cum veterum de ea re præter Schottum monuerit *nemo*, atque is *sive a Cauchiis sive a Canteris eruditissimis Ultraiecti hominibus* curatam satis obscure prodiderit. Maluere plerique [39]) de Ioanne Cauchio cogitare, qui non mediocri illo tempore doctrinæ laude florebat ac præsertim multorum scriptorum veterum exemplaria privatum in usum e codicibus scriptis emendata domi habere existimabatur. Mihi, quoniam æqua est optandi facultas, Lambertus Canterus, Gulielmi Theodorique pater, eam laudem deposcere videtur, quem comperio a. 1538. Aureliæ [40]) iuris doctorem renuntiatum annisque duobus post Ultraiectum commigrasse. Utcunque tandem est, in hoc consentitur, virum non mediocriter doctum et in veterum scriptis versatissimum editionem Ultraiectinam parasse. Sed tamen (non est enim celandum) aliqua ex parte laudi suæ

---

38) Pro Leidensi libro facere videri possit scriptura *induxit* Iph. 2, 2. sed, id quod ad illum locum monui, manifesto corruptum est de Danielino libro testimonium: an ridiculum illud *adduxit al. adcluxit* quisquam aut in eximio libro inventum aut ab elegantissimo Daniele memoriæ proditum arbitretur? Turbas dedisse puto typothetam Marnianum.

39) cf. Fr. Sweertius: Athenæ Belgicæ, Antw. 1628. p. 409. Foppens: bibl. Belgica, Bruxell. 1739. p. 608., qui Cauchii (van Cuyck) studio memorant restitutum putari Æmilium Probum.

40) Iterum moneo, quod supra p. 233. dictum est, Danielinum codicem ante a. 1562. in cœnobio Floriacensi prope Aureliam asservatum fuisse. De Lamberto patre suo docuit Gulielmus Canterus Novarum lectionum II. 26. Antw. 1571. cf. Burmanni Traiectum eruditum p. 39.

offecit religiosius retinendis vitiis, quæ in editionibus invenerat, magis etiam immiscendis in verborum ordinem, qui fuit illius sæculi mos, coniecturis, interdum commodis, non raro temere excogitatis planeque Lambinianis [41]), ut nisi probo aliquo libro suffragante, in eius lectione acquiesci non debeat. Distinxi compendio Eu.

B. De Editionibus Cornelii Nepotis.

5. Vitam Attici, antequam una cum Æmilio Probo vulgari cœpta est, duæ editiones [42]) formulis expressam exhibuerunt. Earum altera Ciceronis epistolis ad Brutum, Quintum fratrem et Atticum Venetiis Nicolai Iensonis typis, curante Christophoro Maurone anno 1470. excusis pro appendice addita est, neque tamen ullo titulo discreta. Altera Plutarchearum vitarum in Latinam linguam conversarum corpori, urbis annique notatione carenti, sed Romæ in officina Udalrici Galli cura Io. Ant. Campani anno circiter 1470 [43]) impresso, una cum aliis quibusdam libellis adiecta est, cum inscriptione, quæ tamen non principio vitæ sed in indice præfixo legitur, hac: *Pomponius Atticus per Cornelium Nepotem.* Hæ editiones codices admodum inter se dissimiles sequuntur: Romana librum aliquem Schottiano Vossianoque tertio geminum nulla fere editoris cura emendatrice immutatum refert, Veneta in plerisque cum Monacensi libro conspirat, tamen ita, ut ex alio codice nonnulla desumpta esse videantur, ut 1, 4 *sibi;* 3, 3 *ante alios;* 7, 1 *se;* 10, 4 *omnibus;* 20, 4 *vero.*

Utriusque editionis excerpta proposuerat Schlegelius, Venetæ Vulpii quoque fratres. Denuo diligentissime collatæ sunt huius

41) Maximum sit intrusus ex Homero integer versus heroicus Dion. 6, 4. Illud quoque animadverti, Lambinum non raro in easdem emendationes incidisse, quæ dudum in Ultraiectina editione prostabant, cf. Paus. 3, 1. Alc. 7, 3. 8, 2. Thras. 4, 1. 2. Eum. 4, 1. Hann. 8, 3. al. quam tamen nosse neque se dicit nec per se credibile est, nisi forte sequestre Claudio Puteano, cf. ad Con. 1, 1. Chabr. 1, 3. Hann. 3, 2.

42) De utraque copiose, sed non sine erroribus disseruit Io. Henr. Schlegelius in Observationibus crit. et hist. in Cornelium Nepotem, Hauniæ 1778. p. 28—49. Consulendus in primis Bardilius in præfatione sua, nota 94.

43) cf. Ebertus no. 17463.

editionis in usum: Romanæ exemplum Friburgense a me, Venetæ Lipsiense a Mauritio Hauptio V. cl. ac Monacense ab suavissimo amico. Illam insignivi Er, hanc Ev.

6. Catonis quoque vita separatim edita legitur in principio libri, quo *Sextus. Aurelius. de vitis Cæsarum et Benvenutus Imolensis de eadem. re* continentur. Index est: *Cornelius Nepos. de vita Catonis Senioris.* Anni urbisque, unde libellus prodierit, notatio deest, præterquam quod præfationi, quam Laurentius Abstemius scripsit, subscriptum est: *ex urbe fanestri IIII KL Martii MDIIII impressore Hieronymo Sancino.* Apparet, eam esse editionem, quam adiectis aliquot similis argumenti libellis Argentoratenses a. 1505. repetivere, cf. Bardilii præfatio p. XXV. Repertam in Friburgensi bibliotheca cognovi e codice, cui e meis simillimus est Marcianus A., expressam. Signavi Ef.


7. Catonis et Attici vitam cum Æmilio Probo simul utramque coniunctam primum complexa est editio, quam dicunt Cornerianam. In qua licet neque anni numerus neque typographi nomen aut urbis usquam compareat, argumentis tamen satis certis efficiunt, editam esse Mediolani ante annum 1496. cf. Bardilii editio T. I. p. XXII. XLVIII. T. II. p. 392 sqq. Facio paulo antiquiorem, cum doceo, vitæ Attici quod exemplum editioni Ciceronis epistolarum ad Atticum Romanæ a. 1490. adiunctum est, id exemplum correctum esse emendationibus e Corneriana petitis [41]). Editionem curavit Petrus Cornerus. Is Æmilii Probi editionem Venetam principem sic repetivit, ut pauca emendaret, plurima typothetas corrumpere sineret; verum extremo Hannibale, omissa subscriptione Iensonis, subiunxit Catonis vitam, titulo non distinctam, quasi et ipsa Æmilii Probi esset. Sequitur *Vita T. Attici Pomponii Ex cornelio nepote.* Atque hæ vitæ Catonis et Attici desumptæ sunt e codice Ms., eoque, id quod varias lectiones contendenti facile apparebit, perinde atque in editione Probi animadvertimus, non admodum discrepante a Leidensi codice (c). Unde fit, ut Venetos Cornerumque eodem libro usos suspicer. Certe non solam Attici vitam MS. Cornero fuisse ad manum, ipsa res demonstrat, adiecti

41) cf. Att. 13, 2 *Pamphilianam.* 14, 3 *Ardeatinum.* 20, 4 *exul cum litteris quid ageret, quid curæ — faceret.* al.

Æmilio Probo Cato et Atticus. Quamquam non dissimulo, in epistolis quibusdam [45]) Cornerianæ editioni inclusis Attici modo, non Catonis vitam commemorari.

Editionem a Fischero collatam denuo ac maiore diligentia inspexit amicus, qui se nominari noluit. Signavi Ec.

8. Editiones quattuor, de quibus modo expositum est, ut libris scriptis suppares censendæ sunt, ita levis est ac prope nulla earum auctoritas, quæ proxime illas sequuntur. Quare satis erit, earum indicem proposuisse.



9. Reliquias Nepotis ab aliis scriptoribus servatas colligere instituit Antonius Riccobonus Rhodiginus in libro de historia, Venet. 1568. Basil. 1579 p. 446—468. Secuti sunt Io. Savaro, Paris. 1602. et Andreas Schottus, Francof. 1609.

---

45) Eæ epistolæ omnes ad Theodorum Platum, patricium Mediolanensem, datæ sunt, sed, quod dolendum, annorum numeris non adiectis. Videor enim mihi non falso augurari, Atticum MS. a Iac. Becheto, Bonæ Mariæ Sabaudiensis secretario ac gubernatore, dono datum fuisse Th. Plato diu ante, quam Cornerus edi iuberet. (annis circiter 1460. vel 70.)

46) Incertam editionem, de qua Schlegelius, Harlessius, Titzeus exposuerunt, bibliographorum gratia moneo vix recte vulgo existimari ex officina Ioannis Mentellin Argentoratensis prodisse. Diversa enim species est Mentelianorum librorum, id quod Vincentii Bellovacensis Specula Mentelii typis edita contendens cognovi.

C. De Editionibus Æmilii Probi et Cornelii Nepotis.

10. Paucis commemoranda est Dionysii Lambini editio, Paris. 1569. Id exemplum quam multiplici fuerit gravique apud posteriores auctoritate, exponere hoc loco non attinet. Neque animus est, de summi viri laudibus doctrinæ ingeniique quidquam detrahere. Sed, quod solum spectamus, libri editio nulla minus laude commendatur quam, quæ vel unica vel prima est, fide ac religione. Nam cum libros scriptos ad manum haberet nullos [47]), ingenii ille viribus confisus vulgata exempla emendare aggressus est; qua in re incredibili ac plane immani audacia usus, innumeris locis scriptorum verba emendavit, corrupit, transposuit, contraxit, supplevit. Quam rem exemplo uno demonstrare satis habeo Cim. 3, 3. *ubi*, cum libri omnes quattuor verba referant: *satius existimans contendere Lacedæmonem*, ille, versu integro interposito, *satius existimans, eos et cives suos inter se una voluntate consentire quam armis contendere, Lacedæmonem* edidit. In hoc tanto tamque immenso effusissimæ licentiæ campo reperiri nonnulla, vel postmodo librorum auctoritate stabilita vel per se satis probabilia, non est quod aut negemus aut admiremur. Id sane mirari licet, qui fieri potuerit, ut, cum tot docti viri Lambini facinora incusassent coarguissentque, per sæcula amplius duo propagata Lambiniani ingenii inventa non pauca nobis fuerint tollenda.

11. Ioannis Savaronis editio Paris. 1602. 24°. cum vel propter raritatem exemplarium [48]) vel exiguitatem voluminis neglecta adhuc iacuisset, ego diligenter examinatam cognovi optimam esse. Namque non eos tantum locos, quos in notis tetigit, Savaro restituit, sed persæpe, non monito lectore, obsecutus auctoritati codicum Puteani cf. p. 224. Gifanii p. 234. Petavii p. 216. ac

---

[47]) E scriptis libris nihil in Lamb. editionem redundavit præter Gifaniani codicis paucas lectiones, cf. supra p. 234, nota 21. Nam quod ad Milt. 6, 2. prodit, pro vulgato *aboleti* in uno codice Cl. Puteani emendatum esse *obsoleti*, potest intelligi de editionibus Magii, Curionis, Lugdunensi, et, quod fortasse verissimum cf. supra nota 41., de Ultraiectina. Alia, quæ collegit Bardilius præf. nota 62. vix plus quam commenticia sint.

[48]) Præter Schottum editione Savar. superiorum nemo usus est. Mihi exemplum bibliotheca Bernensis suppeditavit, aliud vidi Heidelbergæ.

præsertim sui p. 256., qui ceteris emendatior et integrior esse videbatur [49]), aut Lambini commenta aut inveterata vitia sustulit. Adnotationum non eadem diligentiæ fideique laus est. Signavi Es.

12. De reliquis editoribus, qui in emendandis Probi et Nepotis exemplis vulgaribus operam posuerunt, verba facere non est necessarium propterea, quod ipsi, quibus libris usi sint quasque rationes secuti, et in universum præfantes et singulis in locis disputantes docuerunt. Laude præ ceteris digni Io. Henr. Bœclerus, Io. A. Bosius, Io. Mich. Heusingerus, Gul. Henr. Bardilius.

DE LIBRORUM AUCTORITATE.

1. Libros scriptos, in quibus veterum opera ad nostra tempora propagata sunt, multum inter se ut antiquitate scribendique genere ita bonitate et auctoritate differre, quamqam nemo umquam negavit, tamen non facile reperias, qui alios aliis adeo præstare ducant, ut alteros unice probandos, alteros usque spernendos iudicent; plerique ea exempla, quæ fide ceteris digniora cognoverunt, ita amplecti consuerunt, ut, sicubi in deterioribus deprehendant, quod aut ad rem verius, aut ad sermonem latinius, aut ad dicendi genus exquisitius visum fuerit, præoptent et scriptori tamquam suo iure vindicent. Ea ratio num omnino improbari debeat, nunc non quæro, nec quatenus in aliquo scriptore admittenda sit, decerno. Solum curo Æmilium Probum cum Cornelii fragmentis; et in hoc edendo ea ratione me usum profiteor ac iure fecisse arbitrari, ut alteros libros ubique, alteros nusquam probarem.

2. In satis magno codicum Æmilianorum numero paucos index noster exhibuit vetustiores: vix duo XIII. sæculo exarati sunt, unus Guelferbytanus XII. attingit, haud ita multo maior Danielino libro ætas fuerit. Hæc tanta vetustarum membranarum penuria facit, ut omnem librorum turbam, quotquot adhuc innotuerunt, commune stirpis principium habere censeamus ex uno aliquo codice, qui sæculo circiter XI. describi et multiplicatis exemplis vulgari cœptus sit. Eam opinionem confirmant multæ res, rara et depravata veteris scripturæ vestigia [50]), eædem passim verborum cor-

---

[49]) Ad Savar. librum proxime Vossianus primus et codex collegii Romani accedunt.

[50]) Vetus scribendi ratio quam insueta fuerit librariis, vide ad Milt. 5, 3. Paus. 1, 2. Alc. 7, 4. Att. 20, 4.

ruptelæ [51]), certissime arguit insignis ille hiatus, quo in omnibus codicibus media Lysandri vita est interrupta. Quapropter solam librorum fidem sectans editor vetus illud exemplar, quod cunctorum velut fons et origo fuit, restituisse satis habeat necesse est.

3. Ad restituendum codicem illum primarium gravissima auctoritas est códicum, quos littera A. complectimur, Gifaniani, Leidensis, ac præcipue Danielini. Hi enim libri ea sunt integritate præstantiaque, ut ex aliis nusquam aut corrigi aut suppleri possint, contra ex illis ceteri debeant plurimis locis [52]) restitui atque expleri. Exempli causa duobus locis utor, unde appareat, quam leves præ illis et quasi intestabiles sint reliqui omnes. In Alcibiadis vita 3, 2. *omnes Hermæ — præter unum, qui ante ianuam erat Androcidi. Itaque ille postea Mercurius Androcydes vocitatus est* legitur in A., in Agesilao 8, 1. (Agesilaus naturam) *maleficam nactus est in corpore fingendo. Nam et statura fuit humili et corpore exiguo* est in iisdem. At in ceteris omnibus nonnulla desiderantur, priore loco hæc verba: *Androcidi. Itaque ille postea Mercurius*, in posteriore: *fingendo. Nam et statura fuit humili et corpore.* Facilis fuit in vocabulis simillimis oculorum lapsus ab altero ad alterum deerrantium. Concedo, excuso; sed facile dabunt omnes, non totidem librarios, quot sunt libri, et ne duos quidem videri compluribus locis in idem vitium incidisse pro se quemque; sed unum scribam peccavisse, ubi omnes libri æqualiter sint vitiati. Quod si recte visum fuerit, sequitur, ut codices manci omnes (B. et C.) ex uno exemplari descenderint eoque, quoniam passim mancum fuit, deteriore.

4. Neque vero, ut nunc res comparata est, spernendi sunt deterioris notæ codices. Poterant quidem sine aliquo rei criticæ detrimento seponi et negligi, si libri illi optimi aut hodie superessent, aut olim, dum licuit, ita diligenter collati essent, uti ex-

---

51) Them. 8, 3 *ad moetum.* Paus. 3, 4 *cum laua.* Lys. 3, 2 *Delphi.* Alc. 7, 4 *Bizam Themeonticos.* 10, 4 *circa sammeam.* Att. 10, 4 *illius Canum.* al.

52) Codices A soli servarunt Milt. 5, 2 *ergo.* Them. 1, 3 *facile eadem oratione explicabat.* Timoth. 4, 2 *Thessaliæ.* Ep. 7, 1 *multitudo.* Phoc. 2, 2 *quod cum.* Ages. 3, 4 *præsidiis* 4, 1 *iam.* Att. 19, 3 *quod nemo adhuc.* 21, 6 *impedire;* soli additamento sunt liberi Dion. 3, 2 *meo.* Chabr. 4, 3 *non.* Dat. 9, 3 *evenire.* Phoc. 3, 4 *cum.*

cellens eorum præstantia postulabat. Verum etiamsi sedulo, quidquid ex iis excerptorum superiores scriptum reliquerunt, conquiras atque componas, plurimi loci sunt, ubi quid potissimum exhibuerint, ignores [53]). Aliis locis non paucis eorum librorum auctoritas laudatur quidem, sed ita, ut idoneis de causis suspiceris de vitio [54]), ne iterum convellam Leidensis codicis fidem nusquam non dubiam, neve Ultraiectinam editionem reprehendam optima pessima miscentem. Quare dispiciendum, quinam ex deterioribus libris sufficiendæ meliorum auctoritati pares sint.

5. Ad auctoritatem codicum A. proxime accedit Guelferbytanus, qui inter libros ordinum B. et C. longe gravissima est dignitate, ut ab eo non minore intervallo reliqui absint, quam ipse distat a Danielino. Namque locis permultis Guelf. solus easdem quas A. scripturas servavit [55]), ceteris libris omnibus corruptis aut correctis. Quare, ubi de illorum lectione non constat, eius auctoritas haud dubie plurimi facienda est, ut non raro, ubi e Leidensi codice vel editione Ultraiectina lectiones memorantur per se dubiæ, modo suspectas consensu tueatur [56]) modo refragando labefactet speciosas.

6. Est etiam, ubi, deficiente codicum A. auctoritate, alii libri ordinum B. et C. fidelius quam Guelf. veterem scripturam servavisse videantur. Ac ne quid dicam de vitiis, quæ in singulis exemplis librarii pro se quisque admiserunt, quorum non exiguus in Guelf. numerus reperitur [57]), retinuerunt aliquoties codex collegii

---

53) Ut Timol. 6, 3 *quoque*. Ham. 1, 5 *Catulus*. Hann. 6, 1 *filium eius*. 8, 1 *inducere posset*. Cat. 3, 4 *aut fierent aut*. Att. 12, 3 *Athenis*. 17, 1 *esset*. 18, 4 *quoque* utrum scripta in A. fuerint necne, cum nullo modo sciri possit, idcirco non satis liquet, sintne recipienda an inducenda.

54) Cf. Them. 5, 1. Paus. 2, 4. Con. 5, 3. Iph. 2, 2. Dat. 1, 2. Timol. 1, 3. Ham. 1, 4. al.

55) Ut *populi R.* Milt. 6, 2. *deportant* Them. 2, 8. *in eo* 7, 4. *erat* 8, 3. *populi scito* Ar. 1, 5. Alc. 5, 4. Ep. 7, 4. Phoc. 2, 2. *exercitibus* Cim. 2, 1. *trierem* Alc. 4, 3. *e navi* 6, 3. *causam* om. 7, 3. *pernicii* Thr. 2, 2. *res* om. Con. 1, 1. Ep. 7, 1. *ortus* Dat. 2, 2. *pariter* 10, 2. *colloquii* 11, 2. *in Parætacis* Eum. 8, 1. *parere legibus* Timol. 1, 3.

56) Ut *postea gratiam* Them. 8, 7. *etiam* Cim. 4, 1. *optimatium* Alc. 5, 3. Phoc. 3, 1. *in eo* Chabr. 1, 2. *respiceret* Dat. 11, 5. *socero genero* Ham. 3, 2. *opibus* Hann. 10, 2.

57) Them. 8, 3 *non* om., Phoc. 4, 2. *Quo ha rene*, verb. Corn. 2 *superest* om.

Romani, Sangallensis aliique scripturam codicum A. testatam, ubi cum plerisque Guelf. peccavit, cf. Thras. 2, 6 *quæque*, Dion. 8, 2 *odium*, Epam. 6, 4 *legationum*, Pelop. 3, 1 *proposita* et *calamitati*. Verum hæc rara ac levia ne magni facerem præ tot egregiis lectionibus, in quibus solus Guelf. cum A. convenit, neve, sicubi de scriptura codicum A. memoratum non reperissem, ab auctoritate Guelf. temere recedendum existimarem, maxime ea causa permovebar, quod ceteros libros non certa quadam lege inter se vel consentire vel discrepare, sed fluxa fide alios aliis locis emendatiores et in melius vel coniecturis plus minus commode excogitatis vel lectionibus e collatione aliorum codicum petitis immutatos cognoveram.

7. Deteriores libros alios ex aliis correctos esse, maxime defectibus quibusdam et lacunis, ut quæ minus facile prudentibus scribis accidisse videantur, demonstrabimus. Timol. 1, 5. desiderantur verba *et invidia laudem virtutis obterebant* in libris e. schott. f. vat 3412. gadd. flor. paris 5826., ibidem 3, 2. *fanaque deserta* in iisdem, præterea chisB. et paris armam. Unde manifestum fit, hos novem [58]) libros ex uno descendisse. Contra alia codicum cohors proditur defectu Timol. 3, 1. 2. ubi verba *primum Siculos; dein Corintho arcessivit colonos, quod ab his initio Syracusæ erant conditæ. Civibus veteribus sua restituit* non leguntur in his: mon. ott. alex. g. h. vat 5262. ang. chis A. putean. i. k. l [59]). Inde aliquis coniiciat, hæc esse duo librorum genera plane diversa atque ab se alienissima; requiret, in cuius modi codice primum librarius uterque hallucinatus esse videatur; reperiet cum priore genere plerumque facere codices collR. c. d. savar. par 5837 [60]), cum posteriore *b.*

---

58) Quibus accensendi oxon. med. paris 5831. paris 8534.

59) Addendus est thott. cantabr. Iidem libri verba Corneliæ omnes, vitam Attici et Catonis plerique omiserunt.

60) cf. Epam. 4, 4 *quidem* om., Pelop. 3, 2 *iam* om., Timol. 1, 3 *patriæ legibus obtemperare*, 1, 4 *manum*, 1, 5 *facinus*, 5, 9 *compotem*, Hann. 11, 2 *egressus* om., 13, 1 *Blitho* om., *Æmilii Probi disticha* om., Att. 4, 4 *quadraginta*, 11, 6 *hominibus* om., 18, 4 *quoque*, Caton. 3, 4 *aut fierent aut* om.

urb. fæs. ott. alex. pat. [61]). Atqui permultis in locis manifestum est, multiplex commercium et quasi connubium inter duas familias intercessisse. Nam verba Lys. 3, 5 *sed scripta, ut deum videretur congruere sententiæ*, quæ omnes secundi ordinis libri mon. ott. alex. sqq. omiserunt, eadem desiderantur etiam in nonnullis primi; sicut f. vat 3412. paris 5826., similiterque Epam. 10, 3 *coepit*, Eum. 8, 7 *præterea*, Hann. 3, 4 *inermis*, 10, 2 *minus* et *conciliare*, ut in reliquis eiusdem stirpis necessario tales defectus suppleti sint. Hann. 6, 1 verba *apud Rhodanum iterum apud Padum tertio* etiam b. urb. ignorant, ut f; sed habent vat 3412. paris 5826.; itemque Alc. 10, 6 *eminus*. Atque ille codex b., licet in plerisque ad Guelf. proxime accedat, non raro cum collR. c. d. e. in falsis conspirat lectionibus, cf. Them. 9, 4 *id autem*, Cim. 2, 3 *in terra* om., Chabr. 1, 3 *sibi* om., 3, 3 *emergere*, Dat. 4, 5 *arma capit*, Epam. 2, 3 *laudi* om., 7, 4 *ubi id*. Denique rem aperte demonstrat codex d., in quo variarum lectionum ex altero codicum genere desumptorum magnus numerus adscriptus est [62]). Quæ cum ita sint, non committendum, ut libri expoliti aliorumque collatione emaculati, si quid verius præbere videntur, continuo fide ceteris præstare censeantur, sed videndum, utrum id similium consensu commendetur an infringatur.

8. Sequitur, ut quod codices B. et C. diximus coniecturis modo probabilibus modo inutilibus immutatos esse, eam rem exemplis aliquot demonstremus; qua in re non singulorum scribarum pericula, sed quæ complures libros obsederunt, commemorabimus.

Familiæ B. hæc fere gravissima sunt. Præf. 8 *cum* magnitudo; Milt. 5, 3 *in* parte *montis* summa; 8, 2 magi*stratibus*que; Them. 1, 2 liberius *iusto;* 2, 4 *eam* copiis *invasit;* 9, 4 annum mihi temp*oris;* 10, 3 his *usus* verbis; Lys. 1, 1 enim *in* Pel.; 3, 5 de*orum*; Alc. 2, 2 *a* Socrate; 10, 3 tulit hoc; 11, 1 con*sens*erunt; Thras. 1, 4 vires *nostrum cuius*que . . . *a* fortuna; Iph. 2, 3 inter*cep*it; Chabr. 3, 3 invidi*a* glori*æ;* 3, 4 recess*iss*ent; Dat. 3, 5 tradita *est;* 10, 2 missam *om.*; 11, 2 maxim*am;* 11, 3 divers*i;* Epam. 6, 2 quales . . . cives (et multa similia); 7, 3

---

61) cf. Timol. 1, 3 *et patriæ legibus*, Att. 10, 4 *omnibus* om. 20, 4 *vero* om.

62) cf. Them. 2, 5 *septinqenta decem*, Epam. 2, 1 *nomina carmina*, Pelop. 4, 1 *omnes communes*, Att. 20, 2 *tamen temere*.

cum *in* Pel. 7, 4 *ubi* id; Pelop. 2, 4 Leuctric*am* pugn*am*; Ages. 2, 5 de*orum*; 8, 1 maleficam *habuit*; 8, 2 homin*is* non beatis-sim*i*; Eum. 3, 5 pr. *consilium* ut; 4, 3 pedestr*is*; 5, 5 poster*io*-rib*us*; Timol. 4, 2 iunctis *om.*; Ham. 1, 5 cessit *Catulus*; Hann. 6, 1 Scipionem *filium eius*; 8, 1 fiduciaque *inducere posset*; 9, 4 *asportar*et; 11, 1 Quorum; Att. 1, 4 Mar*ii* filius . . . *ii*s (pro *h*is, idque sæpe); 3, 3 domum *voluit*: hoc . . . ei *ante alios* fuerit; 9, 1 *Mutin*am; 10, 4 et *G*ell*ium* Can*um*; 11, 4 florente; 11, 5 *ulcisci quam oblivisci*; 11, 6 hominibus *om.*; 12, 3 *Athenis*; 16, 3 *iam* sunt; 18, 4 *Æ*miliorum *quoque*; 18, 6 unus *om.*; 19, 1 edita *hæc*; 20, 4 *cum lit*teris . . . *quid* curæ; Caton. 3, 4 aut fierent aut *om.*; verb. Corn. 4 per me *om.*

Alterius generis C. hæc sint exempla. Milt. 2, 4 constitut*a*; 5, 3 nova *arte vi* summa; 8, 3 Chersoness*i*; Them. 1, 2 Neocles; 2, 4 copiis *venit*; 4, 1 ast*u*; 6, 5 *sive prophanus*; 7, 5 oppo-sit*am*; 8, 2 Pers*arum*; 8, 3 ad *Ad*metum; 10, 3 *Smyrnam*; Paus. 3, 4 cum lan*cea*; Cim. 2, 5 *Scy*rum; Lys. 1, 1 enim *ad-versus* Pel.; 3, 2 Delph*os*; 3, 5 Alicarnas*seus*; Alc. 1, 2 resi-stere; *deinde*; 4, 7 Pers*arum*; 6, 4 ast*u*; 8, 2 respondet *om.*; 9, 4 Pers*arum*; 10, 2 *irrita futura*; 11, 1 consc*i*erunt; Thras. 1, 5 *peper*cerat; 2, 5 M*uni*chiamque; Con. 4, 4 *L*ysandro; 5, 3 magna *festinatione*; Dion. 1, 4 te*g*ebat; 2, 3 eiusdem Diony*sii*; 2, 5 Dionys*ii* filium; 6, 2 *sævitiam*; Chabr. 3, 1 Pers*arum*; Ti-moth. 1, 2 qu*a* oppugnand*a*; Dat. 3, 5 sunt *om.*; 7, 3 *cum* eo; Pelop. 4, 3 *M*essena; Phoc. 4, 1 Huc *ubi*; Timol. 6, 1 Græc*æ*; 6, 4 Pers*arum*; 7, 1 *Thebis*; Hann. 7, 7 *iu*dicarunt; Att. 9, 1 *Mutin*am (aut *Mund*am); 19, 3. Cæsar*em est*.

Bonam harum emendationum partem multis probatum iri intel-ligo, nonnullas vix declinari posse concedo neque, ne in ordinem verborum editores recipiant, deprecor aut recuso, dummodo id ne suo quasi iure, id est libris obsecuti, videri velint fecisse, sed pro-fiteantur, cum scripta aliqua lectio vitiosa et necessario corrigenda sit, acquiescere se in veteris critici [63]) coniectura. Meum quidem non erat, cum solam auctoritatem sequi decrevissem, vel corruptis in locis iudicio obtemperare.

---

[63]) Quos nequis iniquius ignorantiæ incuriæque incuset, recolat scholio-rum specimen supra p. 201 sqq. propositum.

9. Qualem ego dedi Æmilium Probum et Cornelium Nepotem, erunt qui passim a me aut corruptum aut emendatum iudicent; sed equidem neutrum nec volui facere nec fecisse me puto. Etenim volui id exemplum summa cum fide proponere, unde libros, qui ad nostram ætatem pervenerunt, omnes derivatos esse appareret. Qua in re sicubi minus quam volui præstitisse videbor, nulla magis de causa factum est, quam quod carebam codicis Danielini sive usu sive diligenti collatione. Neque tamen eam iacturam ad multos locos pertinere arbitror. Iam alia ac plane diversa est quæstio, num ubique ita, uti apud me legitur, is, qui librum scripsit, scripsisse putandus sit. Id neque ego affirmare ausim, nec facile quemquam, si prædicarem, assensurum putarem. Iudicent docti, quid quoque loco a scriptore relictum, quid ab aliis immutatum esse videri debeat, quibusque remediis facillime pristina scriptura restitui possit. Unum addo, ne quis fortasse calidius emendandi studio indulgeat, permulta apud me legi, ab editoribus damnata, quæ Varronis, Vitruvii aliorumque veterum exemplis confirmentur, alia sic, uti edidi, lecta esse sæculo quinto aut quarto [64]).

---

[64]) Them. 2, 8 *partim Salaminam*, *partim Trœzenam*; 10, 3 *Iamsacum* et *Myntam*, cf. supra p. 184.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Dum biennium in excudendo hoc libro operæ morantur, *satis* ampla addendorum et corrigendorum copia subnata est, quam lectores rogo velint excusatam habere.

P. 3. a. 10 et 15. Codicis Gaddiani et Florentini 67,25 indicem paulum aliter fide Ottonis Iahni p. 212 proposui. — Aliorum librorum indices hi sunt. Neapolitani prioris: *Æmilius Probus de excellentibus exterarum gentium*, posterioris: *Æm. Pr. de illustribus Ducibus externarum Gentium*, Mediolanensis alterius: *Vitae Virorum Illustrium. Incipit Æmilius probus.*

b. 20. Ed. Ultr. (in exemplo Guelf.) titulus est: *Exc. Imp. Liber I. Autore* — et in fronte libri: *Æmylii Probi Exc. Imp. Liber Prior.*

p. 4, 1. *Non dub. f. pl. Att. qui hoc* om. collR. et pro his verbis habet *Milciades vita.* — 4 *commorati* collR. — 7 *ii si* collR. — 21 *in convivium* om. collR. — *at cuius* collR.

p. 5, 1. *gynecontes* collR. — 3 *Sed plura pers. cum magnitudo* collR.

p. 7, 5. *ventus* spl. a 1. manu in Ba. — 8 barbarum scribendum est. — *desiectis* Es. (voluitne *deiectis*? cf. Drak. ad Liv. XXII. 24, 7.) — 16 *a quibus* collR. *aut quibuscum* ang. *aut quibuscumque* Cl, sed *que* a 2. manu deletum.

p. 8, 1. *cæteras* Eu (semper sic). — 5 *quo copias* collR., et ang. sed hic *ut* spl. — 8 *facilime* Eu (omnia similia sic). — 11 *fuit tum numero* collR. *numero fuit* ang. — 13 *a Scythis* collR. ang. — 18 *periculo et facile* collR. ang.

p. 9, 13. *ped. millia et decem eq.* Es (ab Ascensio). — 16 classe scribendum est.

p. 10, 5. *decernerent* collR. ang. — 9 *audere* collR. *audere tot milia adversus se* ang. — 14 valeret scribendum est. — *autoritate* Eu (semper sic). — 16 *inst. in parte montis summa* collR. *inst. nova arte vi summa* ang. — 17 *nanque* Eu (semper sic).

p. 11, 1 *locum æquum* collR. c d e. — 6 *profligarint* collR. *profligaverint* ang. — 7 *est nobilius* collR. *est adhuc nobilius*, spl. *his* ang. — 15 *Milt. qui* collR. d e ang. *Milt. quia* a b f g h i k l. — 16 *liberavit* collR. d e. — *Ποικίλη* in marg. E u.

p. 12, 4 *deinde* Es (c Brixiana). — 8 *opidanis* E u (plerumque sic). — 9 *regiis* collR. cde. — 10 *est ut P.* collR. ang., spl. *et* ang. — 13 *est* om. collR. ang. — 15 *rebus a pugna* collR. *rebus* ang. — 19 *classem* collR. de ang. l.

p. 13, 4 *magistratibusque* collR. de schott. *magnisque* ang. — 10 *et dic. et hab.* collR. *et hab. et dic.* ang. — 12 *comitas* collR. *communitas* ang.

p. 14, 1 *ordiendus* ang. *exordiendus* collR. — 4 *liberius iusto* collR. *liberius* ang. — 5 *exhæredatus* Eu (similia semper sic). — 7 *dedit* collR. ang., *di* spl. collR. — *reip.* Eu. — 10 *celeriterque quæ* collR. *celeriter quæ* ang. — 15 *reip.* Eu. — 20 *Qua celeriter* collR. ang.

p. 15, 4. 5 *cum copiis invasit quantas* collR. d. *copiis venit quantas* ang. — 14 *signifruci* Bc. — 17 *asportant* collR ang.

p. 16, 11 *Salamina* Eus, Aldus. — 14 *asty* Eu in marg. — 18 *pares esse* (non *esse pares*) Eu. — 20 vellet scribendum est.

p. 17, 10 *etiam* collR. ang. — Themistocli scribendum est. — 12 *Interim* collR. ang. — 21 *Salamina* Eus, Aldus.

p. 18, 9 *longe animo spectabant* collR. ang. — 19 *sacer sive profanus sive priv.* ang. *sacer sive priv.* collR.

p. 19, 4. 5 *adire ad* collR. *adire* ang. — 6 *duceretur* collR. — exspectare. 2. Cum scribendum est. — 9 *superesse* collR. ang. — 12 *adhiberetur* collR. ang.

p. 20, 7 *alias illos* ang. — 14 *Persæ* collR. *Persarum* ang. — 17 *civitatis* om. collR. ang. — 18 *ad moetum* collR. *ad Admetum* ang. — *Molossorum* collR. ang. — 19 *hospicium* Ba.

p. 21, 8 *ascendit* collR. ang. — 19 *pr. erat iis qui* collR. *pr. de his qui* ang.

p. 22, 2 mala hominum scribendum est; sic etiam collR. — *cum mihi* collR. *quod mihi* ang. — 12 *annum m. temporis* collR. *annum m. tempus* ang. — 14 *admirans* collR. *admiratus* ang. — 16 *se dedidit* collR. *dedit* ang.

p. 23, 3 *Myutam* collR. *Smyrnam* ang.

p. 24, 2 *quod quidem* collR. *quem quidem* ang. — 14 *Salamina* Eu, Aldus.

p. 25, 13 *est* collR. — Paus. 3. *industrissimum* collR. *est illustrissimum* ang.

p. 26, 6 *quod eum ex* collR. *quod ex* ang. — 18 *Gongulum* collR. *Gongylum* ang. — *Cretensem* collR. ang.

p. 28, 1 *cum lana ad eum* collR. *cum lancea ad eum* ang. *cum scytala* Eus, Aldus.

p. 29, 11 *perturbatus* om. Bc schott., puto ad v. 14 pertinere. — 14 *perturbatus* om. collR.

p. 30, 3 *quo celerius* collR. ang. — 4 *sub dio* Eu, Aldus.

p. 31, 22 *uno conc. max.*, in marg. *vim* collR. *max. vim uno conc.* ang.

p. 32, 3 *Cyprum* collR. *Scyrum* ang. — not. v. extr. *A gif.* scribendum est.

p. 33, 1 *sed etiam* ang. — Lys. 2 *enim adversus Pel.* ang.

p. 34, 5 *se* om. ang.

p. 35. 6 *se* om. ang. — 8 *Delphos* ang.

p. 36, 1 *Sed scripta.....sententiæ* om. paris 5826. putean. — *ut deorum videretur* paris 5837. *ut videretur congrue* paris armam. — 2 *quam ille* paris 5837. par armam. *quod ille* par 5826. put. *quod se ille* f. — 5 *regii* collR. ang.
p. 37, 5 *In hoc natura* a., in marg. a manu 2. *quid* sqq. — 15 *inserviens* ang.
p. 38, 5 *disertissimum* ang. — 8 *more* collR. ang.
p. 39, 1 *ανδρoκλυδης vocitatus est* ang. — 2 *quod non* collR. ang. — 3 *sed ad p.* ang.
p. 43, 17 *maximo* ang. — 18 *malo imputamus causam fuisse* ang.
p. 44, 17 *respondet* om. ang.
p. 45, 10 *vestrorum* ang. — 17 *arbitratus* ang.
p. 46, 17 *Laco lateribus rebus* ang. — 18 Quod proposui in marg. *Pharnabazo. Societatem huic....esset, nisi* inducendum. — 19 *Lac. essent irrita futura nisi Alc.* ang.
p. 47, 4 *datum* ang. — negotium scribendum est. — 13 *eminus* om. ang.
p. 49, 12 *vires vimque* ang. — 14 *hic plus* ang.
p. 50, 6 *hic modo cont.* 1? — 22 *quæ ad* ang.
p. 51, 20 *iugerum et agri* ang.
p. 52 Con. 2 *opere magni* ang.
p. 53, 1 *imperator* ang.
p. 54, 4 *adducebatur* ang. — 19 *ut et* ang.
p. 56, 1 *opes quam regis augeri* ang. — 7 *magna festinatione. Huius* ang. — 10 *ibique eum periisse* ang.
p. 57, 19 *tegebat* ang.
p. 58, 7 *potuerit* ang. — 10 *ei totum* ang. — 11 *Dion. tyranno crud.* ang. — 14 *gravi* ang.
p. 59, 2 *Hoc ergo* ang. — 10 *in eo meo libro* ang.
p. 60, 8 *de* om. ang.
p. 61, 3.4 *fuerat potestate* ang. — 12 *sevitiam suam ex.* ang. — 15 *que quidem* ang.
p. 62, 1 *consequuta* d. — 10 *huius modi* ang. — 17 *metuens* ang. — 21 *in* om. ang.
p. 63, 2 *dissidentis* ang. — 12 *non est* ang. — 17 *consociis* d. — *facinoris* ang.
p. 64, 21 *iidem* ang.
p. 67, 7 *declaraverit* d g h (non f.) Evas.
p. 68, 5 ab eo scribendum est.
p. 69, 6 eorum, faciebat scribendum est.
p. 73, 1 oreretur scribendum est.
p. 75, 2 *aput* h.
p. 76, 5 reduceret. Ad scribendum est.
p. 80, 4 *re male* ang.
p. 82, 7 *III. levis* collR. ang.
p. 85, 8 *succeperat sedatum postquam* mon.
p. 86, 1.2 scribimus scribendum est.

p. 93, 1 eius hoc scribendum est. — 11 quos ante scribendum est.
p. 95, 3 interitum perpetuo scribendum est.
p. 98, 18 *tutum esse a.* i. *tutum se a.* Longolius.
p. 102, 1 *ut ornatissimum* Ascensius 1514. — *& aliud eum* facturum Eu.
p. 115, 1 *qr* a, est fortasse *quæritur*, cum *dr* reperiam in aliis libris scriptum pro *dicitur*.
p. 127, 10 *Timoleontium* Eus, Ascensius 1514.
p. 128, 19 *interfectus* collR. sqq.
p. 129, 2 *rex gestarum* Ev.
p. 130, 1 *Nam soc.* collR. — Ham. 1 *Burea* c, teste Oudend. ad Front. p. 370.
p. 135, 4 *odium* invenit etiam Arntzenius in cod. aliquo, cf. supra p. 237.
p. 138, 10 *passuum* Es (ab Aldo).
p. 140, 19 *erat iussus* f.
p. 142, 8 Quod proposui in marg. *præcipit*, inducendum est, cf. Eum. 9, 3.
p. 144, 18 *Barbio* Es.
p. 145, 9 Additum *Laus Deo* in Neapolitano priore, *Finis* in posteriore.
p. 149, a. 20 Eundem indicem, quem collR., habet etiam Neapolitanus posterior.
b. 18 In editione Veneta nusquam ulla legitur inscriptio; nam quæ verba Schlegelius p. 33 in exemplo Hauniensi se vidisse ait: *T. P. Attici vita per Cornelium Nepotem*, ea calamo adscripta erant, desumpta, puto, ex ed. Rom. 1490. In extremo folio Venetæ hæc leguntur: *Marci .T. C. Epistolæ ad Atticum Brutum: Et Quintum Fratrem cum ipsius Attici uita feliciter Expliciunt . . M. CCCC. LXX.*
p. 150, 16 collegii Romani et Neapolitanum posteriorem. Editores.
p. 152, 13 *rei .pu. publicum aet.* Ec.
p. 156, 18 *se neque* c?
p. 157, 2 *a consulibus* Manutius 1540. *à Coss.* Longolius.
p. 158, 3 *distineretur* etiam Er.
p. 160, 6 *Motacillam* Glandorpius Onomast. p. 490. — 8 *omnibus* (non Lambinus sed) ed. Francof 1608.
p. 166, 18 *p. R.* Erc.
p. 167, 5 honores quibusque scribendum est.
p. 169, 11 *fuit intercedere* Manutius 1540.
p. 170, 9 *arcessi* d. — 17 a vobis peto primum, ut consilium scribendum est.
p. 172, 14 collegii Romani et Neapolitanus alter.
p. 174, 10 *reperiri possit* etiam collR.
p. 178, §. 4 Freculphi locus invenitur etiam in Bibl. Patrum Maxima T. XIV. p. 1085.
p. 185, 11. 12 *ne merces* (vel *obses*) *pacis populo R. dederetur a suis civibus, aufugit* coni. Bardilius, probatque *aufugit* Orellius Onomast. Tull. P. III. p. 543.

p. 229 sq. Codicum Britannicorum indicem confecit A. I. Valpy in edito ab se Londinii a. 1822 Cornelio Nepote p. 745 sqq., quem indicem Bardilius in Iahni Annalibus scholasticis a. 1829. I. 2. p. 202 sq. repetivit. Inde ea, quæ apud me desiderantur, excerpo. De codice Harleiano chartaceo Corn. Nepotis Sæc. XV. conferri iubet Ayscough in Catal. MSS. indescriptorum Musei Britannici I. p. 346, Oxonienses commemorat duos inter Canonicos Lat., chartaceos Sæc. XV. vel XVI., et alterum quidem num. 159 insignitum, cui variæ lectiones et summaria rerum in margine adscripta sint; præterea inter Dorvill. X. 1. 6. 10. collationem ad Æmilii præfationem vitasque Timoleontis, Hamilcaris, Hannibalis et ad Nepotis verba ex epistola Corneliæ pertinentem, ab I. Ph. d'Orville factam, ibid. X. 2. 2. 4. varias eiusdem lectiones ad edit. Amst. a. 1706., Cantabrigienses libros enumerare videtur (nam certo non dixerim, quid sibi velint impeditissima verba) tres: 1. membraneum, nitide scriptum Sæc. XIV. *Æmilii Probi lib. de excellentibus exterarum nationum Viris. Incipit feliciter Vita Miltiadis.* 2. membraneum, foliis octonariis, Sæc. XIV. vel XV. *Æmilii Probi lib. de excellentibus exterarum nationum Viris.* 3. recens scriptum, Academiæ ab Io. Hacket episcopo Coventriensi, qui mortuus est a. 1670., donatum: cum collatum esse ab I. Taylor ad margines edit. Oxon. 1697., quod exemplum Cantabrigiæ servari in bibl. publica.

p. 234, not. 20) in Conlect. Lucret. p. 379. 420. 461.

p. 236, 10 Gandensem facit Langium Schottus Observatt. human. Hanov. 1615. 4.° p. 397.

p. 240, not. 31) Neque *his omnibus* Att. 11, 2. pro quo *h. omnia* leid. habere dicitur, est in Lambiniana, sed in Francof. 1608., ut nescias, ad quodnam potissimum exemplum collationem institutam iudices. Nam in nulla adhuc editione et *transisse* Eum. 9, 2. et *his omnibus* Att. 11, 2. repertum est.

p. 245, not. 37) Perizonii ac Burmannorum bibliothecis sqq. Addendus enim est Catal. bibl. Burmanni Secundi, Lugd. Bat. 1779. p. 171. Is, quem commemoraram, est Burmanni Maioris.

p. 247, 10 Castigat amicus parum accurate de Christophoro Maurone locutum; fuisse enim Mauronem non librorum editorem, sed urbis agrique Veneti ducem et principem. Erroris sero me pœnituit.

1982